





ANONYMUS MURENSIS
DENUDATUS
ET AD LOCUM SUUM RESTITUTUS.

ANONYMUS MURENSIS
DENUDATUS
ET AD LOCUM SUUM RESTITUTUS.
SEU
ACTA FUNDATIONIS
PRINCIPALIS MONAST. MURENSIS
DENUO EXAMINATA, ET AUCTORI SUO ADSCRIPTA.

OPUS, DUOBUS LIBRIS COMPREHENSUM:

AC


VINDICIIS ACTORUM MURENSIUM PRO ET CONTRA R. D. P. MARQUARD. HERRGOTT, GENEALOGIÆ DIPLOMATICÆ AUG. GENT. HABSBURGICÆ AUCTOREM, ANNO MDCCL. EDITIS,

OPPOSITUM.

AUCTORE P. RUSTENO HEER,
Principalis Monasterii ad S. BLASIUM in Nigra Silva O. S. B. Capitulari, Bibliothecæ Præfecto, & Nummophylacii Directore.

ACCESSIT APPENDIX GEMINA:


I. Origines Habsburgo-Austriacas, compendio redditas, exhibens.
II. CONRADI de S. BLASIO Chronicon BÜRGLENSE, antehac ineditum.



PERMISSU SUPERIORUM.

Prostat FRIBURGI & AUG. VIND. apud IGNAT. & ANTON. WAGNER, Fratres.

FRIBURGI BRISGOVIÆ,
Typis JOANNIS GEORGII FELNERI, UNIVERSITATIS TYPOGR. AN. MDCCLV.



PRÆFATIO.

Uod tibi L. B. quidquid est huius opellæ, ante oculos hic adduco, dissidium concernit litterarium, ob *Genealogiam Aug. Gent. Habsburgicæ*, a Pl. Rev. Sodali meo, D. P. *Marquardo* Herrgott, Sac. Cæs. Reg. Maiestati a consiliis & Historia, concinnatam, exortum. Opus istud, ut primum lucem aspexit publicam, *illustre*, *sine pari*, *æternum*, *cedro dignum* appellare, aliisque eiuscemodi invidendis plane elogiis certatim mactare ii, quibus aut prima, aut his proxima, in repub. litteraria debentur subsellia. Non potuit ista laus, in hunc usque diem continuata, non multorum in se convertere oculos, atque animos excitare æmulorum. Inde factum, ut alii sub personati cuiusdam *Epistolographi Helvetii ad doctum quendam Saxonem*, alii sub ementito Celeberrimi Abbatis Calmeti nomine, alii alio modo famam tentare conarentur Herrgotti. Sed hi fœtus haud vitales vixdum editi, spectabant interitum, tantum abest, ut nobis digni viderentur responsione. Mirari potius subit,

 lau-

laudatum Reverendiſſimum ſenem cum per litteras privatas, tum publice etiam in *Bibliotheca* nempe ſua *Lotharingica*, innocentiam de his ſuam teſtari voluiſſe; cum certum ſit, eam a nemine uno vocatam fuiſſe in dubium.

Longe aliud iter ingreſſus eſt, finemque ſcribendi longe alium ſibi propoſuit Auctor libri, qui ante hos annos quatuor, & quod ſuperat, in forma, quam vocant, quadruplicata, ſub hoc rubro prodiit: VINDICIÆ ACTORUM MURENSIUM, PRO ET CONTRA R. D. P. MARQUARDUM HERRGOTT, GENEALOGIÆ DIPLOMATICÆ AUGUSTÆ GENTIS HABSBURGICÆ AUCTOREM, SEU ACTA FUNDATIONIS MURENSIS MONASTERII, TANQUAM EIUSDEM GENEALOGIÆ FUNDAMENTA, FIDEI SUÆ ASSERTA, SOLIDISQUE RATIONIBUS ET DOCUMENTIS SOBRIE ET IUSTE VINDICATA, OPERA P. FRIDOLINI KOPP MONACHI MURENSIS: CUM PERMISSU ET IUSSU SUPERIORUM. TYPIS EIUSDEM PRINCIPALIS MONASTERII, PER IOANNEM CASPARUM HILTENSPERGER 1750. Longe hic, inquam, aliam, ac reliquorum videmus deſtinationem; quam enim Erud. auctor ab eiusmodi animi motibus, ſeu debilitate alienus ſit, cum privatus oſtendit iugiter, tum vero digni-

dignitatibus iam evectus maximis, moderatione atque animi magnitudine tantum excellit ceteris, quantum eos præcedit. In hoc certe *Vindiciarum* opere Adverſarium quidem agit, ſed Adverſarium eruditum iuxta ac moderatum, ſobrium denique ac verbo talem, qualem, niſi ego vehementur fallor, ſi quis optandus eſſet, hunc ſane optandum ſibi quisque exiſtimaret.

Cauſſæ huic ſcriptioni non unæ prætexuntur, quas ut recte intelligamus, res ab ovo repetenda eſt. Inter cetera, quæ operi ſuo præmiſit prolegomena HERRGOTTUS, tertium ordine Anonymo Murenſi, ſcriptori antiquo, deſtinavit. Propinat is Genealogiam Habsburgicam ab ITA, RADEBOTONIS, qui poſt annum MXXVII. obiit, coniuge, ad usque RUDOLPHUM Habsburgicum, poſtea Rom. Regem, ſeu potius ad eius fratres, ALBERTUM & HARTMANNUM, quos ſolos nominat. Procedit igitur a ſeculo poſt Chriſtum natum XI. ad medium circiter XIII. Genealogicam hanc tabulam excipiunt Acta fundationis laudati cœnobii, quorum auctor, licet aliud agens, narrationi tamen ſuæ multa aſperſit, ad inveſtigandas Auguſtas origines adprime facientia, altiusque,

quam

quam ipſa Genealogia, aſcendens, cum & RADEBOTONEM, tum & patrem eius KANCELINUM, ſeu LANTOLDUM, avumque GUNTRAMNUM *Divitem* nobis prodit, illuſtriſſima maiorum Habsburgicorum nomina. Hunc porro Anonymum bona hactenus fide ſecuti ſunt, qui in hoc argumento ſunt verſati: nec fere aliud egit, qui novam genealogias magnorum Principum indagandi, firmandique, viam invenit, manumque tantæ rei ultimus admovit P. HERRGOTTUS, at provide, ut par erat, ac circumſpecte. Videns enim, auctorem hunc, ſeu rectius auctores, ac præſertim Genealogum, Actis fundationis præfixum, cum non ſatis antiquum eſſe, tum vero multis ac variis modis, in ipſa, quam exhibere in ſe ſuſceperat, Genealogia peccaſſe, ac modo obſcure, modo oſcitanter, &, quod palmarium eſt, mendoſe ſcripſiſſe: pronuntiare nullus dubitavit, illum *ſe ſolo*, nullisque adminiculis aliunde, puta ex re diplomatica, accerſitis, ſuffultum, ad condendam, ac præcipue ad ſtatuminandam Genealogiam Habsburgicam haud ſufficere.

Offenderunt hæc Ven. monachos Murenſes, utque ſuſceptæ apologiæ color induceretur, iniuriam civi

civi ſuo inferri, detrahi iuribus monaſterii, ac ipſam denique *Genealogiam Diplomaticam*, dum hoc fulcrum concutiatur, infirmo conſiſtere talo, conqueri; vindicandam igitur hanc rem eſſe, atque ſcriptorem ſuum, qui a gradu, quem in hunc usque diem obtinere viſus eſt, ampliſſimo, tam immerito deiectus fuerit, reſtituendum, ac ipſam adeo Genealogiam Habsburgicam (id quod equidem *pro*, non *contra* P. Herrgottum ſit) firmandam, ſtabiliendamque. Hæ ſunt adverſæ parti ſcribendi rationes, hæc *Vindiciarum* momenta.

Sed enim, eisdem trutina non nihil ſeveriori expenſis, facile, ut confido, apparebit, quo ſint habenda loco. Nam, quod ad ultimum attinet, perpulchre ſcilicet dictæ Genealogiæ Habsburgicæ velificatum fuit; cum, ut ſuo loco clarebit, ii excitantur auctores, qui ultra Guntramnum *Divitem* haud aſcendi, atque adeo antiquitatem Gentis ultra ſeculum X. referri, haud poſſe contendunt! Pulchre etiam & hoc: quod fidem ſcriptori mendoſo integram, per tria & amplius ſecula, haberi, illique ſoli tantum opus ſuperſtrui poſtulatur, prorſus ac ſi eius auctoritas prope eſſet divina, aut Genealogia

eo certior, quo debilioribus niteretur fulcimentis! Quanto non consultius, atque ad regulas artis criticæ exactius, egit P. HERRGOTTUS, qui dicti scriptoris errores haudquaquam dissimulans, dicensque, quod res est, id demum præstitit, quod nemo alius, ut scilicet veritatem afferret, non iam dubiis, sed certis, non suspectis, sed firmis nixam fundamentis, diplomatibus videlicet, testibus incorruptis, omnique maioribus exceptione?

At scriptorem nostrum, id est, Anonymum Murensem, mendosum esse, quis dicit? Quasi vero adversa pars eius menda, ceterorumque Eruditorum de eodem iudicia, nescisset, quorum nos quidem veneranda nomina magno numero lib. I. cap. I. ac præsertim tertio, afferimus, luculenter ostendentes, aut origines Comitum *Alsatiæ*, Ducumque *Lotharingiæ*, tot licet testatas monumentis inconcussis, ruere, aut Genealogum Murensem obtrudere falsa: nihil ut dicam de mendis, circa origines *Habsburgicas* ab ipso commissis, quæ caussam nostram propius attingunt, quæque in decursu huius opusculi iterum detecta, iterumque denudata ita sunt, ut modo omnium denuo pateant oculis.

Fru-

Fruſtra igitur ſunt, qui ei fieri iniuriam putant, quem, ut ex hisce iam intelligitur, iure meritoque ad examen revocatum fuiſſe, palam eſt.

Fruſtra etiam ii ſunt, qui ideo, vel ex quavis alia, huc concurrente, cauſſa, Celeberrimi Murenſis monaſterii iura (quod quidem in ipſa etiam imprimendi facultate obtenditur) vel tantillum concuti putant; quando genealogica duntaxat examinantur, ceterum iura ac poſſeſſiones monaſterii, ubique relinquuntur intacta. Sed & cum præterea ex hac quali quali ſcriptiuncula manifeſtum iam fiat, mendoſum Genealogum longe diverſum eſſe ab Actuario, cui præfigitur, huicque exiguos admodum, illi contra errores tribuendos eſſe tantum non omnes, vana plane ſunt, quæ hactenus timentur; quandoquidem hic, non ille de iuribus, poſſeſſionibusque monaſterii, ſcripſit.

Ponamus autem, Genealogo Murenſi per ſummum nefas detractum iri, num putas, illum ad condendam, firmandamque trium ſeculorum (nam Actuario iunctus, totidem fere ſubminiſtrat) genealogiam ſatis fuiſſe? ego vero haud crediderim. Ad hoc enim, ut quis de fide ſuſpectus reddatur, adeoque alieno indigere cenſeatur ſubſidio, omnino

ſufficit, a cordatis, rerumque intelligentibus, aliquando in diſcrimen adductum fuiſſe. Ut enim crimina, etiam falſo impacta, aliter averti vix poſſunt, niſi probatione contrarii, ita & Hiſtorici, maxime vero Genealogi, fides, ſemel vocata in dubium, tamdiu crepera, tamdiu ſubleſta erit, quamdiu non probando oppoſitum, reſtituatur ex integro. Neque enim in hisce ſimplex tantum, ut ita dicam, aut qualiſcunque narratio ſufficit; ut fidem invenias, probaſſe oportet, fontes, ex quibus tua hauſeris, puros eſſe, limpidos, defæcatos. Res igitur portento ſimilis eſt, examen tam candidum, ſcriptorique cordato tam neceſſarium, argui publice in eo, qui aliud nihil in mente habuit, quam ut Anonymi morbos primum quidem detegeret, deinde vero, adhibitis, ex arte diplomatica, idoneis medicamentis, ita ſanaret, ita reſtitueret, ut vires reciperet tantum non integras, quin & novas, id quod nos quidem toto fere libro ſecundo fuſius demonſtramus. Tolle a Critico candorem, & nihil minus, quam veri nominis Criticus erit.

Atque hæc diſſidii huius Litterarii occaſio eſt, hæc diſputationis noſtræ ſumma, qua rite perpenſa,

videri

videri queat, responsionem nostram urgentem adeo haud fuisse, ut illa supersederi nequisset; maxime cum ob famam scriptoris, ut ut antiqui, nec tanti excitandi clamores, nec respub. litteraria tot scriptiunculis onerari potius, quam ornari debere videatur. Verum est, ipse P. HERRGOTTUS, etsi primo fervore, ut fit, ab adornanda apologia quadam nequaquam alienus, iam filum aliquod ducere inciperet, consilium tamen mutavit continuo, recte caussatus: cum suam ipsius, tum Adversarii lucubrationem, in virorum doctorum versari manibus; facile proinde esse, inter utramque æstimare: reliquum litteratorum vulgus, quod sibi forte adverso scripto derogatum putet, non magni faciendum. Ceterum esse sibi *Monumenta Aug. Domus Austriacæ*, opus non minus, ac prius illud, iussu & auspiciis Cæsareis susceptum, in quo bonas horas haud paullo utilius, quam serendis tricis & altercationibus, a quibus animus suapte natura abhorreret, collocare & posset, & deberet.

Hac sententia accepta, neminem etiam ex reliquis nostris sodalibus cupiditas incessit, in hac sese exercendi palæstra. Fuit tamen ex alio sodalitio non nemo, qui *Vindiciis Anti-Vindicias* oppositurum

ſeſe ultro obtulit. Sed verba duntaxat dedit; ut cuius omnem conatum ne quidem in herba fuiſſe, poſt trium & amplius annorum curriculum patuit. Nos interim id præterea abſterruit, quod, qui *Vindiciis*, ſæpenumero memoratis, Venerabile ſuum præponere nomen dignatus eſt, a ſuis non multo poſt in Abbatem, atque adeo S. R. I. Principem, ſublimatus fuerit. Tum enimvero cum religioſa modeſtia, tum ſumma adverſus tantum Antiſtitem obſervantia, a nobis poſtulare videbatur, prudenti tantiſper ſilentio premere, quod de cetero, ſi res integra fuiſſet, edicere, ac palam facere, noſtra equidem intereſſe poſſet.

Verum enimvero quemadmodum, ut ait TULLIUS, *conſilia temporum ſunt, quæ in horas commutari videas*, ita & nobis, re poſtea penitius conſiderata, liquido demum apparuit, nihil eſſe, quod reſponſionem iuſte impedire quiret, ſi modo intra modeſtiæ, debitæque obſervantiæ limites conſiſteret. Vulnus accepimus, idque tanto gravius, quanto is maior eſt, qui inflixit, vulneri huic aptari remedium, quis improbabit? quanquam, ſi dicamus, quod res eſt, nihil nobis minus in mentem venerit, quam

ut

ut adverſus tantum Principem calamum corriperemus. Privatus ſcripſit, privato reſpondemus, non Principi, non Abbati. Neque præterea, cum diſſidemus in litteris, animos disiungi putandum eſt, nec veritas eius eſt naturæ, ut ſine pacis turbatione quæri nequeat. Hinc & *Vindiciarum* auctorem, quotiescunque compellandus erat (erat autem compellandus ſœpiſſime) *Adverſarii* duntaxat nomine ſalutavi, ut ne perſonam, in tanto dignitatis gradu conſtitutam, vel leviſſime attingere, aut petere, viderer. Quod ſi vero contra ſpem, poſtque tantas adhibitas curas, vel oſcitanti, vel imprudenti, quidquam excidiſſet gravius, iam nunc pro indicto haberi volo, utque benigne ignoſcatur, publice rogito, hisce S. AUGUSTINI ep. XXVIII. uſus verbis: *Da veniam, ſi quid liberius dixi, non ad contumeliam tuam, ſed ad defenſionem meam* (ſodalis mei). *Præſumpſi enim de gravitate & prudentia tua; quia potes conſiderare, quantam mihi reſpondendi neceſſitatem impoſueris: aut ſi & hoc non recte feci, & hinc da veniam.*

Quod igitur initio, manum ab opere abſtinendam, cumprimis ſuadebat, id deinceps cauſſa viſa fuit non ultima, manum admovendi. Ad alterum

quod

quod attinet, haud equidem invitus largior, facile fuiſſe Eruditis, inſpectis utriusque partis rationibus, verum perſpicere: ſed num otium, ad id neceſſarium, ſibi ſumpſerint, de hoc plane dubitaverim. Quotus enim quisque eſt, qui niſi ſimili occupatus argumento, ad tantæ molis libros excutiendos, atque invicem contendendos, ſerio ſe ſe conferat? Quod ſi vero horum uni, alterive, res ſuboluerit, quanto non plures ſunt, qui iudicis munus ſibi temere arrogantes, ſententiam ante proferre audent, quam rerum momenta introſpexerint. Recte enim alicubi S. AUGUSTINUS: *Res falſa & inanis, niſi corrigatur, habet non nunquam fidem: multique ſunt homines iudicii parum firmi, qui nihil audiunt, leguntve, quod non credant, niſi refutatum ſciant.* Nihil dico de ipſa *Genealogia Diplomatica*, quæ ubicunque occaſio ſe ſe obtuliſſe videbatur, ſatis acerbe habita fuit. Nihil etiam de perpetua *Domus Habsburgicæ* inde ab ETICHONE usque, atque adeo a medio ſeculi VII. ad noſtra usque tempora, ſucceſſione, quam, ut quidem contigit, diploma *Trutpertinum* in dubium vocando, vehementer tentari, in propatulo eſt.

His

His ita ſe habentibus, nemo non videt, quibus momentis inducti, ad hanc provinciam acceſſerimus. Revocanda fuit *Aug. Domus* antiquitas, ſtabilienda eiusdem genealogia, famaque Operis, eam fideliter enodantis, reſtituenda. Sed mihi hæc ſparta cur obtigit? Fateor, plures eſſe etiam e noſtris, qui eam multo felicius exornaſſent, nec mihi tam Suffenus ſum, ut tantos inter viros arbiter ſedens, litis dirimendæ negotium mihi denique reſervatum putem: ſed tamen ut & ego abſtinerem manum, integrum haud fuit. Ad me etenim, poſt *Genealogiæ Diplomaticæ* auctorem, res propius ideo ſpectare dicebatur, quod ante annos quatuor in partem laborum ingentis operis, quod ſub titulo *Monumentorum Aug. Domus Auſtriacæ* prodit, ut ut immerito adſcitus, in me etiam redundare videatur, quid quid illius auctori, ſodalique meo, multis mihi nominibus venerando, derogatur.

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires,

ut ex vero canit FLACCUS. Opportune ergo utcunque accidit, ut quia chalcographi noſtri, aliæque res, nos circumſtantes, a maiori illo opere tantiſper ferias

nobis indixerunt, otium vix non continuum huc transferre potuerim. Quocirca præprimis mihi curæ fuit, ut ne nudam ſcriberem apologiam, ſed eidem, ſicubi res tuliſſet, identidem aliquas interſpergerem obſervatiunculas. Eo fine, præter indices ſat locupletes, in calce libri II. *Origines Habsburgo-Auſtriacas, compendio relatas*, in eorum gratiam addidi, quibus maius illud Genealogicum opus luſtrandi, aut otium, aut occaſio deeſt. Additur CONRADI de S. BLASIO *Chronicon Bürglenſe*, quo cum dicta lib. I. cap. XII. confirmari, tum pomœria Hiſtoriæ non nihil extendi credidi. Quæ de charta linea, nec non de ſcripturarum ſeculi XIII. forma diſputantur, tironibus ſaltem uſui futura putaverim. Anonymum, quem vocabant, Murenſem, ita denudavi, ſeu enudavi potius, ut, quid de eo tenendum ſit, iam neminem fugere poſſe exiſtimem. Præterquam enim quod Genealogiæ, Actis præfixæ, unum, eundemque, atque adeo ſeculi XIII. auctorem fuiſſe, liquido demonſtraverim, id præterea evici, ſcriptorem *Actorum* monachum fuiſſe non *Murenſem*, ut hactenus falſo credebatur, ſed laudatum CONRADUM de S. BLASIO, Abbatem, *Muros* olim poſtulatum. Eo conſilio

tria

tria me consecutum confido. Primum: quod is a mendoso Genealogo, velut purpura a panno, seiunctus, paucorum iam convincatur errorum; cum antea omne illud ipse etiam innocens devorare debuerit, quod Genealogo obiectum fuerat; deinde quod ut Abbas maiorem fidem inveniat, quam monachus privatus; ut enim de probitate, gravitateque viri, nihil dicam, præsumendum plane est, ei, ut personæ publicæ, fontes rerum multo facilius patuisse, quam cuiquam alteri. Duo hæc quantum *Genealogiæ Habsburgicæ* pondus iam addant, concilientque fidem, non est, ut multis edoceam. Postremo & id hac ratione effecisse mihi videor, ut omni deinceps circa hanc rem altercationi præclusus sit aditus. Cum enim Auctor Codicis *Murensis* præcipuus noster iam sit, operæ pretium vix facturum putaverim eum, qui solius *tabulæ Genealogicæ*, Actis præmissæ, caussa, quam ab alumno quodam Celeberrimi Murensis asceterii confectam fuisse, non invitus largior, bellum hoc litterarium instauraret. Nihil addo de prima Originum *Habsburgicarum* notitia, civi nostro, non alieno, adscribenda; ne rerum nostrarum nimium studiosus esse videar: singula hæc ideo duntaxat retuli, ut querelas occuparem forte existi-

mantium, ob unius auctoris famam integrum orbi litterato obtrudi tractatum; hic quippe velut in vestibulo brevibus ostendens, argumentum isthoc suapte natura neque sterile esse, neque proletarium.

Præfationem Adversarii iam non attingo; cum id bonam partem factum fuerit lib. II. cetera vero eius sint naturæ, ut facile prætervehi queant. Ut tamen L. B. ad mox secutura non nihil præparem, unicum ex ea, in fine legendum, leviter modo inspiciamus. Dixerat P. HERRGOTTUS, Anonymum Murensem *imposuisse ceteris, existimantibus, remotioris eadem Acta antiquitatis, maiorisque momenti esse, quam revera sint.* Excitat hæc verba Adversarius, atque haud secus, ac si insigniter per ea peccatum fuisset, iisdem in ipso proponendo themate suo utitur, asserens, ostensurum se, *scriptorem Actorum Murensium Impostorem non esse, seu talem, qui ulli imposuerit.* Belle admodum! quasi vero ille impostor dicendus, qui alteri imponit, seu caussa erroris est, culpa non sua? Nonne & ipsis Murensibus imposuit, hactenus existimantibus, *Actorum* scriptorem suum olim fuisse tribulem? num ideo impostor est? Sed hæc hactenus. Tu interim B. L. vale & iudica. Scribebam Crozingæ mense Ian. MDCCLV.




ELENCHUS
LIBRORUM ET CAPITUM
LIBRI PRIMI.

CA-



LIBRI SECUNDI.

CA-





REFERT QUO FONTE BIBATUR. MART. EPIGR. LIB. IX.



ANONYMUS MURENSIS

DENUDATUS,

ET

AD LOCUM SUUM RESTITUTUS.

LIBER I.

EXPENDITUR PARS ADVERSARII PRIMA.

CAPUT I.

Reſpondetur ad Adverſarii introductionem.

I. ETſi Adverſarius, longa præfatione uſus, ſatis iam docuiſſe videretur, quid in reliquo opere tractaturus ſit: introductione tamen, velut novo præambulo, utendum ſibi ratus, quid animo moliatur, hic denuo inſinuat: cumque antea *Actorum* duntaxat *Murenſium* patrocinium in ſe rece- Refertur P. Herrgotti de nævis Scriptoris Mur. ſententia,

recepiſſet, nunc etiam, *Acta Trutpertina* abs HERRGOTTO pariter impugnata fuiſſe, una indignatur. Diſplicet autem eidem Auctoris *Genealogiæ Diplomaticæ* hæc præprimis ſententia, in præfatione, ubi de œconomia operis agitur, reperiunda: *Ut Genealogiam Habsburgicam ex chartis & Diplomatibus condere valerem, ante omnia requirebat neceſſitas, ſedulo inveſtigare, & ſolide demonſtrare, qualis & quanta fides danda ſit Actis Trutpertinis & Murenſibus*, QUÆ PLEROSQUE SCRIPTORES IN ERRORUM DEVIA ABSTRAXERUNT.

Quæ impugnatur ab Adverſario. pag. 2.

II. In hæc enim verba, velut de utroque Scriptore conclamatum iam eſſet, hunc in modum commentatur Adverſarius: *Sapienti pauca hæc præſagire queunt, quæ memoratis Actis incumbat ſententia. Si* PLEROSQUE ILLA SCRIPTORES IN ERRORUM DEVIA ABSTRAXISSE *noſcuntur, veſtigia terreant, neceſſe eſt; dictetque ratio ipſa*, PRÆVENIENDUM PERICULO; ACTA PROSCRIBENDA UTRAQUE, OMNEMQUE EORUM USUM IN GENEALOGIA, MAXIME DIPLOMATICA, INTERDICENDUM. Hac proſcriptionis ſententia in Acta utraque (ſtante nempe P. HERRGOTTI prolegomeno II., quo de *Actis Trutpertinis*, & III., quo de *Actis Murenſibus* tractatur) lata, Auctorem Genealogiæ Diplomaticæ, paucis interiectis, inconſtantis hypotheſeos poſtulat; ut qui *libro II. hæc ipſa Acta Murenſia in Genealogiæ ſuæ fundamentum plena fide aſſumere non vereatur*, etſi eorum fidem & authentiam in proleg. ſuo III. labefactare nullus dubitaverit. Hæc Adverſarius promulſidis loco, & velut eminus, rem ipſam ſubſequentibus paginis mox cominus aggreſſurus.

Reſtituitur, ac primo quidem; quia revera nonnulli ab eodem Anonymo in errores abducti fuerunt.

III. Nos vero hocce de Scriptore Murenſi iudicium, abs HERRGOTTO iuſta de cauſſa prolatum vel ideo exiſtimamus, quod revera Auctores non pauci ſint, qui ab illo, puta Genealogo potiſſimum, decepti, IN ERRORUM DEVIA prolapſi ſunt. Operæ igitur pretium erit, hic nonnullos nominare, ampliores eiusdem vel errores, vel errorum teſtes, in ipſo decurſu huius opuſculi, ſicubi opus erit, relaturi. Agmen ducat GUILLIMANNUS, Auctor non incelebris. Is Comitatum *Altenburgi* ſtatuendo, errorem ſuum non aliunde,

quam

quam ex Anonymo Murensi hausit; egregie ob id exceptus a Cl. HERRGOTTO proleg. IV., quod suis locis amplius videbibimus. GUILLIMANNUM secuti sunt CHIFFLETIUS, BLONDELLUS & ECCARDUS, omnes auctoritate ac errore Murensis Scriptoris inducti atque decepti (a). His adiungendus VIGNIERIUS, qui alia oberrans chorda, crassam Anonymi Murensis, de stemmate ITÆ, hallucinationem emendaturus, non minorem aliam commisit, cum ITAM hanc THEODORICI II. superioris Lotharingiæ Ducis, sororem satis erronee statuit. Quamobrem ipsi Adversario nostro vapulat, seu potius Clar. D. *Gilberto Carolo le* GENDRE, quem is in subsidium vocat (b), atque unacum eo ITAM Comitissam, sororem constituit THEODORICI I. Ducis itidem superioris Lotharingiæ, a FRIDERICO illo progeniti, qui BEATRICEM, sororem HUGONIS *Capeti*, Francorum Regis, in matrimonio habuit. Sed errore non magis tolerabili, ut nos quidem, cum ad caput Adversarii secundum ventum fuerit, invicte demonstrabimus: hic breviter admonuisse contenti, inde consequens omnino esse, vel ipsum etiam Adversarium eorum albo esse adscribendum, qui ab Anonymo Murensi decepti, IN ERRORUM DEVIA ABSTRACTI FUERUNT. Certum enim ibi fiet, ITAM Comitissam ex sanguine Ducum Lotharingiæ haudquaquam descendere: non ex hodierno, quod ipse Adversarius non inficiatur: non ex priori illo, ut nos quidem ostensum ibimus. Quare fallitur Adversarius, cum caput suum II. ita concludit: DE ITA LOTHARINGA . . . *illud singulare hic notes & suspicias: quemadmodum sc. primam tunc Gentem Habsburgicam sanguine consitam Lotharingico, ita ultimam nunc eius sobolem sanguine itidem Lotharingico fœcundatam, hinc & Augustæ huic Genti admodum gloriosum esse, descendere ex sanguine etiam Lotharingico illo priore, & propagari hoc posteriore, utroque iam in nova prole auspicatissime confluente,* Nescio etiam cuius magnifica illa inscriptio, *Vindiciis* præfixa, pretii ac valoris sit:

a

b

Quos inter vel ipse Adversarius.

pag. 17.

(a) Vid. cit. proleg. IV. num. II. p. XXXVI.
(b) Vindic. P. I. c. II. pag. 14.

DIIS MANIBUS
RADEBOTONIS
HABSBURGICI
&
ITÆ
LOTHARINGÆ
FELICISSIMORUM PROTO-PARENTUM
AUGUSTÆ DOMUS
HABSBURGO-AUSTRIACÆ.

Quam non consultius egisset Adversarius, si utriusque Augustissimæ Domus, Lotharingicæ videlicet, atque Habsburgicæ sanguinis nexu, vel cum Reverendissimo Abbate CALMETO a GUNTRAMNO *Divite*, vel cum Clar. HERRGOTTO ab ETHICONE deducto, inscriptionem suam ab alterutro horum inchoasset? Sed hæc interim.

Tum; quia eundem Anonymum mendosum esse fatentur & docent alii quoque eruditi viri.

IV. Præter vero eorum turmam, qui a Genealogo Murensi in ERRORUM DEVIA abducti fuerunt, alii supersunt, nec pauci, nec indocti, qui eiusdem errores caute declinantes, *mendosum* tamen esse publice fateri non addubitarunt. Ex eorum numero primum esse, dixit P. HERRGOTTUS, BLONDELLUM, quo de inferius. BLONDELLO subscripsit ECCARDUS & CHANTERAVIUS (a). Pluribus eundem exenteravit Cl. HERRGOTTUS, de cuius iudicio videbimus in decursu huius apologiæ. Idem ante & post HERRGOTTUM præstitit laudatus Reverendissimus CALMETUS (b), uti postea videbimus, eumque adeo alibi non solum *mendosum*, ut BLONDELLUS, sed & *mendosissimum* appellavit (c). Novissime quoque Clar. *Ioannes David* SCHOEPFLINUS, magnum illud Academiæ Argentoratensis lumen, habuit, quod in eodem Anonymo secus di-

(a) Vid. Vindic. cit. cap. 11. p. 13. seqq. ubi ECCARDUS hæc: VIGNIERIUS *autem &* CHIFFLETIUS *seducti sunt a Genealogia vetere, Actis Murensibus præfixa, quam in probationibus cap.* XXXV. *edimus.* SED ERRONEAM EAM ESSE OPORTET.

(b) Histoire de Lorraine T. I. Origine de la Maison de Lorraine. col. CXXX. edit. I. & CXCVII. edit. II.

(c) Ibid. in margine inferiori col. CCXVIII. ubi ait: *J'ai avancé ceci sur la foi des Actes, de l'Abbaye de Mury, qui sont* TRÉS FAUTIFS. *Itta vivoit deja en* 1027. *elle ne peut donc être Sœur du Duc Thierry mort en* 1115.

dictum fuisse censeret. *Occurrit etiam*, inquit, *in Genealogia fundatorum Murensis Cœnobii, Actis præmissa, Cuono Comes de Rheinfelden, Itæ Comitissæ Habsburgensis, & Theodorici Lotharingiæ Ducis, frater. Quæ quidem narratio*, ETIAMSI ALITER EXPLICANDA, *id tamen probat, iam ante Rudolphum seculo XI. ineunte Comites Rheinfeldenses fuisse* (a). Modestissime quidem, ut solet, sed tamen ex animo, & non sine prævia rationum, ab Adversario allatarum, ponderatione; ut qui eiusdem *Vindicias* haudquaquam ignoravit (b): haud dubie autem eidem assensum præbiturus, si sine veritatis dispendio, cui ubique litare se decrevisse alibi fatetur, & facit etiam, potuisset. Consulto hic omittitur SCHOENLEBENIUS, eundem Actuarium *plane rudem & ignorantem, vel forte malitiosum appellans* (c); utpote cuius iudicium, ex cœco quodam impetu profectum, ut bene notat Adversarius (d), ipsi non probamus. a b c d

V. Hi sunt igitur Scriptorum nonnulli, iique præcipui (nam omnes adducere nec iuvat, nec opus est) qui vel ab ipso decepti, IN ERRORUM DEVIA ABSTRACTI sunt, vel errores eiusdem viderunt, detexeruntque, de quibus nos longe uberius agemus in consequentibus, ita tamen ac ea cum moderatione, ut, si quis erga eum tam parum æquus esse vellet, eumque propterea proscribendum, atque ad ultimam velut Thulem relegandum esse pronuntiaret, is certe sine noxa a nobis haud discessurus esset. Bone Deus! si cuilibet Auctori propter nonnulla peccata, ac multiplicia etiam, aqua & igni interdicendum est, quo devenient Bibliothecæ? diu certe erit, dum LEIBNITII coniectura adimplebitur: Bibliothecas tandem urbibus similes futuras; cum, hac Adversarii sententia consistente, evacuandæ potius erunt. Quis enim nescit, antiquos Scriptores æque ac hodiernos errare potuisse, immo errasse sæpius atque errare? Vetus est *Flavii* VOPISCI de historiarum Scriptoribus effatum: *Neminem Scriptorum, quantum*

Nec tamen inde sequitur, Auctorem proscribendum, eiusque usu, ut vult Adversarius, interdicendum esse; quod exemplis monstratur.

(a) Alsatiæ Illustr. lib. III. c. III. §. XXXIV. p. 639.
(b) Citantur enim eiusdem Acta, ab ipso edita. pag. 694. 803. &c.
(c) In Differt. Polem. Part. I. cap. 14. & 15.
(d) Vindic. pag. 10. & 11.

a *tum ad historiam spectat, non aliquid esse mentitum* (a). Quod si Scriptores Romani & Græci, cultissimi illi ac prudentissimi viri, nonnunquam in mendacio deprehensi sunt, quanto magis de Scriptoribus medii ævi barbaris dici poterit, eos saltem, utut non tam sua culpa, quam fragilitatis humanæ miseria, atque ex communi fere scientiarum neglectu, nonnunquam in errore versatos fuisse?

Cumprimis ipsius Adversarii, mendosos Poetas secundis curis edentis;

VI. Nolo hic multa accumulare, ac recensione eorum Auctorum, quibus aut falsa aut mendacia obiecta sunt a peritis, Lectori gravis esse, cum id operis esset immensi, resque per sese notissima sit: sufficiat Adversarium rebus non longe petitis dedocere, suoque ipsius exemplo convincere. Edidit is (b) post Reverendissimum Abbatem TSCHUDIUM secundis
b curis nonnulla poemata, a CONRADO de *Mure*, Cantore Turicensi coævo, aliisque, ut recte observat laudatus TSCHU-
c DIUS (c), RUDOLPHO I. Rom. Regi consecrata, ubi de die coronationis eiusdem hos versus legimus:

R. Comes in Kiburg & in Habsburg, Lantgraviusque
Alsatiæ, merito tituli pollens utriusque.
Frankenfurt *festo Michaelis*, stemmate septus
Magnatum, regni Romani culmen adeptus.

& post pauca:

Bis sexcentos septuaginta tres noto Christi
Annos, quando Rex factus Rudolfe fuisti.
Te regem procerum fecit Deus ipse procerum.
Teque coronat ea Procerum collectio luce,
Quando dies Martis est post solennia Lucæ.

Ex his versibus intelligere est, RUDOLPHUM anno æræ vulgaris 1273. in festo S. MICHAELIS electum, atque 21. Octob-

(a) VOPISCUS in AURELIANO.
(b) Vindic. Actor. Murens. pag. 312. & 318.
(c) Orig. & Geneal. Com. de Habsb. p. 123. secus ac Adversarius, qui eosdem soli CONRADO adscribit, at falso; sequeretur enim ut sibi unus idemque Auctor uno velut halitu contradixisset, quam contradictionem mox audiemus.

Octobris; in quem quippe tum primus dies Martis post festum S. LUCAE inciderat, solemni ritu coronatum fuisse.

Aliter calculum ducit Poeta alter, ab Adversario secunda pariter editione p. 318 productus:

Rudolfus reprimens propriis contraria telis
Frakenfurt Rex eligitur festo MICHAELIS (a) a
Ungit Aquisgranum Regem sub posteriore
Luce Severini, sub Crispinique priore.

Quorum quippe doctrina nec sibi invicem, nec Historicis coaevis respondet.

VII. Cum festum S. SEVERINI in tertium & vicesimum, CRISPINI vero in quintum & vicesimum Octobris incidat, satis liquet, diem hic 24. eiusdem mensis designari, qua coronatio haec peracta fuerit; hinc necessario consequitur, ut alter horum Poetarum, licet Synchroni ambo fuerint, ambo Germani, ambo ditionibus RUDOLPHI aut vicini, aut subditi, in errorem prolapsus sit. Audiamus iam, quid ea de re Historici referant. ALBERTUS *Argentinensis* pridie Calendas Octobris assignat, quicum facit Chronicon Colmariense, ubi legimus: *In Vigilia omnium Sanctorum* RUDOLFUS *Rex coronatur.* Num Poetis, an Historicis magis fidendum? Dicerem ego Historicis, nisi verum atque indubitatum coronationis diem a P. HERRGOTTO, cuius operae ac eruditioni id adscribendum est, didicissem.

Verior de die coronationis RUDOLPHI Habsburgici relatio ex P. HERRGOTTO.

VIII. Quod ut ne Adversarius, studio partium abreptum id me edicere, existimet, testem adduco Rev. ac Clarissimum Virum *Sigismundum* CALLES S. I. in cuius novissimis, praestantissimisque Annalibus Austriae (b) haec legimus: *Sed enim ex litteris* ENGELBERTI *Colon. Archiep. & Electoris ad* GREGORIUM *X. PP. quos affert R^dmus* HERRGOTTUS, *docemur*, RUDOLPHUM *Regem in festo Apostolorum* SIMONIS *&* IUDAE, 28. *Octobr. fuisse coronatum.* *Litterae* ENGELBERTI, ut pergit CALLESIUS, *quarum initium est: Luxit hactenus &* b

elan-

(a) Haec dies incerta est; vid. P. CALLES postea citandus, tom. II. pag. 491.
(b) Part. II. Lib. VIII. p. 493. Is enim epistolam hanc ex opere nondum quidem edito, sed ipsi tamen liberaliter communicato, mutuavit.

elanguit terra &c. sic habent: „ Electione Canonice imo Divinitus procul dubio celebrata, eundem (RUDOLPHUM) cum inenarrabilis immensitate tripudii, omnium applaudente caterva Nobilium, nec non populi comitiva lætante, ac in supernæ laudis canticum gratulabundius exurgente, apud Aquisgranum magnifice duximus, ubi *in die Apostolorum* (utique SIMONIS & IUDÆ proximo) a nobis - - fuit in sede magnifici KAROLI coronatus, & unctionis sanctissimæ oleo delibutus. „ Hæc epistola ENGELBERTI, cui utique auctoritatis publicæ, & a teste oculato, quique eiusdem solemnitatis pars magna fuit, maior fides præstanda erit, quam Poëtis & Historicis, rem ex auditu duntaxat narrantibus. Quæro ergo iam ex Adversario, cur Poetas suos secundis curis edere voluerit? Mendosi utique sunt, ac non solum sibimet ipsis contradicunt, sed & Historicis eiusdem temporis. Et quid denique cum duobus hisce Historicis agendum, qui eundem errorem errasse deprehenduntur? Sane ex principiis Adversarii e republica litteraria in exilium relegandi, omnisque eorum in rebus historicis *usus interdicendus* erit; utpote qui plerosque Scriptores IN ERRORUM DEVIA abstraxerunt, quos inter memorare liceat, qui forte ad manus sunt: Abbatem FLEURY (a), STRUVIUM (b), aliis pluribus, quos omnes adducere longum foret, omissis. Quid? quod alter etiam ex mendosis Adversarii Poetis Illustr. FUGGERUM cespitare fecerit, ut a versibus iam recitatis circumventus, eidem solemnitati XXI. Octobris assignaret, quod quidem laudatus STRUVIUS iam animadvertit. Decepit præterea & GUILLIMANNUM, qui eiusdem carminis auctoritati tantum tribuit, ut exinde rem iam compertam existimaret: *Imperialem coronam accepit*, inquit, *feria tertia post festum diem D. Lucæ Evangelistæ*, A. D. N. CIↃCCLXXIII. *Quod ideo notavi, quia varie super die* ELECTIONIS, CORONATIONISQUE, *omnes hucusque prodidere. Ita autem rem esse testantur etiam vulgati eo tempore versiculi &c.* (c) Adducit deinde versus, a nobis iam

Alii Scriptores ab iisdem Poetis decepti.

a b c

(a) Hist. Eccles. tom. XVIII. §. XXV. Rodolfe fût elû le dernier jour de Septembre 1273. - - - il fût couronné à Aix-la-Chapelle un mois aprés son election.

(b) Corp. Hist. Germ. P. IX. §. X. p. 517. not. 36.

(c) Habsburg. lib. VI. p. 443.

iam recitatos, quibus tamen nihil magis efficit, quam quod iisdem in errorem adductus, multis etiam aliis errandi viam aperuerit.

Quæ singula cum iteratam eorum editionem non impedierint, inconstantis Doctrinæ Adversarius, non P. HERRGOTTUS accusandus.

IX. Hanc veritatis stragem cum, maximam partem, fecerint Poetæ, eos tamen luce publica denuo donare nihil dubitavit Adversarius, excusandus forte, si quid de erroribus eorum monuisset, & nisi vel ipsi inter se digladiarentur: at vero, cum adeo mendosi, ne dicam mendaces, sint, ut tam sibi ipsis, quam Historicis coævis contradicant (quæ omnia ignorare nec poterat, nec debuerat Adversarius; scimus enim quæ sint editorum eiusmodi rerum officia) inconstantis eum doctrinæ seu hypotheseos iure, meritoque postulamus, criminis nimirum illius, quod hic loci, in fronte libri, atque adeo in omnium oculis, P. HERRGOTTO satis acerbe impegit: sed recidit in Auctorem, quod iecit in alterum. Nonne enim iusto prorsus titulo *inconstantis doctrinæ* accusandus est, qui, cum id genus Scriptores, quorum auctoritate, ac relatione alii decepti, IN ERRORUM DEVIA declinarunt, *proscribendum, omnemque eorum usum interdicendum* contendit; ipse tamen similes, id est eiusdem farinæ, orbi litterato obtrudit? Contra vero, quo pacto *inconstantis doctrinæ* arguendus est is, qui falsa a veris, dubia a certis, quod boni Critici officium est, discernens, proiectis paleis, colligit triticum? Fecit id certe & prudentissime quidem P. HERRGOTTUS, qui, cum non nesciret, quo loco in Genealogia Habsburgica haberetur Anonymus Murensis a ceteris, nec non prævidisset etiam, eundem, quo ad hoc argumentum, quantivis fore usus, sapienter examinandum suscepit. Quod gravissime quidem exsequutus, explosis erroribus: quæ vera esse comperit, ambabus, ut aiunt, manibus amplectenda esse, pro consueto suo candore, non uno loco pronuntiavit: ex quibus unicum hic, qui tamen instar omnium (quandoquidem quilibet optimus verborum suorum interpres creditur) esse potest, adducere visum est: *In reliquis*, ait, *ubi Actis Murensibus correspondent monumenta coæva, non video, cur illis fides denegari debeat; quandoquidem non tam Actis ipsis, quam diplomatibus, quibus suffulciuntur, illa fides omnino ha-*

a *benda est* (a). Quid apertius? Sed hac de re in consequentibus plura.

Qui aliorum Eruditorum exempla secutus,

X. Ceterum eadem ratione Anonymo Murensi usi sunt etiam alii viri Eruditi, superius nominati, BLONDELLUS nimirum & ECCARDUS, ut ex ipso Adversario discimus (b); qui etsi ITÆ stemma, prout ab Anonymo profertur, explo-
b serint, in reliquis tamen *se inoffenso pede eiusdem vestigiis in-*
c *sistere posse*, idem ECCARDUS asseverare nihil hæsitavit (c). Nec aliam viam ingressus est Reverendissimus ac Eruditissimus CALMETUS. Is enim, quanquam eodem ad recensendam Genea-
d e logiam Habsburgicam prolixe utatur (d), mox data opera (e) atque argumentis evidentissimis, errata eius pleraque, maxime vero, quæ contra veram originem Augustæ Gentis Lotharingicæ scripsit, sufflaminat. Adeo Scriptorum veterum hallucinationes non obsunt, quin iis tamen in aliis plenam accomodemus fidem. Turbidi sint fontes, at nonnunquam ex iis etiam puræ & defæcatæ hauriuntur aquæ.

Anonymo non nisi post severum examen, cumque grano salis usus est.

XI. Recte igitur & apposite sub rigorosum examen revocatus est Anonymus iste. Hac quippe ratione duo assecutus est MARQUARDUS, primum, ut exinde quivis æquus rerum æstimator colligeret innatum viri candorem, ut qui auctoris, quem maxime etiam, ceu testem alioquin satis opportunum, in succum & sanguinem, quod aiunt, convertere potuisset, errata ac sphalmata dissimulare noluit. Nonne vero illud, ut Auctori honorificum, ita & argumento, quod versabat, non exiguum pondus ac robur addidit? Quod scilicet ex limpidissimis fontibus haustum nemo dubitare poterat ab illo, qui turbidos non nisi post puros, idque summa cum cautione adhibendos censuit. Alterum, quod hac ratione præstitit MARQUARDUS, eodem fere redit. Nimirum, cum prævideret, laudato Scriptore ac ipsius diplomatibus, nonnunquam utendum sibi fore, occupandum erat, quod aliquando,

(a) Geneal. Diplom. lib. II. cap. IV. num. V.
(b) pag. 13.
(c) Apud HERRGOTT. proleg. III. §. I.
(d) loc. cit. col. CLXXXIII. seq.
(e) ibid. col. CXCVIII.

do, Anonymi erroribus, ab alio forte, ut fieri solet, detectis, obiici potuisset: Genealogiam nimirum fallibili subinde niti fundamento, *mendosis* scilicet *Actis Murensibus.* Quare ubi Auctorem hunc a pristino, quem possidere videbatur, gradu deiiciendum, eique alium locum, quem magis meruit, assignandum, ostendisset: eiusdem Actis circumspecte admodum, & velut copiis duntaxat auxiliaribus usus est, idque maximam partem, ubi ad Scriptores provocat, aut diplomata, testimonia videlicet inconcussa, atque omni fide dignissima, adducit. Sed de his omnibus nos alibi uberius agemus: hic tamen breviter delibanda erant, ut Lector benevolus velut uno sub aspectu videret, quam nulla Adversario caussa fuerit, Genealogiam Diplomaticam tam acerbe sugillandi, quamque totum eius systema infirmo atque labili nitatur fundamento.

CAPUT II.

Defenditur P. HERRGOTTI Prolegomeni III. Genealogiæ Diplomaticæ paragraphus I. ubi, *Acta Murensia a recentioribus Scriptoribus magni habita*, dixit.

I. ADversarium ipso in vestibulo, & velut a ianua aberrasse, demonstratum est capite præcedenti: num iam res illius felicius successerint, cum ipsum stadium ingressus est, intuendum. Clar. P. HERRGOTTUS, ut Lectoribus suis plenam, planamque, Scriptoris Murensis propinaret notitiam, aliorum statim de eo, ut cordatum virum decebat, proposuit iudicium; utque nihil dissimularet, ab iis initium duxit, qui eum insigni prorsus extulerunt laude, quos inter GUILLIMANNUM, *Christophorum* HARTMANNUM, ECCARDUM, nec non *Bernardum* PEZIUM, omnes insignes viros, adnumerat. His quod non cœca quadam mente subscripserit HERRGOTTUS, indignationem incurrit Vindicis: „ Alienis „ etiam ex laudibus eidem adversari, conquerentis, quippe „ quem tum maxime videatur parvi habere, dum ab aliis

Auctoritas Anonymi Murens. antiquis Instrumentis perperam æquiparatur;

pag. 4.

 „ mag-

„ magni habitum ſcribit. Attollere nimirum ut deprimat,
a „ atque adeo gravior ſit ex faſtigio ruina (a). „ Multa præterea alia verba facit, quæ tamen verba duntaxat ſunt, & parum probant. Præprimis autem eundem male habet, quod non plus detulerit HERRGOTTUS iudicio GUILLIMANNI ſcribentis: *Maior apud me fides libello fundatorum Murenſis Monaſterii* SUPER ANTIQUA INSTRUMENTA.

Nam id recepto axiomati diplomatico repugnat, Frustra excipiente Adverſario, pag. 7. Ibid.

II. Crediderim ego, GUILLIMANNUM ita ſenſiſſe, num vero recte, & an aliis etiam hanc fidem fecerit? hoc eſt, quo de merito dubitamus. Advertit hoc Adverſarius, dumque maxime in eo eſt, ut & P. HERRGOTTUM ad GUILLIMANNO ſubſcribendum, verbis adigat, in aliud ſe extremum prolabi videt, quo communne atque viris doctis hodie tantopere probatum axioma diplomaticum convellere cogitur: *In Genealogicis* (adde & in ceteris rebus, ad fidem hiſtoricam pertinentibus) *diplomata ac chartas maiorem nobis fidem facere, quam Scriptores, utut coævi, & ab omni mendacio ſint alie-*
b *niſſimi* (b). Hinc enim ut ſeſe extricaret Adverſarius, hanc regulam non niſi cum *exceptione* admittendam eſſe contendit: *tunc videlicet, quando de eo, quod Scriptor coævus, vel quaſi, poſitive aſſerit, diploma abſtrahendo* PENITUS CONTICESCIT. Mira prorſus exceptio, ſed quam tamen non invitus amplector; nam ubi diploma de eo, quod quæritur, *penitus conticeſcit*, fidem etiam nullam flagitet, neceſſe eſt; & ego quidem, hoc poſito, vel ipſum APOLLINEM nihil extundere poſſe firmiter teneo, etiamſi integrum chartarum, diplomatumque plauſtrum, & quidquid ex cana antiquitate tempus edax rerum nobis reliqui fecit, adveheretur. Fides enim ubi teſtes & teſtimonia: hiſce deſideratis, nequiquam poſtulatur. Verum mox apertius mentem ſuam explicat Adverſarius, audiamus illum: *Quando*, inquit, *Scriptor Murenſis non nomen duntaxat, ſed & ſtemma v. g.* RADEBOTONIS *clare, & veluti ex profeſſo docet, econtra diploma*, a P. HERRGOTTO *allegatum, nudum* RADEBOTONIS *cuiusdam nomen, incidenter quidem, ad-*

(a) Vindic. p. 4.
(b) Verba ſunt HERRGOTTI Proleg. L. §. V. ubi hæc pluribus exſequitur.

adducit, stemma autem alibi quærendi curam relinquit. Hic enim vero scire velimus, cuinam, Sciptori illi an diplomati, genealogus maiorem fidem habere debeat? Maiorem sane, imo omnem merebitur fidem is, a quo stemmatis illius notitiam acceperis. Hæc Adversarius loco citato, quo etiam ea omnia collimant, quæ in præcedentibus dixerat, a nobis studio duntaxat brevitatis omissa, non ignaris, *conclusionis* falsitate ostensa, etiam *præmissas* vacillare ac ruere.

III. Digitum autem hic intendit ad librum *Genealogiæ Diplomaticæ* II. eiusque caput VII., ubi de RADEBOTONIS, Comitis *Cleggoviæ*, stemmate. Parum autem, pace eiusdem dixerim, sibi constans videtur; nam cum paullo ante, tum potissimum contra diplomata excipiendum docuisset, si illa *penitus conticescerent*; mox in adducto a se exemplo saltem *nudum* RADEBOTONIS nomen legi ultro profitetur. Magnum autem discrimen, opinor, inter altum silentium, atque nominis saltem nudam confessionem. Sed neque hisce omnia ea dixit, quæ dicenda fuerant; adiicitur enim præterea nomen dignitatis, id est titulus COMITIS, immo & pagus: IN PAGO CHLEUGEUVE, *in Comitatu vero* RADEBOTONIS COMITIS. Denique & ibidem æram CHRISTI 1023. legimus, rem in Scriptore Murensi fere ubique neglectam, quæ quantum in omni tractatione historica, tum in rebus præsertim Genealogicis, opportuna ac necessaria sit, quantumque iisdem lucem accendat, ii intelligunt, qui id genus artes ac scientias non summis duntaxat labris attigerunt. Verum nondum integrum habemus Adversarii peccatum. Is enim gratis fingit, eo loco de concursu Scriptoris cuiusdam antiqui & diplomatis, sibi invicem contradicentium, agi. Quoad hoc enim Scriptori Murensi nihil admodum præfertur, nihil cum eo contenditur, quin immo vel maxime vocatur in subsidium. Adscribamus ipsissima HERRGOTTI verba: „In præcepto „HENRICI II. Imp. quo Rhinaugiensi Monasterio prædium „*Wizzenburc* donatur, *IV. Kal. Nov.* an. 1023. *Tom. II.* „*num.* CLXVI. dicitur prædictum prædium situm esse *in pa-* „*go* CHLEUGEUVE, *in Comitatu vero* RADEBOTONIS COMI- „TIS. Quoniam vero tunc temporis in tractu Argoviæ &

Eodemque parum sibi constante,

„Al-

„ Alſatiæ nullus alius hoc nomine RADEBOTONIS Comitis „ occurrit, quam hic noſter Comes in pago *Chleugeuve*, id „ eſt *Cleggoviæ*, quem Acta Murenſia filium KANZELINI, pa- „ tremque OTTONIS, ALBERTI & WERNHARII conſtituunt, „ qui citra controverſiam HABSBURGI COMITES fuerint; ſe- „ quitur hunc ipſum RADEBOTONEM maiorem quoque, & „ quidem in VII. gradu, cenſendum eſſe reſpectu RUDOLPHI I. „ Regis Rom.; ſiquidem WERNHARIUM, RADEBOTONIS filium, „ eiusdem Regis *tritavum* fuiſſe, argumentis ſat ſolidis a no- „ bis demonſtratum eſt. Ex abundanti inſuper hunc Genea- „ logiæ gradum evincunt memorata ſæpius Acta Murenſia, „ ſuffragante iisdem diplomate HENRICIANO. Hallucinantur „ autem in eodem puncto laudata Acta, vel potius qui Acta „ commentariis illuſtrarunt, Abbas *Dominicus* TSCHUDIUS, „ aliique nonnulli, quibus RADEBOTO noſter Comes *Alten-* „ *burgi* audit; cum tamen in citato diplomate expreſſis ver- „ bis *Comes in pago Chleugeuve* nominatur, & a nobis iam „ alibi (*Prolegom.* V.) ſitus huius fabuloſi *Comitatus Altenbur-* „ *gici* in terra omnibus ſinceris Geographis plane incognita, „ in ipſiſſima nimirum Utopia, ſit collocatus.„ Hæc MAR- QUARDUS, quæ quidem integra hic adducenda fuerunt, ut eo magis clareſceret, quam nihil egerit Adverſarius, proferendo hocce de ſtemmate RADEBOTONIS exemplum; quippe ubi omnia aliter ſe habent, quam quod ab ipſo relata ſint.

Quod confirmatur.

IV. Deinde quam non inutilis eſt & inanis eius ſic dicta *exceptio*, cum ex ipſiſſimis HERRGOTTI verbis, hic omnium conſpectui expoſitis, luce meridiana clarius fiat, Scriptori Murenſi hic litem ob ſtemma RADEBOTONIS haudquaquam intendi, immo quoad hoc vel maxime laudari, ac velut ſuccentorem in ſubſidium advocari: ſed ideo tantum, quod ab eo, idem RADEBOTO, *Comes* ALTENBURGI vocetur, id quod aliis occaſionem præbuit, Comitatum eiusmodi nequicquam ſtatuendi, quibus tamen oppoſitum eſt P. HERRGOTTI Prolegomenon V., quo fabuloſus hic Comitatus ex orbe antiquo relegatus fuit. Scio equidem quid Adverſarius hoc loco porro opponendum putaret, immo revera opponit, Genealogiam nempe Habsburgicam non *vi & virtute Inſtru-*

men-

mentorum, *sed Murensium duntaxat Actorum* contextam esse (a), atque hic etiam stemma RADEBOTONIS non aliunde, quam ex iisdem Actis ostendi posse. Sed recurret hoc argumentum alibi, ubi de stemmate RADEBOTONIS data opera tractaturi, satis superque faciemus. a

V. Nunc mihi breviter adhuc perstringendus est Adversarius, qui P. HERRGOTTUM, *Christophoro* HARTMANNO succensere dicit, eo quod is in *Annalibus Eremi* Anonymi Murensis auctoritate nitatur. En verba HERRGOTTI innocua: *Christophorus* HARTMANNUS, ait, *illum variis in locis citat*, *eiusque auctoritate nititur*. Ubi vituperii, aut indignationis vola vel vestigium? & hoc tamen *succensere* significat in lexico Adversarii.

Vindicatur P. HERRGOTTUS ab a ia obiectatione.

CAPUT III.

Confirmatur eiusdem Prolegomeni paragraphus II., quo *Acta Murensia a* BLONDELLO *in dubitationem adducta fuisse* docetur.

I. OPponimus hoc caput, capiti Adversarii II. quo paragraphum P. HERGOTTI itidem secundum, elevare studet. Recensitis nempe non sine laudis præfatione Scriptoribus, qui Anonymum Murensem in sublimissimo humanæ fidei fastigio locarunt, ad eos progreditur P. HERRGOTTUS, qui eum retrahendum, ac in gradu nonnihil inferiori collocandum putarunt; vacillante quippe in nonnullis eiusdem fide & authentia. Hos inter BLONDELLUM fere commemorat, Acta hæc *mendosa* appellantem, quanquam quid BLONDELLUM ad tale ferendum iudicium moverit, se in BLONDELLO non legisse fateatur. Continuo adest Adversarius, suppetias laturus, at suppetias nunquam petitas, & vel ideo suspectas; quia ab Adversario. At utrumque tamen supplere hic studet, BLONDELLO nempe, quem P. HERRGOTTUS solum excitaverat, ad-

Fides Anonymi Murens. ut vacillet apud BLONDELLUM,

(a) Vindic. p. 6. & 8.

Et Schoenlebenium. adiungit SCHOENLEBENIUM, cuius tamen iudicium præceps & inconſultum, ut in antecedentibus diximus, non approbamus. Deinde poſtquam HERRGOTTO obieciſſet, ſuſpecto Auctori, qualis haud dubie hoc in negotio BLONDELLUS ſit, fidem adhibendam non fuiſſe, etiam alterum huius paragraphi membrum perficere ſatagit, ſibi dicens licuiſſe eſſe tam felici, ut quod HERRGOTTUS invenire non potuerit in BLONDELLO, ipſe apud ECCARDUM invenerit. Subiungit deinde cum ipſius ECCARDI, tum Scriptoris cuiusdam Galli, ad excuſandos Anonymi errores longiſſimos textus, qui huius capitis utramque fere paginam faciunt. De his omnibus nunc nobis agendum eſt.

Cur & qua ratione prioris auctoritas a P. Herrgotto adducta fuerit. II. Laudamus hic cumprimis ac merito quidem, Adverſarii ingenuitatem, qui iam ipſe non diffitetur, *quosdam Genealogiæ Habsburgicæ eſſe Scriptores, qui - - - acrius in Genealogum Murenſem invehantur*, quanquam quod id *finiſtro* vel *affectu* vel *ſuppoſito* fieri velit, non æque probare poſſumus; quippe cum a veritatis tramite longius abſit. Eidem aſſenſum præbere pariter nequimus, cum BLONDELLUM in teſtem advocandum fuiſſe negat. Licet enim a ſtudio partium, ut HERRGOTTUS probe atque ante Adverſarium advertit, in rebus Habsburgicis *immunis haud ſit*, exinde tamen conſectarium minime fit, eundem ubique & ſemper talem eſſe. Nego etiam ac pernego, BLONDELLUM hic ut teſtem excitari, quin potius ſimplici relatione hiſtorica annuntiat HERRGOTTUS, quis primus fuerit, qui Actuario dicam ſcribere auſus ſit. *Primus*, inquit, *qui fidem auctoritatemque Actorum Murenſium in dubitationem adduxerat*, BLONDELLUS *fuit*, *Scriptor Gallus ſat celebris*, *quanquam ſtudio partium haud immunis*. Hinc eſt, quod eiusdem rationibus ac momentis, quibus adductus, hoc fecerat, adeo ſibi opus non eſſe cenſuerit P. HERRGOTTUS, ut potius boni ac cordati viri eſſe reputans, ſuis, quam alienis oculis magis fidere, remque ipſam explorare, atque decantatum Scriptorem data opera, ac proprio Marte ſub examen revocare maluerit, quod & ſubſecutis ſectionibus egregie præſtitit. Quare HERRGOTTO nullum officium tribui credat Adverſarius, cum quod *apud* BLONDELLUM P. HERRGOTTUS *ſcrip-*

Proleg. III. §. II.

pag. 11.

tum

tum non invenit, *invenire sibi licuisse apud* ECCARDUM scribit. Nam invenisset utique & ipse, si quærere voluisset; nunc autem noluit, quia propria, quam aliena vitula, arare maluit.

III. Nihilominus intuendum est, quid invenerit Adversarius apud ECCARDUM. Agens ille de ITA, RADEBOTONIS coniuge, quæri ait, cuius THEODORICI Lotharingi soror ea fuerit? nam de ea, in genealogia, Actis præfixa, hæc habemus: *Theodoricus Dux Lothuringorum & Couno Comes de Rhinfelden fratres fuerunt*, *horum soror fuit Ita Comitissa de Habsburg*, *reparatrix huius Murensis cœnobii.* VIGNIERIUS, etsi ingentem temporum differentiam viderit, ITAM tamen THEODORICI II. Ducis Lotharingiæ sororem constituit, cui subscripsit CHIFFLETIUS, ambo *seducti a Genealogia vetere*, *Actis Murensibus præfixa*, inquit ECCARDUS. Quare is sententiam BLONDELLI adoptavit, opinantis: *intelligi debere* THEODORICUM I. *Ducem Lotharingiæ Barrensem*, *cuius tempora accurate cum* ITÆ *ætate conveniant* (a). Triumphat hic Adversarius, atque lætabundus exclamat: *En! qua ratione Scriptorem veterem nunc erroneum*, *mox autem verum habere possimus*, *ex sensu videlicet*, *quem ipsi attribuimus. Sæpe is errat errore nostro*, *talemque habemus*, *qualem intelligimus. Ita sane*, *si genealogiam Murensem hic intelligas de Theodorico illo II. Duce Lotharingiæ*, *manifeste non erres ipse tantum*, *sed & genealogia*, *hoc sensu imbuta*, *erronea sit oportet* &c. Hæc Adversarius; sed pæana canit ante victoriam, ut mox audiemus: interim videndum, ut hanc BLONDELLI & ECCARDI opinionem, quam nos quidem pridem novimus, confirmet. Excitat nimirum novissimum Scriptorem *Gilbertum Carolum le* GENDRE (b), qui adversus CHANTERAVIUM, virum non minus doctum, insurgit, eo quod systema Anonymi Murensis sub examen revocans, erroneum esse pronuntiaverit.

Error Anonymi circa ITÆ, RADEBOTONIS conjugis, stemma.

a pag. 13.

b

IV. Illius proinde verba integra, etsi longiuscula, prout apud Adversarium latinitate donata habentur, hic adducere debeo; cum is magnum, immo maximum in iis momentum po-

Quem componere nititur Adversarius ex D. GENDRIO,

(a) Vid. ECCARD. Orig. Habsb. lib. 2. c. 3. p. 75. & Adversar. hic p. 12. seq.
(b) Des antiquités de la Maison de France &c. p. 344. seq.

ponat, ſic autem habent: „ Quintum ſyſtema habetur in „ genealogia Comitum de Habsburg.--- ſed hoc inſtrumen- „ tum revera *authenticum*, *tametſi etiam valde obſcurum*, nul- „ lam habet relationem ad Domum Lotharingicam; fuitque „ occaſio erroris, in quem incidit CHANTERAVIUS. Hic e- „ nim ex eo, tanquam fundamento, probare ac defendere „ conatus eſt, GERARDUM de Alſatia (qui ab HENRICO III. „ Imp. in poſſeſſionem Lotharingiæ immiſſus eſt an. 1048.) „ fuiſſe filium THEODORICI, FRIDERICO illo progeniti, qui „ BEATRICEM, ſororem HUGONIS *Capeti*, Francorum Regis, „ matrimonio ſibi iunxerat, a BRUNONE Archi-Epiſcopo Co- „ lonienſi, Avunculo ſuo, primus Dux Moſellanæ, ſeu ſu- „ perioris Lotharingiæ conſtitutus an. 958.

Qui genus ITÆ a FRIDERICO Duce Moſellanæ deducens,

„ Verum CHANTERAVIUS valde in incertum diſcurrit, „ ſufficitque illi probaſſe, Domum *Lotharingicam* deſcendere „ ex GERARDO de Alſatia, non vero ex GUILIELMO de *Bolonia*.

„ Ad evitandam confuſionem, *cui genealogia Murenſis* „ *anſam præbuerat*, atque ad explicandam & expediendam „ originem genealogiæ Ducum Lotharingiæ, perquam neceſſe „ eſt, diſtinguere duos THEODORICOS, & quatuor GERARDOS.

Duos THEODORICOS,

„ Primo cavendum, ne confundatur THEODORICUS ex ge- „ nealogia Murenſi (nempe Dux ſuperioris Lotharingiæ, „ frater ITÆ, Comitiſſæ de *Habsburg* dictæ, & ex ſorore „ HUGONIS *Capeti* filius FRIDERICI, Ducis ſuperioris Lotha- „ ringiæ an. 958.) cum THEODORICO ſimiliter Duce ſuperio- „ ris Lotharingiæ, ſed longiori poſt tempore, qui ſtirpe Lo- „ tharingica indubitanter oriundus, filiusque GERARDI de Al- „ ſatia, Ducatu Lotharingiæ inveſtiti an. 1048.

Et quatuor GERARDOS conſtituit.

„ Secundo occurrunt hic quatuor GERARDI; duo de qui- „ bus fit mentio in genealogia Murenſi; unus filius THEODO- „ RICI ex eadem genealogia, nepos alter, Comes de Engis- „ heim: Tertius eſt GERARDUS de Alſatia, pater GERARDI, „ qui Ducatu Lotharingiæ an. 1048. potitus eſt.

„ Conſequenter THEODORICUS, duo GERARDI, & ITA, „ de quibus fit mentio in inſtrumento Murenſi, nihil habent „ commune cum maioribus Ducum Lotharingiæ. ITA, con- „ iux RADEBOTONIS Comitis de Altenburg, nequaquam fuit „ ſoror THEODORICI Ducis Lotharingiæ, qui filius fuit GE-

RAR-

„ RARDI de Alſatia ; ſed ſoror THEODORICI, etiam Ducis „ ſuperioris Lotharingiæ, qui ſc. filius erat Ducis FRIDERICI, „ & BEATRICIS, ſororis HUGONIS *Capeti.*

„ ITA mortua eſt an. 1026. & THEODORICUS frater eius „ obiit an. 1024. cum econtra THEODORICUS, filius GERAR„ DI de Alſatia, valde fuerit iuvenis, quando an. 1070. pa„ tri ſucceſſit, nec niſi an. 1115. e vita migraverit, nimirum „ 89. annis poſt ITAM, uxorem RADEBOTONIS, Comitiſſam „ de *Habsburg*, ſic dictam a marito, & 91. annis poſt alte„ rum THEODORICUM, Ducem Lotharingiæ, FRIDERICI filium.

„ GERARDUS ex genealogia Murenſi, filius THEODORICI, „ Duce FRIDERICO progeniti, nequaquam (veluti CHAN„ TERAVIUS opinatur) eſt GERARDUS de Alſatia, Dux Lo„ tharingiæ, pater THEODORICI, ſimiliter Lotharingiæ Du„ cis, an. 1115. demortui, ſtirpis indubie Lotharingicæ. GE„ RARDUS enim ille ex genealogia Murenſi, nihil habet com„ mune cum Domo Alſatiæ, ſicut neque GERARDUS de E„ GISHEIM, de quo pariter fit mentio in eadem genealogia, „ neque huius filii ULRICUS & STEPHANUS. Totum hoc alie„ num eſt a Domo Alſatiæ & Lotharingiæ, de qua hic agitur. „ Quapropter in Actis Murenſibus nihil habetur contrarium „ ſeu veræ genealogiæ S. ARNULFI, ſeu fundationi Boſoniſ„ villæ, aliisve tabulis authenticis Domus Lotharingicæ. Ex „ una & altera parte ſunt perſonæ totaliter diverſæ. Hic e„ rat ſcopulus revera difficulter evitabilis ; concurſus nempe „ duorum THEODORICORUM, qui ambo Duces ſuperioris Lo„ tharingiæ fuerant &c.

V. Hucuſque diſputatio viri illuſtris *Caroli* GENDERII, quæ utinam ſicut prolixa, ita & a fabulis expurgata eſſet; ſed de eo revera dicendum eſt, quod, qui fumum evitare voluit, inciderit in flammas, &, qui alium ſanare conatus eſt, febrim ipſe non evitaverit. Habet autem veteres componendi Scriptores re ipſa facillimum, ſi Superis placet, modum: fingendi, puta, licentiam, quam tamen nos hactenus *Pictoribus atque Poetis*, non item Genealogis & Hiſtoricis, permiſſam fuiſſe credidimus. Nam ſi quatuor GERARDOS conſtituere licet, cur non etiam octo? Nos certe cum probatiſſimis huius tem-

Sed fictitie ;

poris Hiſtoricis ac Genealogis in hunc uſque diem non plures, quam duos GERARDOS, qui eam, qua de quærimus, ætatem vel in Lotharingia, vel Alſatia vixerint, novimus, eſtque res infinitis prope monumentis veterum ita teſtata, ita firmata, ut eam nemo unquam negare queat, vel audeat, niſi qui fabulis magis indulgendum exiſtimet, quam litandum veritati. Hoc vero ut Lectoribus clare ante oculos ponamus, pluribus opus non eſt, quam tabulas genealogicas cum Ducum Lotharingiæ priorum, tum Comitum Alſatiæ atque Egisheimenſium, de quarum veritate nemo unus dubitat, oculo vel fugitivo intueri.

Quod oſtendit dicti FRIDERICI genealogia;

VI. Damus ergo tabulam genealogicam ex opere immortali, hiſtoria Lotharingica Reverendiſſimi CALMETI confectam.

a b

FRIDERICUS I. Comes Calvimontis, fit Dux Barrenſis an. 958. (a), a BRUNONE Archiepiſc. Colonienſi, Avunculo ſuo, Locum-tenens in ſuperiori Lotharingia conſtituitur an. 959. obiit an. 984. (b).

Uxor eius BEATRIX, HUGONIS *Capeti*, Reg. Franciæ, ſoror. Hæc in charta Senonenſi iam an. 938. Duciſſa appellatur.

THEODORICUS I. ſucceſſit an. 984. ob. an. 1024. ux. RICHILDIS, ſeu SONECHILDIS.	ADALBERO II. Epiſc. Virdunenſis an. 984. fit eodem anno Epiſcopus Metenſis, abdicato Epiſcopatu priori, ob. an. 1005.	HEZELINUS, ſeu HENRICUS, Comes de Voivre. Eius obitus in Necrologio Abbatiæ S. MICHAELIS die 21. Octobris notatur.

SIMON, Comes de Brié, qui obiit ante patrem.	FRIDERICUS II. qui patri ſucceſſit. Obiit circiter annum 1032. 7. Aug.	FRIDERICUS III. Epiſc. Metenſis ab an. 1047. ad 1072.	BALDUINUS, præcoci morte extinctus.	ADALAIS. Marit. VALERANUS, Comes *Arlconis*.

BEATRIX. Marit. BONIFACIUS March. Etruriæ.	SOPHIA. Marit. FRIDERICUS Comes de Monçon & Pherreti. Ob. an. 1069.	PETRONILLA. Hanc addit *Joan. de* BAYON, ſed cui fidem non adhibet CALMET.

VII.

(a) De tota hac Genealogia vid. CALMET. Hiſtoire de Lorraine tom. I. col. CXCIII. ſeq. edit. I. item col. CCLXXXV. ſeq. edit. II.
(b) Ibid. tom. II. col. 103.

VII. Poſt hæc (pergit idem (a) Celeberrimus Scriptor) Imperator CONRADUS *Salicus* Lotharingiam ſuperiorem GOZELONI gubernandam dedit, qui inferiori iam tum imperabat, hasque duas provincias ad mortem uſque ſuam rexit, quæ ei an. 1044. obvenit. Patet ergo, atque luce meridiana clarius eſt, 1mo FRIDERICO I. Duci ſuperioris Lotharingiæ, ac BEATRICI, eius coniugi, nullam aliam, præter tres memoratos filios, fuiſſe prolem: Hincque 2do gratis ac præter omnem fidem hiſtoricam adſtrui, ITAM, huius FRIDERICI filiam, atque THEODORICI I. ſororem fuiſſe; nec dici poteſt, BEATRICEM, mortuo FRIDERICO Duce, ad ſecunda vota, cum Principe quodam extraneo tranſiiſſe; cum certo conſtet, eam in ſtatu viduitatis conſtanter perſeveraſſe. Quod ſi etiam largiter daremus, BEATRICEM ſecundis nuptiis animum applicuiſſe, non video, ut adhuc filium, filiamque ſuſcipere potuiſſet; quippe quæ anno iam 938. Ducifſa appellata, ut in tabula genealogica ſtudio notavi, poſt obitum mariti, qui anno 984. evenit, annum ætatis, ad minimum, quinquageſimum agebat. Verum ſatis ſit, eam perſeveraſſe viduam, ut paullo inferius audiemus.

Unde namque diſcimus, eidem nullam filiam ITAM nomine, a

VIII. Conficitur etiam tertio, progeniem FRIDERICI *Barrenſis* in FRIDERICO II.; utpote qui ſine maſcula prole, ut laudatus CALMETUS loco mox citato expreſſe notat, deceſſit, extinctam fuiſſe. Unde igitur quæremus duos illos GERARDOS, THEODORICI I. ut prætenditur, filios? num in concavo lunæ? ſed puto, neque ibi, nec alibi reperiundos; quippe quod nunquam natos.

Eiusque progeniem in FRID. II. extinctam fuiſſe.

IX. Obſervo autem præterea, quod, etiamſi per ſummam indulgentiam, ac contra nitente hiſtorica veritate, hypotheſin illam, qua ITA FRIDERICI Barrenſis ac ſuperioris Lotharingiæ Ducis, ex BEATRICE, filia conſtituitur, admitteremus, nullum propterea Scriptori Murenſi lucrum accreſceret: quin aliud, præcedentibus haud paullo gravius, emergeret inconveniens, quo, tali ſubſiſtente hypotheſi, Comites *Egisheimenſes*, ex Comitibus *Calvimontis* deſcendere, ſtatuendum

Obeſt quoque genealogia Comitum Egisheimenſium,

(a) Ibid. col. CCLXXVII.

foret, id quod quantam in genealogia ac historia Alsatica, Lotharingica atque Habsburgica, confusionem pareret, nemo melius intelligit, quam qui seriem eorundem genealogicam apud præcipuos huius argumenti mystas, VIGNIERIUM, ECCARDUM, CALMETUM, HERRGOTTUM, SCHOEPFLINUM vel obiter inspexerit; quare nec operæ quidem pretium erit, schemata isthæc genealogica hic ante oculos ponere.

Ducumque Lotharing. hodiernorum,

X. Observo ulterius, fallere Scriptorem Murensem, cum THEODORICO, Duci Lotharingiæ, CHOUNONEM, seu CONRADUM de Rhinfelden, fratrem assignat. Probatio in promptu est. Quando enim FRIDERICUS ille non plures, quam laudatos iam filios genuit, nec BEATRIX, uxor eius, ad secunda unquam vota transiit; plane consequitur, ut CONRADUS ille eidem falso ac præter fidem attribuatur.

Quanti ergo in uno Scriptore errores? quæ rerum omnium, si ipsi fides tribuenda, confusio, turbatioque? ut mirum oppido sit, tam diligentem, tamque operosum, nancisci potuisse defensorem. At enim nemo existimet, iam omnia a nobis recensita fuisse eiusdem peccata. Præterquam enim, quod de iis non unus alius dicendi recurret locus: audiendum, atque addendum iam est sæpe laudati Reverendissimi CALMETI de eo iudicium: quo quidem nonnulla alia eiusdem notantur sphalmata, iam memorata vero, accedente Viri Eruditissimi auctoritate, magis magisque confirmantur; sic
a autem habet (a):

Quod egregie demonstrat Abbas CALMETUS

XI. Abbatia Murensis in Helvetia a WERNHERO, Episcopo Argentinensi, LANCELINI filio, ac fratre LANCELINI & RADEBOTONIS an. 1027. fundata est (b). Idem WERNHERUS castrum Habsburg, primam Comitum Habsburgico-
b rum, unde hodierna Domus Austriaca descendit, sedem ædificavit. *Ego Wernherus Strasburgensis Episcopus, & castri, quod dicitur Habesburg, Fundator, Monasterium in patrimonio meo, in loco, qui Mure dicitur, construxi, cui prædia, quæ hereditario iure mihi contigerant, per manum fratris mei Lan-*

(a) Loc. cit. col. CXCVII. edit. II. & col. CXXIX. editionis primæ.
(b) Annales Bened. T. II. p. 331.

Lancelini - - - contradidi, verba sunt eiusdem, in charta fundationis huius Monasterii, data an. 1027. ITA Comitissa, RADEBOTONIS uxor, adeo liberalem adversus illud se exhibuit, ut eam nonnulli *Fundatricem* eiusdem putarent. Prima Monachorum colonia ex Abbatia Monasterii Einsidlensis eo deducta fuit. Primi illorum Superiores, Præpositi duntaxat salutati, deinde vero Abbatiali dignitate aucti fuerunt. Hodierni Abbates titulum S. R. I. Principum ideo obtinuerunt; quod Monasterium eorum Augustæ Domus Austriacæ velut cunæ reputetur, quodque ibidem primæ eius notitiæ conservatæ fuerint.

Monachus quidam eiusdem Monasterii, qui anno 1128. sub RONZELINO Abbate scripsit (a) cuiusque Chronicon laudatæ Abbatiæ Monacho circiter annum 1240 continuatum fuit, docet, GUNTRAMNUM *Divitem* Domus Austriacæ satorem, patrem KANCELINI, seu LANCELINI, Comitis Altenburgi, fuisse, ex LANCELINO autem propagatum RADEBOTONEM, maritum ITÆ, Benefactricis Abbatiæ Murensis, ex RADEBOTONE denique genitos Comites, OTHONEM, ALBERTUM, & WERNHERUM; quorum hic ultimus præsens adfuit Dedicationi Ecclesiæ Murensis.

Habes hic genealogiam apte sibi cohærentem, ac utrique Domui, Austriacæ puta atque Lotharingicæ plane gloriosam: etsi eandem ingentibus circumseptam esse difficultatibus videam. Imprimis enim Auctor huius Chronici in eo fallitur, quod ITAM Comitissam sororem WERNHERI Episcopi faciat, cum non nisi fratris uxor fuerit; WERNHERUS enim frater Comitis RADEBOTONIS erat, ITA vero eiusdem Comitis uxor. 2do Eandem Comitissam sororem THEODORICI Ducis Lotharingiæ facit (b), atque adeo filiam FRIDERICI I. & BEATRICIS Ducis & Ducissæ Lotharingiæ & Barri; cum tamen ITAM ex FRIDERICO & BEATRICE prognatam fuis-

(a) DOMINICI *Abb. Murens. Origo & genealogia Gloriosissim. Comitum de Habsburg - - - ex antiquis Monasterii Murensis monumentis.* Hæc genealogia primitus Parisiis sub ementito impressionis loco, cura Celeb. PEIRESKII prodiit. Vide plura singularia atque observatu digna de hoc MS. eiusque genealogia, quam continet, apud R. P. HERRGOTT. t. I. Proleg. III. p. XXIII.

(b) VIGNIERIUS putabat, hunc THEODORICUM filium fuisse GERARDI, Comitis Alsatiæ, quod impossibile est; cum ITA circa annum 1026. & THEODORICUS an. 1070. adhuc admodum iuvenis obierit.

fuiſſe, nobis plane peregrinum ſit; omnes contra domeſtici Hiſtorici & Chronographi affirment, eisdem præter THIETRICUM
a ſeu THEODORICUM (a) nullam plane fuiſſe ſobolem. Ad hæc genealogia S. ARNULPHI expreſſe notat THEODORICUM BEATRICIS filium, huncque patrem Ducis FRIDERICI conſtituit, adeoque non Ducis GERARDI.

3^tio^ Nec magis dici poteſt, BEATRICEM, poſtquam anno 953. (lege anno 984. ſecundum tabulam chronologicam, ſuperius datam) vidua facta eſt, ad ſecunda vota cum Principe extraneo, convolaſſe. Vidua enim permanſit, ac Lotharingiæ adminiſtrationem tempore ſat longo tenuit, ita quidem, ut THEODORICO filio vi opus fuerit, ad eam a regi-
b mine an. 1011. deiiciendam (a).

4to CUNO, ſeu CONRADUS de Rhinfelden, quem Hiſtoricus iſte pro fratre uterino ITÆ Comitiſſæ venditat, novum difficultatis nodum involvit. Sive enim dicamus, BEATRICEM, matrem THEODORICI, ſecundis votis Comiti de Rhinfelden nupſiſſe; ſive RICHILDEM, uxorem THEODORICI, filiam fuiſſe Comitis de Rhinfelden ſtatuamus, neutri ſuffragatur hiſtoria, neque etiam hoc ultimum probaret, CONRADUM fratrem uterinum fuiſſe ITÆ Comitiſſæ.

Si dicamus, Comitiſſam ITAM ſororem fuiſſe THEODORICI eo modo, quo erat WERNHERI Epiſcopi Argentinenſis, id eſt, glotis eius, ſeu uxor fratris, habebimus ſolummodo, ITAM, RICHILDEM & CONRADUM fratrem fuiſſe, ex Comitibus de Rhinfelden ortos; & in hac hypotheſi neque ITA, neque CUNO, ſeu CONRADUS, ullo cognationis gradu cum FRIDERICO & BEATRICE coniuncti erunt.

Verum enimvero hiſce etiam admiſſis, difficultas inde orta, quod Genealogus Murenſis GERARDUM Ducem ex THEODORICO Lotharingiæ & Barri Duce natum eſſe dicat, nequaquam ſublata foret; id quod ad nos propius ſpectat, quodque ſummis obſtructum eſt difficultatibus. In hoc enim Genealogus Murenſis adverſatur veræ ac genuinæ genealogiæ S. ARNULPHI, univerſo Eruditorum cœtui tantopere probatæ; ad-

(a) Adde: ADALBERONEM & HEZELINUM. Vid. tab. ſuper.
(b) *Joann* de BAYON cap. 116. & charta S. MAXIMI Barrenſis hic (id eſt: *Hiſt. de Lorr.*) Probat. tom. I.

adverſatur inſtrumento fundationis *Boſonisvillæ*, adverſatur denique cunctis probatiſſimæ, ac indubitatiſſimæ fidei monumentis, a nobis in huius decurſu hiſtoriæ, ac in codice probationum citatis, atque productis. Quare eundem, quantum quidem origines Domus Lotharingicæ concernit, haud ægre deſeremus. Ignorabat nempe hic Scriptor, Domum Dasburgicam & Lotharingicam eandem habere originem; hinc illam ex parte Itæ ducendam putabat, neſciens, altius eſſe repetendam, id quod eidem tamen parum ſucceſſit.

XII. Hæc ſicut prolixe, ita & ex vero Abbas Calmetus, quæ cum non ignoraverit Adverſarius (ut qui hiſtoriam eius Lotharingicam non uno loco citat) comprehendere ſatis nondum potui, cur ita agere voluerit, ut hæc obiecta, quæ Genealogi Murenſis iugulum ſane petunt, diſſimularet, atque tam ſicco veſtigio præteriret. Nam ſi Genealogus iſte ab omni errore, ut obtenditur, uſque eo expurgatus cenſeri debet, nihil ut ei obiici queat, cur non & hanc aſperſam illi notam abſtergere conatus eſt Adverſarius? quandoquidem non minora hic illi obiiciuntur, quam quod a P. Herrgotto factum ſit. Id ergo cum ſtudio neglexerit Adverſarius, argumentum ſane præbet non minimum ſuſpicandi, ſuboluiſſe etiam ipſi, quam omnem Genealogus iſte reſpuat medicinam, quamque adeo nulla ratione, arte nulla ſanari queat. Res enim hæ luculentiores ſunt, quam ut temere negari, vel in dubitationem adduci queant. Sane Rev. Abbatem ſententiæ ſuæ poſt duodeviginti annos adeo non pœnituit, ut in ſecunda operis ſui editione, ex qua adductam verſionem adornavimus, nonnulla ex P. Herrgotto adoptaverit, atque adeo alibi Anonymum *mendoſiſſimum* appellare nullus dubitaverit (a). Quanquam & id haud reticendum, nos eidem in omnibus, a nobis per expanſum relatis, accedere non poſſe. Quod enim vir ſummus de Auctore operis docet, plane novum eſt; neque enim cuiquam adhuc in mentem venit, duos Chronici eſſe auctores, quorum alter anno 1128. ſcripſerit, alter vero circiter annum 1140. opus continuaverit: bene vero genealogiæ præfixæ, ut per decurſum huius operis, a

Quodve amplius confirmatur, ex diſſimulatione Adverſarii,

D præ-

(a) Superius pag. 4. §. IV. & not. e

præſertim cap. XI. expendemus. Puto autem Doctiſſimum Abbatem deceptum eſſe ex præfatione PEIRESKII, a nobis inferius cap. citato adducenda, qua is inſtrumentum aliquod anni 1128. pro figenda Anonymi ætate allegat: ſed illud Abbatem RONZELINUM attingit, non Genealogum. Quidquid de eo ſit, nos certe, rem longe aliter habere, dicto capite demonſtrabimus.

Reiectoque pleniùs GENDERII opinamento.

XIII. Non magis quoque percipere quimus, cui bono, commodove, Adverſarius ſuperius laudati GENDERII teſtimonium in rem ſuam vertendum putaverit; quandoquidem illud parum ſibi profuturum æque prævidere poterat, advertens, nihil novi eſſe, quod is de ITÆ ſtemmate adfert; utpote a BLONDELLO, ECCARDO, (a) CALMETO, (b) & HERRGOTTO (c) pridem decantatum; Genealogum Murenſem eadem medicina, quam GENDERIUS adhibere conatus eſt, ſanare ſtudentibus, dicendo: ITAM, RADEBOTONIS coniugem, a FRIDERICO I. Duce Lotharingiæ Moſellanæ ſatam: ſed in gratiam duntaxat Genealogi, ceterum non ignaris, quibus res ſcateat difficultatibus. Obeſt enim, totumque adeo ſyſtema ſubvertit id, quod Genealogus ſtatim ſubiungit: *Genuit autem Theodoricus Gerhardum Ducem. Ille vero genuit Gerhardum de Egisheim.* Ut enim mox innuimus, Comites Egisheimenſes nequaquam a Ducibus Barrenſibus, ſeu Lotharingiæ, prioribus illis, deſcendunt, ſed ex Comitibus Alſatiæ, qui FRIDERICO nullo plane ſanguinis nexu coniuncti ſunt; hinc, ſtante ea hypotheſi, abſurdum haud paullo maius ſequeretur, genealogiæ Comitum Alſatiæ, Ducumque Lotharingiæ plane contrarium, ut ex antecedentibus patet. Eiusdem farinæ eſt, quod GENDERIUS de quatuor GERARDIS commentatur; nam eo ipſo, quod Genealogus alterutrum eorum GERHARDUM de EGISHEIM nominet, planum fit, illum haudquaquam inter Nepotes FRIDERICI adnumerandum eſſe; cum Egisheimenſes longe aliam habeant originem. Ceterum, quantum eidem GENDERII ſyſtemati etiam Genealogia S. AR-

NUL-

(a) Apud Adverſar. pag. 13.
(b) Paullo ſuperius p. 23. & not. b.
(c) Geneal. Diplom. lib. II. cap. VII. num. VI. pag. 145.

NULPHI contraria sit, cum ex dictis intelligi poterit, tum vero alibi patebit ex dicendis.

CAPUT IV.

Propugnatur paragraphus HERRGOTTI III. ubi de Actorum Murensium editione.

I. DE prima Actorum Murensium editione, a PEIRESKIO curata, egerat P. HERRGOTTUS §. Prolegomeni sui tertio, ubi inter cetera hæc legenda: „ Acta Murensia primo typis excusa sunt anno MDCXVIII. in 4to. Continent paginas LXV. Editionem curavit PEIRESKIUS - - - „ Inscriptionem magnificam editioni præfixit, librum appellans: *Origines Murensis Monasterii --- cum brevi chronico* „ SECULI XI. *quo maior Scriptorum penuria fuit - - - ex* VETUSTISSIMO *codice Murensi, edita - Spirembergii in bibliopolio Bruknausenio.* Verum suspensa hæc hedera spisso errorum pulvere consperfa est; nam præterquam quod falsum „ sit (ut postea pluribus demonstrabo) Auctorem Chronici „ Murensis seculo XI. scripsisse, codicem chartaceum, in quo „ autographum extat, *vetustissimum* deprædicare non oportebat. De primo Anonymi editore P. HERRGOTTI iudicium,

II. Omnia hic displicent Adversario, utut pleraque eorum ad authentiam & auctoritatem Murensis Scriptoris (qua de re tamen, si non solum, primario certe agitur) parum faciant. Sed hoc officium Vindicis esse putavit, nihil ut usquam intactum relinqueret. Imprimis autem velut supervacaneum reiicit, quod primam Anonymi huius editionem Lectoribus suis indigitaverit MARQUARDUS. Reponit enim: *Acta Murensia primo typis excusa an.* 1618. --- NEMO IGNORAT, *quisquis demum hanc editionem curaverit*: PEIRESKIUM *fuisse credamus.* Quasi vero Scriptor Murensis talis ac tantus sit, ut eum nemo ignorare possit: aut P. MARQUARDO integrum haud fuerit, pleniorem de eo notitiam dare, exemplo utique Viris Eruditis usitatissimo. Adeat, quæso, Adversarius *Du* PINIOS, CEILLERIOS, OUDINOS, MABILLONIOS, Immerito castigatum ab Adversario. pag. 20.

Pezios, Ziegelbaurios, tum vero Gesneros, Morhofios, Menckenios, Caveos, Reimannos, Struvios, Stollios, Heumannos, aliosque non paucos Historiæ litterariæ Scriptores, & parvo negotio intelliget, quam variarum editionum notitia utilis ac necessaria sit, quamque sibi adeo hac reprehensione parum consuluerit.

Alia primi editoris hallucinatio circa ætatem Auctoris, ab Adversario frustra excusata.

III. Pergit deinde Adversarius, atque falsum esse contendit, quod Peireskius unquam dixerit, Auctorem Chronici Murensis seculo XI. scripsisse. *Aliud enim esse, Chronicon seculi XI. aliud seculo XI. scribere: Illud* Peireskium *affirmare, hoc nunquam.* Accipio distinctionem. Nam si aliud est, Chronicon seculi XI. aliud seculo XI. scribere; frustra sane atque inutiliter additur a Peireskio: *in quo maior Scriptorum penuria fuit.* Quippe cum Scriptor seculo vivens duodecimo, Scriptorum seculi præcedentis penuriam supplere non possit. *Quemadmodum enim Auctorem istum* (verba recito ipsius Adversarii, alibi prolata) *ex eo, quod Chronicon seculi XI. scripserit, huic seculo coætaneum nemo dixerit:* ita neque is Scriptorum inopiæ seculi XI. consuluisse dicendus est, qui Historiam eius ætatis, circa medium seculi XII. vel subsequentis scripsit; alioquin idem dicendum foret de eo, qui vel hodie eiusmodi historiam contexeret, quod plane absurdum est. Quando ergo titulum posuit Peireskius: *cum brevi Chronico seculi XI. quo maior Scriptorum penuria fuit,* hederam certe Anonymo Murensi appendere voluit, quo rarior iuxta atque vendibilior evaderet, iusto proinde titulo notatus abs Herrgotto. Ceterum quanta Scriptorum egestate seculum præprimis X. & XI. laborarit, non opus esse puto, ut hoc loco pluribus commemorem, cum id abunde testentur Annalium Ecclesiasticorum conditores; quocirca tamen præterire nolo, eos non tam de Chronicorum, quam Chronistarum, ut sic dicam, qui eam ætatem vixerint, paucitate conqueri; id quod interpretationem nostram haud parum confirmat. Qua de re tamen paullo inferius. Redeamus nunc ad Adversarium nostrum, & quid porro virgula sua censoria notet, inspiciamus. Ea vero pauca admodum sunt.

pag. 34.

IV.

IV. Negarat Marquardus, codicem *vetustissimum* deprædicandum fuisse a Peireskio; cum chartaceus duntaxat sit, non membranaceus. Respondet Adversarius, huius rei parum interesse; *nam Historias Livii si vel hodie describas in charta recenti, Auctorem habes antiquum, vel si velis, habes codicem chartaceum, & codicem habes vetustissimum.* Responsio non petita. Sermo enim eo loco de codice est, non Auctore: deinde vereor, ut Adversarius hoc multis persuaserit, quod si v. g. Livium (miror, quod Homerum aut Herodotum; antiquiores utique non nominaverit) in charta describam, codicem habeam & *chartaceum* & *antiquissimum*: putassem ego, me codicem habere chartaceum novum, Auctorem vero antiquum. Quos inter ingens extare discrimen nemo nescit, quam qui in arte critica hospes est & peregrinus. Quemadmodum & tertia quoad vetustatem codicis.

V. Aliter certe sentiunt, qui res has accuratiori trutina expenderunt Viri docti. *Quemadmodum enim in diplomatibus*, ait Ven. Abbas Gottwicensis (a), *adhibetur fides autographo omnis fraudis & impostura vacuo - - - ita pariter statuendum erit de codicibus manuscriptis, inter quos, si quis archetypus sit aut ex archetypo proxime descriptus esse, tum ex characterum forma, tum ex circumstantiis aliis credatur, & hinc indubitata eiusdem fides appareat, Lydius pariter lapis erit codex huiusmodi, ad quem reliquorum, licet numero plurium, ætate tamen inferiorum --- authentia examinetur.* Sive ergo Anonymus Murensis homo seculi XII. fuerit, ut contendit Adversarius, sive seculi XIII. ut Herrgottus docuit, codex certe ipse respectu seculi X. & XI. unde ille genealogiam suam deducit, antiquissimus non est; ac ipse Adversarius, uti deinceps videbimus, scripturam ad seculum XIII. referendam ultro fateatur; immo apographum, non autographum esse, quasi pro aris & focis decertet. Quantum vero a seculo X. adusque finem XIII. intervallum excurrat, quilibet, credo, sine conspicilii adminiculo pervidere poterit. Quod si ita? dubium non est, quin potuissemus habere antiquiorem, atque adeo talem, cui maior accuratio, sinceritas, fides & authentia inesse crederetur. Verbo: purius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Quanti interfit inter codicem recentem & antiquum, a

 VI.

(a) Prodr. ad Chron. Gottwic. lib. I. p. I.

Præsertim ob menda, ab exscriptoribus varie commissa.

VI. Advertisset ac perpendisset potius Adversarius, quot & quanta menda commissa fuerint a descriptoribus veterum codicum, ut qui vel incuria, vel imperitia peccarunt sæpius, nihil ut dicam de *impostura* & *temeritate*, quæ hic minus locum habere videntur. De incuria loquens *Joan.* a CLERICUS: *Novit enim quisque*, sapienter monet (a), *si quid exscribat parum attentus, non modo adfinia vocabula, dum animus peregrinatur, miscere; sed diversa plane scribere, detrahere, addere, & nescio, quot peccata admittere, quorum rationem ipse postea reddere non posset, nedum & alii eam deprehendere queant.* De altero vitio sic subiungit: IMPERITIA *quoque in describendo, si magna sit, ut sine dubio magna fuit in librariis* (NB. alios amanuenses hic non excludit; utpote qui hoc genus hominum præcipuos tantum dicit) *monstra etiam mendorum peperit, cuius exemplorum ingentem copiam MSS. codices, omnes Criticorum libri suppeditant.* Quæ quidem ipse data opera adducit, integramque fere eam partem exscriberem, si quidem per singula ire vellem. Quare Adversarium ad eundem remittere cogor, spe fretus, fore, ut, inter apographum & idiographum, seu autographum Auctoris cuiuspiam, maximum esse discrimen, fateatur ultro, atque quo remotius a fonte, eo maius periculum obversari, ne Auctor temeratus, interpolatus, castratus, verbo, male descriptus, atque adeo additione, vel subtractione, depravatus fuerit. b Quamobrem REFERT, QUO FONTE BIBATUR (b).

Quid sentiendum de falso impressionis loco, primæ editioni præposito? pag. 23.

VII. Quæ de loco impressionis reponit Adversarius, responsione vix indigent: notanda tamen cumprimis sunt hæc eius verba: *Quocunque demum loco Acta Murensia dicantur impressa, nihil importat, nisi quod magnificæ inscriptionis splendor cresceret, si Parisiis, Regia Galliarum Metropoli, edita scriberentur.* Hæc enim, ut dicam, quod res est, cum magnifica illa inscriptione, *Vindiciis* præfixa, vix ac ne vix quidem conveniunt; nam etsi huic propositioni, ut equidem nihil dissimulem, locum forte dederit, quod libellus sub con-

ficto

(a) Art. Crit. P. III. Sect. I. cap. I.
(b) MARTIAL. epigr. lib. IX. Vid. etiam encarpum limbolarium cap. nostro I. præfixum, atque ex Geneal. Dipl. tom. II. pag. 247. eductum.

ficto quidem *Spirembergii* nomine, revera autem Lutetiæ typis exſcriptus fuerit; non tamen video, ut, qui tantis verborum phaleris, atque ſumma cum obſervantiæ ac ſubmiſſionis ſignificatione, opus ſuum Auguſtæ Gentis Habsburgicæ progenitoribus, tum & ſummis orbis moderatoribus Impp. Augg. nec non amori & deliciis generis humani IOSEPHO *Porphyrogenito*, ſacrum eſſe voluit, in votis habere queat, ut cliens ſuus Pariſiis potius, loco utique pro argumento, quod tractat, alieno, quam Wiennæ prodiiſſet. Sane *ſplendor* ille, tantis exoptatus votis, hic potius, quam illic accreviſſet; cuius rei argumentum eſt, quod re ipſa Wiennæ Auſpiciis Cæſareis, curante P. HERRGOTTO, ſplendidiſſime editus fuerit, ut Adverſarius ipſe alibi fateri cogitur dicens: *Quapropter Clar. P.* HERRGOTTUS *eadem Acta, typis novis & ſane perquam nitidis, recuſa, Tomo I. Genealogiæ ſuæ Diplomaticæ integra ſubtexuit* (a). Ceterum eodem loco recte ſubiungit Adverſarius, *non ſine ratione, ſine tamen errore latere quandoque volumus & poſſumus.* At enim, cum eædem rationes diverſiſſimæ ſint, illas ut plurimum difficulter admodum aſſequimur, id quod & hic nobis feliciter obtingit; quis enim certo dicere queat, cur PEIRESKIUS hic latere voluerit? interim tamen ſemper verum eſt, libellum ſub ementito *Spirembergii* impreſſionis loco, quod & Rev[dmus] CALMETUS advertit (b), prodiiſſe. Nec certe aliud dixit P. HERRGOTTUS, quando dixit: *Ad hæc non Spirembergii, ſed Pariſiis Acta illa excuſa eſſe.* Quid ergo hic animadverſione dignum?

a Ibid.

b loc. cit. & adducto.

VIII. Extrema huius capitis in recenſione nonnullorum errorum occupantur, quos P. HERRGOTTUS, ac alibi (c) eius *potius RR. Sodales* in nova Actorum Murenſium editione commiſiſſe dicuntur. Aſt neuter eorum iure redargui poteſt, ſed culpa omnis, ſi qua eſt, in exſcriptores, quibus id negotii Wiennæ noviter datum eſt, reiici debet. Quod ſi vero laudati Sodales noſtri culpa vacarent non omni, condonandum id potius videbatur, quam publice reprehendendum ab

Editio P. H. errorum poſtulata.

c

(a) In præfat. ad nov. Actor. Mur. editionem, pag. I.
(b) Vid. paullo ſuperius pag. 23. not. a.
(c) Cit. præfat. pag. 3.

ab iis, qui non nesciebant, eos diebus duntaxat quinque *Muris* commoratos, laboribus vix non obrutos fuisse; quo siquidem temporis spatio cum tabulam æneam maximam, in prolegomeno Genealogiæ Diplomaticæ tertio pag. XXV. exhibitam, delineabant, tum vero & Instrumenta Murensia, in eadem Genealogia magno numero adducta, describebant, ut adeo exiguum superfuerit tempus, codicem Actorum conferendi. Nihil ergo mirum, si nova Actuarii editio ceteris præstet; cum quantum est inter pauculas horulas, & integrum duodecim annorum spatium, discrimen, tantum vix non, ceteris paribus, editioni novissimæ otii impendi potuerit.

At immerito, nec ei editio Adversarii præferri potest.

IX. Verumtamen cum conditione loquor; nam quis Actuarium accuratius ediderit, Herrgottus, an Adversarius? adhuc sub iudice lis est, ad quam decidendam nova illa editio, quæ itidem fallere potest, non iuvat, sed oculorum fides, seu virorum, a studio partium alienorum, inspectio: quod dum interim exspectamus, sufficiet, ostendisse, priores lineas ab Adversario minime accurate adeo editas fuisse, ut venditatur. Probat id schema a P. Herrgotto dicta tab. seu num. I. exhibitum, quod genus ectyporum erroribus haud sane obnoxium esse ii sciunt, qui modum & rationem eadem conficiendi non ignorant. In ea igitur pag. v. g. 4. quæ est autographi prima, linea sexta decima edidit Adversarius *Comitem*, cuius loco autographum præfert *Comem;* quod licet male, a tam accurato tamen editore sine admonitione prætereundum haud videbatur. Linea sequenti legimus *Ruodolfus*, ubi schema exhibet *Rudolfus*; & linea demum 25. *Comitissam* editum fuit, cum exigente MS. *Cometissam* imprimendum fuisset. Adeo non usquequaque verum est, quod tanta cum fiducia prætenditur, Actuarium accuratius editum fuisse ab Adversario, quam a P. Herrgotto. Cum ergo iam ex hac lacinia de reliquo texto facile iudicari possit, nolo etiam reliquum cum edito contendere schema; maxime cum plerique errores P. Herrgotto obiecti, aut nullius, aut exigui certe sint momenti, quos fac ab eodem esse commissos, dubium certe adhuc remanet, num vere sic apellandi sint, nec ne? quis enim regulam statuit, ut omnes omni-

no

no minutias, ne dicam ineptias, in edendo Auctore quopiam vetere sectemur, eas præsertim, quæ circa orthographiam medii ævi versantur? Hoc certo cum nemo in se receperit, a nemine etiam, sive P. HERRGOTTO, sive eius Sodalibus, exigi potest; ut qui Auctorem emendatius quoad eius, tam exiguo temporis spatio, fieri potuit, edere studuerunt, expungendo menda vulgatæ editionis extantiora: non omnes ineptias orthographiæ mediæ insectando, atque adeo captando muscas.

X. De cetero videat Adversarius, ne nimia errorum, si qui sunt, *Herrgottianæ* editionis consectatione, vel in ipsos Venerabiles Principalis Murensis Asceterii Patres nonnihil iniurius videatur. Sciverant hi utique, laudatos R. P. HERRGOTTI Sodales iter suum litterarium non suis, sed Cæsareis auspiciis instituisse. Nonne ergo fidelitatem, atque promptitudinem in iis desiderare possent exteri; quod illos in eo exscribendo, emendandoque, non maiori adiuverint diligentia? utpote quibus solis licuit, autographum ipsum nocturna versare manu, versare diurna? ut adeo collatis hunc in modum symbolis, Anonymus ille, dum res integra fuit, atque voluntas Cæsaris id maxime postulare videbatur, quam emendatissime emitti potuisset. Atque revera ita factum fuisse, persuasum erat P. HERRGOTTO. Hinc pro summa, qua pollet, humanitate, gratias publice agere neutiquam neglexit, idque verbis amplissimis, quæ hic repetere operæ pretium erit: *Hinc gratias habemus maximas Illustrissimo ac Reverendissimo* GEROLDO, *qui modo præest Murensi Monasterio, S. R. I. Principi dignissimo, qui non modo me* (antea scilicet, ac priusquam de Genealogia Habsburgica cogitaret) *meosque Sodales, humanissime excepit, sed aditum etiam ad sacratiora tabularia nobis patere iussit: quo loco memorandus etiam est Vir admodum Reverendus iuxta ac eruditus, mihique familiaritate coniunctus*, P. LEODEGARIUS MEYERUS, *Vice-Dominus Murensis, qui studia nostra egregie adiuvit: quo factum est, ut ipsa Murensia monumenta maiori cura, & ad genium hodierni seculi exacta, id est, notis Chronologicis, aliisque commentationibus illustrata, in publicam lucem adducere possim.*

Quam male sibi id. Adversarius hac insectatione consuluerit.

Proleg. III. §. XXIII.

E CA-

CAPUT V.

Aſſeritur Prolegomeni III. paragraphus IV. quo P. HERRGOTTUS in ætatem Actorum Murenſium inquirere incipit.

Eadem crambes de titulo, PEIRESKII editioni præfixo,

I. NOvam hic ſectionem habemus, novam materiem: ſed argumentum non habemus. Erat hoc Adverſario inter cetera etiam, ut videtur, conſtitutum animo, ut quot P. HERRGOTTUS prolegomenon ſuum III. diſtinxit *paragraphis*, tot ille eidem opponeret *capita*; nihil ut uſpiam rectum, nihil ut ſanum videretur. Quod quam feliciter ſucceſſerit, vidimus hucusque, ac deinceps quoque magis, magisque videbimus. Ergo & hic quoque caput novum procudendum erat, etſi argumentum duntaxat occurreret antiquum; quippe cum res tota circa ſæpe recitata PEIRESKII verba, a P. HERRGOTTO iam alia occaſione prolata: *cum brevi chronico ſeculi XI. quo maior Scriptorum penuria fuit*, denuo procedat. Ex iis nempe P. HERRGOTTUS arguit, & recte quidem: Anonymum Murenſem a PEIRESKIO in titulo ac fronte libelli quaſi pro auctore ſeculi XI. haberi, dicens: PEIRESKIUS *eum in fronte ſuæ editionis appellat Anonymum Scriptorem ſeculi XI. mox vero in ſubſequenti præfatione eundem ad ſeculum XII. reponit.*

Proleg. III. §. IV.

Quem ſibi non conſtare, denuo oſtenditur. pag. 26.

II. PEIRESKII patrocinium denuo ſuſcipiens Adverſarius, eodem fere modo, quo capite præcedenti reſpondet: *De* P. HERRGOTTO, inquit, *iure merito dicere queamus, ſcripſiſſe & eum chronicon, genealogicum videlicet, non hodierni, ſed ævi longe ſuperioris, quo maior talium* SCRIPTORUM PENURIA FUIT. *An igitur ipſum ævi illius Scriptorem appellaſſe, inde videamur? minime vero.* Recte quidem & appoſite; at enim inutile eſt, quod adiicitur: *quo maior Scriptorum penuria fuit*; ſiquidem huic inopiæ a Scriptore ſeculi XVIII. ſuccurri nequit. Contra vero recte dixiſſet PEIRESKIUS: *Cum chronico ſeculi XI. quo maior chronicorum penuria fuit*, non item:

quo

quo maior Scriptorum penuria fuit; hoc enim addito, quilibet prudens rem ita concipit, ut tam chronicon, quam Auctorem illius unius, eiusdemque ætatis esse, iudicet. Quando ergo similitudo, ab Adversario proposita, haud parum claudicat, eidem, inverso paullum stilo, hunc in modum succurrere conemur. Ponamus quemdam esse, qui sumpta in manu, aut, intento digito, ostensa Genealogia Diplomatica, seu, ut rem clarius exponamus, sumpta in manu ea parte operis, quæ circa seculum X. versatur, dicat: en chronicon seculi X. quo maxima Scriptorum penuria fuit (uti revera etiam fuit) (a) nonne is talis fucum facere, aut inepte locutus fuisse videretur? Quid agis sodes? diceret aliquis, num putas te nobis imponere posse? Scimus utique, quanta penuria Scriptorum seculo X fuerit, nec ignoramus exiguum, etsi paullo maiorem, seculi XI. proventum. Sed inde obscuris hisce ætatibus lucrum accedit ex eo nullum, quod fuerint, qui posterioribus demum temporibus obscuritati, aut infelicitati huic succurrere attentarunt, tantum abest, ut Scriptor ille, quem tu hic nobis venditas; utpote qui octingentis post annis vixit, hanc inopiam tantillum supplere ac sublevare queat. Ecquid ergo addis: *in quo maior Scriptorum penuria fuit?* quandoquidem illud nihil ad rem. Tantundem dici debet de PEIRESKII hedera; quæ ita comparata est, & eam menti ideam imprimit, ac si chronicon & auctor unius, eiusdemque essent ætatis, cum tamen chronicon seculi XI. sit, Auctor in hypothesi adversa XII. in hypothesi vero P. HERRGOTTI tertii decimi.

III. Piget in re tam levi tam multa facere verba: nec tamen omittere volo quorundam de Scriptoribus seculi XI. & XII. iudicia; ut pateat non tam de chronicorum penuria, quam de chronicorum Scriptoribus, Eruditorum procedere querelam tum, cum de exiguo seculi XI. litteratorum proventu conqueruntur. Qua in re BELLARMINOS, DU PINIOS, OUDINOS, aliosque eruditos Viros, præcipue vero præfulgens S. Ordinis nostri lumen, Reverendissimum *Remigium* CEILLE-

Ac confirmatur ex penuria Scriptorum secul. CHRISTI X. & XI.

 RI-

(a) Vid. tamen MABILLON. Præfat. ad Acta SS. Ordin. S. BENED. secul. V. ab initio.

RIUM, Prælatum Flavyniacenſem, in opere præclaro, *hiſtoria Auctorum Eccleſiaſticorum* inſcripto, quod Gallica lingua editur, nominare poſſem, qui omnis ætatis, atque adeo utriusque ſeculi Scriptores ſummo ſtudio recenſent. Verum cum operæ pretium haud ſit, tantos evocare heroas, verba duntaxat Cl. *Aug.* HEUMANNI adſcribam; partim, quod brevia ſint, partim, quod luculenter enuntient, quod volo. Is ergo cum in *via* ſua *ad hiſtoriam litterariam* Scriptores utriusque ſeculi ſaltem præcipuos, atque undecimo Scriptores duodeviginti, ſubſequenti vero XII. novem & viginti enumeraſſet, ſic demum ſubiungit (a): *Apparet hinc, ſeculo XII. in utroque orbe acrius excoli cœpiſſe cum iucundiores, tum ſeveriores litteras.* Similia obſervat CONRINGIUS cum ait: *Hoc ſeculo XII. ſtudium Theologicum multo, quam ante aliquot ſeculis accuratius tradi cœptum eſt, pauliſper & ſtudiis philoſophicis exercitatis, & patrum antiquorum monumentis paſſim in opulentiſſimis monaſteriis, cumprimis tamen in ſchola* Pariſienſi, *revocatis iterum in lucem.* Et poſt alia: *Seculum hoc habuit nonnullos, ut tunc tempora ferebant, haud ignobiles hiſtoricos &c.* (b). Recenſet Scriptores utriusque ſeculi uberius Dominicanus Doctiſſimus *Alexander* NATALIS, atque ex priori non plures quam octo & quadraginta cogit, ex poſteriori præter propter centum (c). Ex quibus multi ſunt, qui hiſtoriam ſeculi XI. attigerunt, nemini tamen adhuc venit in mentem, ut producto, aut laudato tali Scriptore, inopiam Scriptorum ſeculi XI. qualiter in ſæpius repetito loco, cum ſua hedera prætendit PEIRESKIUS, ſublevatum iri exiſtimaret.

PEIRESKIUS levis contradictionis merito poſtulatus. pag. 26.

IV. Alterum P. HERRGOTTI crimen eſſe dicitur, quod PEIRESKIUM contradictionis arguat. *Denuo enim hic*, ait Adverſarius, *& tam obſirmate quidem prætendit, Actuarium Murenſem a* PEIRESKIO *Scriptorem ſeculi XI. appellatum eſſe, ut illum vix non contradictionis inſimulet.* Vix non? Parcit Adverſarius, ubi mitius haberi minime cupimus. Revera enim contradictionis poſtulatus eſt PEIRESKIUS, ut id verba HERR-GOT-

(a) Cap. IV. §. XXXIV. m. p. 108.
(b) De Scriptoribus XVII. poſt C. N. ſeculor. Opp. tom. V. ſecul XII. cap. 1. & 5. pagg. 811. & 814. ubi, ſi lubet, plura legenda.
(c) Vid. eius hiſt. Eccleſ. tom. VI. cap. V. & VI.

GOTTI, superius recitata, docent. Sed quid tum? homo utique erat similis nobis, passibilis, si cum Scriptura loqui licet, nec is error primus, nec maximus, nec ultimus fuit, in illa Scriptoris Murensis editione commissus; ut nos inferius pluribus ostendemus. Denique tolerabilius videtur, Virum Doctum contradictionis arguere in re nullius prorsus momenti, atque paucissimorum verborum, quam alium in opere tanti momenti, & quod maximos totius Germaniæ, atque adeo totius Europæ Principes attingit, inconstantis doctrinæ postulare, ut fecit Adversarius (a). Sæpius enim contingit, ut etiam bonus dormitet HOMERUS, atque in verbis nonnullis cespitet: at ubi doctrinam, non verba *inconstantis hypotheseos* accusaveris, hoc demum maius quid est, atque adeo pro rei gravitate vindicandum. His adiice: quod in editionem PEIRESKII mendum forte typographicum irrepserit, adeoque excusationi utcunque locus sit, secus fit in casu altero.

CAPUT VI.

Ostenditur veritas paragraphi quinti, quo dicto Prolegomeno P. HERRGOTTUS, recentiorem esse codicis Murensis ætatem, ex charta, qua constat, papyracea, demonstravit.

Recentior codicis Mur. ætas ex charta, qua constat, papyracea, Proleg. III. §. V.

I. CUi nunc obviandum instituimus, Adversarii caput contra segmentum P. HERRGOTTI quintum pugnat, ubi ætatem Murensis codicis ex charta, qua constat, dimetiens, illum, cum plurimum, ad seculum tertium decimum reponendum esse statuit, caussam interserens: *Convenire inter Eruditos, usum chartæ lineæ vix ante seculum XIV. invaluisse.* Quam opinionem, adductis nonnullorum Eruditorum testimoniis, ut puta, Ven. GODEFRIDI Abbatis Gottwicensis, Clar. *de* GUDENUS & CONRINGII, corroboravit.

(a) Vid. cap nostrum I. pag. 2. n. II. & pag. 9. n. IX.

Adversario GODEFRIDI Abb. Gottwicensis sententiam, pag. 29.

II. Contrarium probare studens Adversarius, *ad evincendam recentiorem codicis* Murensis *ætatem ex charta, qua constat, papyracea, solidum argumentum duci non posse*, nec *de hoc inter Eruditos* convenire prætendit; quam rem admodum faciliter expediendam existimat, si verba GODEFRIDI, ab ipso P. HERRGOTTO excitata, attentius, seu ut ipse loquitur, *reflexius*, considerentur. Hinc licet ea integra in dicto paragrapho HERRGOTTI e regione paginæ 29. legantur, denuo tamen repetenda putavit. Quare signum est, magnam ab eo in illis vim poni; unde & eadem nobis hic recitare liceat. *De charta linea*, ait GODEFRIDUS (a), *aliqua remanet quæstio, quando nimirum eiusdem usus cœperit, quem nonnulli plane ad XI., quidam ad XII. seculum referunt, non observata, ut credimus, differentia inter chartam bombycinam & lineam. Arbitramur proinde vix ante seculum XIV. usum chartæ lineæ invaluisse*, QUAMVIS ETIAM RELIQUA MABILLONII, IN HISCE ALIAS SAT PERSPICACIS, TESTIMONIA REIICERE NOLIMUS. Hæc cum repetiisset Adversarius, atque extremum versum trabalibus litteris, in quo eum imitati sumus, expressisset, statim subiungit; *nisi ergo nos Eruditorum albo exclusum velimus* MABILLONIUM, *omnium pene antiquitatum lustratorem & censorem versatissimum, quid hac super re sentiat, audiamus.*

Nec non & MABILLONII auctoritatem frustra opponente;

III. Veneramur ac suspicimus & nos MABILLONIUM, eiusque cum rara modestia coniunctam eruditionem: veneratur & P. HERRGOTTUS, ut qui eiusdem hoc ipso in loco non sine laudis epitheto meminit, dicens: *vidit illud* (autographum nempe Actorum Murensium) *Clar.* MABILLONIUS, *cuius mentionem ingerit in itinere suo Germanico:* nec tamen cum in hac vel illa caussa ab eo discedimus, eundem Eruditorum numero exclusum volumus; quandoquidem in eiuscemodi scientia, Critica videlicet arte, quæ adeo antiqua, prout hodie tractatur, non est, dies diem docet, nec unus omnia ita exhausit, ut, ceteris veriora observantibus, concedendum non sit: nec certe MABILLONIUS is fuit, qui conceptæ semel opinioni pertinaciter adhæreret, aut Pilatismum, *quod scripsi, scripsi*, imitandum sibi putaret. Sapuit ille, ut qui

(a) Prodrom. Chron. Gottwic. P. I. lib. I. cap. I. p. 13.

qui maxime, ſapuerunt tamen & alii quoque, poſt ipſum ſcribentes, nec dubitandum, quin, ſi viveret modo, aliter non nihil de hac eadem re ſentiret. Ut enim, in ceteris rebus plerisque, quo antiquiora, eo firmiora ſunt Scriptorum teſtimonia, & ſententiæ, ita in ſcientia Critica, rebusque ad eam pertinentibus, contrarium fieri obſervamus. Hæc ſingula mox illuſtriora reddentur: prius tamen intuendum eſt, quid demum ſentiat MABILLONIUS. Multus eſt Adverſarius in eiusdem opinione referenda: nos brevitati ſtudentes, unum PETRI Venerabilis, Abbatis Cluniacenſis, teſtimonium, unde ſua MABILLONIUS deduxit, nec illud integrum, proferemus. Is de vario librorum genere, oblata occaſione, quod Iudæi librum Talmud in cœlo a DEO legi fabulantur, agens, de nonnullis mentionem ingerit, *qui ex raſuris veterum pannorum compacti ſunt;* unde equidem infert Vir Doctiſſimus: hodiernam papyrum eo tempore, nempe medio ſeculo duodecimo, incepiſſe. Non ignoravit *Ven.* GODEFRIDUS hanc MABILLONII ſententiam, ſed neque ignoravit P. HERRGOTTUS; quippe quod hunc Virum ignorare non licet iis, quicunque rem Diplomaticam tractare cupiunt: & certe GODEFRIDI ultima verba, ſuperius relata, & a P. HERRGOTTO excitata, ad hunc MABILLONII locum collimant. Mirari ergo ſubit, reponet haud dubie Adverſarius, quod idem P. HERRGOTTUS aſſerere auſus fuerit, convenire apud Eruditos, *uſum chartæ lineæ vix ante ſeculum XIV. invaluiſſe*, cum tamen ille, cui inter Eruditos prima ſubſellia iure debentur, contra ſentiat. Ego vero nihil inſolens hic video, quin potius id ſolum admiratione dignum cenſeo, quod uno diſſentiente, iam nihil ſolidi argumento ſubeſſe, contendat Adverſarius, quod quam in omni philoſophia peregrinum ſit, ſcimus. Sed nolo hic vim argumenti ponere.

IV. Ratio duntaxat reddenda eſt, cur hic ab opinione MABILLONII tam Abbas GODEFRIDUS, quam P. HERRGOTTUS paullulum diſceſſerint. Facit id ille modeſtiſſime dicens: *Arbitramur proinde, vix ante ſeculum XIV. uſum chartæ lineæ invaluiſſe, quamvis etiam reliqua* MABILLONII - - - *reiicere nolimus.* Vere ergo arbitratur, quod res eſt, nec tamen prop- A quo namque hac in parte nonnihil diſcedendum eſt:

propterea MABILLONII Manibus gravis accidere vult, quem quippe ob suam ipsius eruditionem & modestiam nemo non magni facit. Dicamus ergo cum Adversario, *veneremur hic* (nam hæc verba citato GODEFRIDI versui ultimo ipsemet adiicit) *æquanimitatem Reverendissimi Auctoris*; æquitas scilicet animi erat, atque modestia Abbatis, quod MABILLONII opinionem, licet ex iis, quæ circa veteres libros, quibus & ipse studium suum impenderat, scite & accurate non minus, quam ipse, ut plerique iudicant, MABILLONIUS observaverat, aliter sentire cogeretur. *Arbitramur proinde*, inquit, id est, censemus, iudicamus, *vix ante seculum XIV. usum chartæ lineæ invaluisse.* Et hæc est Abbatis vera & genuina mens ac sententia, hæcque ratio, cur ab opinione MABILLONII tanta cum moderatione discesserit, ita quidem, ut eidem omnem venerationem se habere, publice simul testatus sit.

pag. 29.

Suffragante MAFFEIO.

V. Reipsa porro a MABILLONIO discessisse GODEFREDUM non obscure hisce verbis innuit: *non observata (ut credimus) differentia inter chartam bombycinam & lineam*; nam id ita se habere, atque MABILLONII opinionem elevatam esse, ambo norant, GODEFRIDUS nempe & HERRGOTTUS; ex opere Illustr. SCIPIONIS MAFFEI, ut qui citatum PETRI Venerabilis locum, non de rasuris veterum pannorum lineorum, sed bombycinorum, capiendum esse docet (a), & recte quidem; cum enim pannus laneas æque ac lineas vestes significet, ac panni, seu PAKH, non minus lanei quam linei habeantur (b), aliud certe, idque longe luculentius veterum testimonium extare deberet, antequam inventionem hodiernæ papyri ad seculum XII. reponere possemus. Ratio est, quod papyrum ex rasuris veterum pannorum bombycinorum longe ante seculum XII. in usu fuisse, satis superque constet: nemo contra definire ausus fuerit, nec etiam, cognita iam duplici panni significatione, definire ausit, in adducto PETRI MAURITII loco, lineos potius, quam bombycinos panniculos indicari.

VI.

(a) Istor. Dipl. p. 77.
(b) OVID. de arte Poet. v. 15. *Purpureus late qui splendeat unus & alter, Assuitur pannus.*

VI. Quin immo bombycinos potius, quam lineos intelligi debere, inde evincitur; quod nemo adhuc fuerit, qui chartam vulgarem seculo XIII. vertente superiorem viderit. Ipse sane MABILLONIUS, qui laudatum PETRI *Venerabilis* locum post VALESIUM excitavit, nullam tamen chartam lineam, seculo XIII. superiorem, unquam, aut uspiam vidit *Etsi porro diplomata & instrumenta fere* (ait) *nulla, quæ, quanticunque momenti essent, scripta sint in charta nostra vulgari, eius tamen usus in epistolis aliquando adhibitus est, ut docet* IOINVILLEI *epistola ad S.* LUDOVICUM, *in eiusmodi charta exarata, quam Antonius* HEROVALLIUS *mihi cum multis aliis communicavit.*

Et ex parte ipso MABILLONIO,

VII. Idem cum MABILLONIO sentit & expertus est Clar. MONTEFALCONIUS, qui etsi eundem PETRI locum de rasuris pannorum lineorum accipiendum esse, æque, ac MABILLONIO visum, sentiat, atque in eam rem studio ac data opera indagaverit, aperte tamen & ipse confiteri cogitur: „ quod „ quantumvis diligenti investigatione tam in Italia, quam Gal„ lia adhibita, nullum tamen unquam librum, immo nec fo„ lium hodiernæ papyri sibi visum, cuius scriptura S. LUDO„ VICI ævo inferior non sit. (a) „ Quis igitur sibi persuadere queat, post tam diligentem Virorum Eruditorum collatam ea in re operam, nullum, nec *folium quidem*, reperiri potuisse, anno 1270. superius, si usus chartæ lineæ iam medio seculo XII. quo PETRUS Ven. floruit, iam obtinuisset: res esset miraculo similis, nullum amplius extare eiusmodi monumentum, cum tot alia ex eodem supersint seculo.

Nec non & P. MONTEFALCONIO.

a

VIII. Atque ex hoc iam longe melius interpretari GODEFRIDI verba existimo, quam factum fuerit ab Adversario. Obtendit is quidem, nulla fere alia re opus esse, ad ostendendum, non convenire de hac re inter Eruditos, quam ut laudati Abbatis verba *hic reflexius perpendamus*, cumque id vel maxime nunc fieri existimes, nihil admodum fit, quam ut repetantur eius verba, ut diximus, atque ultimus eorum versus trabalibus exprimatur elementis. Sed id haudquaquam suf-

Hinc GODEFRIDUS aliter interpretandus, facto discrimine inter chartam bombycinam & lineam, pag. 25.

(a) Mem. de l'Academie des Inscript. T. IX. p. 329. edit. Holland.

ſuffeciſſe, hucusque vidimus, oſtendentes, GODEFRIDUM cum P. HERRGOTTO omnino facere, ſuſpicarique, omnes illos, qui uſum chartæ vulgaris ad ſeculum XII. referunt, nequidem MABILLONIO ac MONTEFALCONIO exceptis, differentiam inter chartam bombycinam & lineam haud ſatis obſervaſſe; qua in re cum laudato Marchione MAFFEIO facit.

Secus, ac erronee fecit Celeb. MURATORIUS,

IX. Sane quod ipſe GODEFRIDUS circa diſcrimen hoc obſervat, feliciter quoque non multo antea evenerat Viro Celeberrimi nominis *Ant.* MURATORIO, de omni hac re ita diſſerenti: *quanquam ſine hæſitatione ſtatuamus, vel ſeculo decimo prodire cœpiſſe chartam vulgarem noſtram, attamen tutius*
a *agemus, ſi eius uſum in ſeculum undecimum reiicimus* (a). Locutus eſt hæc MURATORIUS, ſubnixus auctoritate ſæpius laudati MONTEFALCONII noſtri, quam paullo ante hunc in modum allegarat: *Clariſſ. P. D. Montfaucon, Benedictinus e Congregatione S. Mauri, cui tot egregia, & Sanctorum Patrum & antiquitatis illuſtratæ volumina debemus, lib.* 1. *c.* 2. *Palæographiæ Græcæ contendit, bombycinam chartam (ſic enim primum appellata eſt vulgaris noſtra) uſurpatam reperiri etiam ſeculo epochæ noſtræ undecimo, immo & decimo: quod ipſe coniicit ex vetuſtate nonnullorum codicum. Mihi nunquam contigit intueri codices, ex eadem charta ſcriptos, ante annum* MC. *& quanquam difficile putem, ex una characterum forma ſtatui certe poſſe ætatem cuiusque codicis, dum notæ chronologicæ, aliave indicia deſint, nihilo tamen ſecius tanta eſt apud me doctiſſimi* MONTEFAUCONII *auctoritas, ut ei iudicanti accomodare fi-*
b *dem in hoc etiam velim* (b). Hæc fidenter Celeb. MURATORIUS, ſed, non obſervata differentia inter chartam lineam & bombycinam, ut ſcite monuit GODEFRIDUS, feliciter deceptum fuiſſe, non ſolum ex eo conſtat, quod chartam bombycinam expreſſe hic nominat, ſed inde etiam, quod MONTEFALCONIUS nihil minus cogitaverit, quam ut uſum chartæ vulgaris ad ſeculum, vel decimum, vel undecimum referret, ut eius mentem paullo ante exploravimus.

X.

(a) MURATOR. Antiq. Ital. medii ævi T. III. col. 872.
(b) Id. ibid col. 871.

X. Non ego ſolus, nec primus ſum, qui hanc Celeberr. MURATORII hallucinationem palam faciam: advertebunt eam ante me ſtupendæ eruditionis duum-viri Benedictini ex Congregatione S. MAURI, quorum nomina tanto maiori cum gloria olim celebranda confidimus, quanto maiori cum modeſtia nunc latent, in novo de re diplomatica opere (a), unde pleraque hæc collegimus. Hi porro varias Virorum Eruditorum, hac de re, opiniones invicem contendentes, ponderatis omnibus ſic in rem noſtram concludunt: „ Etſi nemo adhuc (ponunt hanc primam conſtructionem ex mente MABILLONII de re Dipl. p. 39. quem & citant) „ certum definire tempus accurate adeo auſus fuerit, quo papyrus noſtra in uſu eſſe cœpit, eius tamen inventio ſeculo XIII. inferior non eſt, nec uſus eius vulgaris ultra ſeculum XIV. referendus. Actis autem, in gratiam poſteritatis, paullo remotioris, concinnandis fere nunquam adhibebatur (b).

Emendatus a duobus Anonymis, veram ſententiam proponentibus:

XI. Sufficere hæc credimus Adverſario, ut ſententiam ſuam, quam hic contra uſum papyri hodiernæ, argumentumque exinde, ad figendam codicis Murenſis ætatem, deductum, proponere placuit, immutet; maxime cum præter hæc omnia etiam MABILLONII & MONTEFALCONII opinio nobis multo magis, quam ipſi faveat. Etſi enim ambo hi accuratiſſimi rerum antiquarum ruſpatores PETRI Venerabilis locum de charta, panniſque lineis, accipiant, quia tamen & ipſi, ac maxime poſterior, fatentur, ante exitum ſeculi XIII. noſtram papyrum in uſum haud veniſſe, atque inſuper addant, nullum hactenus repertum fuiſſe chartaceum eiusmodi folium, immo *inſtrumenta fere nulla, quæ quanticunque momenti eſſent, in charta noſtra vulgari ſcripta* fuiſſe; plane conſequitur, ut & hi cum reliquis Eruditis apprime conſentiant, USUM *chartæ li-*

Quæ amplius firmatur.

F 2

(a) Traité nouveau de Diplomatique P. II. ſect. I. cap. VIII. p. 522.
(b) Ibid. p. 524. Quoique perſone n'ait encore osé fixer au juſte le tems, auquel commença l'uſage de notre papier, on ne peut reculer ſon invention plus tard, qu'au XIII. ſiecle, ni ſon uſage ordinaire au-dela du XIV. Mais on ne s'en eſt preſque jamais ſervir, quand on a voulu dreſſer des Actes, qui devoint être tranſmis à une poſterité fort éloignée.

lineæ (quod ſolum docuit P. HERRGOTTUS) *vix ante ſeculum XIV. invaluiſſe.* Neque enim convenire inter Eruditos de chartæ vulgaris inventione quidquam dixit P. HERRGOTTUS, ſed de eius *uſu* tantum, quem ante ſeculum XIV. vix invaluiſſe certum eſt, ut hucuſque demonſtravimus. Sed hæc ex ſuperabundanti duntaxat, quando ſuperiora ſoliditatem argumenti, ex charta vulgari deducti, ſatis ſuperque evincunt. Adde, quod, ut paullo ante dictum eſt, MABILLONIUS codicem Murenſem ſuis ipſius uſurpaverit oculis, contrectaveritque manibus, quem ſi antiquum adeo cenſuit, eccur eiusdem mentionem faciens, nihil eiusmodi commemoravit?

Adverſarii labor circa hoc argumentum, quam inutilis ſit, pag. 31.

XII. Verum enimvero fatetur utique Adverſarius, codicem Murenſem ſeculo XIII. vetuſtiorem haud eſſe, dicens: *Quod tamen eo animo dictum non ſit, ac inde etiam codici noſtro, ſecundum materiam, qua conſtat, chartaceam, conſiderato, ſeculum XII. aſſerere intenderemus; ſed ut vi propoſiti argumenti recentiorem ætatem tam codicis, quam Auctoris noſtri minime evinci, oſtendamus, qui deinceps inter utrumque diſtingui velimus.* Similia habet Adverſarius capite ſequenti VI. ubi ait: *Verum nolimus nos, codicem Actorum Murenſium ſupra ætatem legitimam extolli, quin potius manus hic damus convictas, nosque ſubmittimus ſententiæ P. Herrgotti, fatendo, ſcripturam codicis noſtri ſeculum XIII. præſeferre.* Si ergo ipſe Adverſarius fatetur, iuſtam de ætate codicis Murenſis, tam inſpecta eius materia, quam & litterarum figura, latam eſſe ſententiam a P. HERRGOTTO, atque adeo herbam porrigit: quid ergo opus fuit, tam præſentem, quem iam reſtituimus, quam & ſequentem, quem mox reſtituturi ſumus, paragraphum traducendi, quaſi ficulneis atque elumbibus argumentis uſus fuiſſet Auctor, atque adeo opprobrio eſſe videretur legentibus? num Viri Eruditi, ac de republica litteraria bene meriti, tali loco habendi? At docendum fuit, *vi propoſiti argumenti, ætatem tam codicis, quam Auctoris noſtri minime evinci.* De ætate Auctoris nihil dictum memini, ipſe etiam paragraphus non de ætate Auctoris, ſed ſic inſcribitur: *Recentior ætas codicis Murenſis evincitur I. ex charta, qua conſtat, papyracea;* infertur igitur hic plus in concluſione, quam fuerat præmiſſum.

pag. 33.

pag. 31.

XIII.

XIII. Quod vero ad ætatem codicis, ex materia diiudicandam, attinet, pulchre scilicet ostensum est: auctores ea de re disconvenire, quando eosdem in idem tam manifeste conspirare vidimus. Porro quam belle processerit argumentum Adversarii, allegantis unius Scriptoris, utut Doctissimi, quemque super hæc omnia, ad nostram inclinare sententiam intelleximus, auctoritatem contra plures alios, iudicent, qui sunt a studio partium remoti: præsertim eo in argumento, in quo exasciando & ad perfectionem deducendo operam suam certatim impendunt, nova identidem detegentes, stabilientesque Eruditi. Si MABILLONIUS omnia exhausit, collegitque, nullum, ut reliquum sit, spicilegium, frustra certe sunt, qui post illum in eodem versantur argumento. Certe si eius de inventione chartæ lineæ statuminari potuisset opinio, statuminassent, ut par fuerat, laudati Anonymi Benedictini; utpote qui contra hyperapisten eius, Illustr. Marchionem MAFFEIUM, alias acerrime at solidissime pugnant. Cum igitur MABILLONII opinionem defendere ac tueri nequierint, ac etiam veritatis amore ducti, id facere noluerint, persuasum mihi esse non diffiteor, Adversarium etiam hac cecidisse caussa, adeoque & verum, quin & verissimum esse, quod statuit P. HERRGOTTUS, *convenire inter Eruditos, usum chartæ lineæ vix ante seculum XIV. invaluisse.* At tempus vocat, ut de eo iam videamus, ubi denuo manus victas dat Adversarius, ætate videlicet codicis ex pictura litterarum. Atque infirmo consistat talo.

CAPUT VII.

Restituitur sectio eiusdem Prolegomeni VI. qua P. HERRGOTTUS de ætate codicis Murensis censuit ex figura litterrarum, quas præfert.

I. ALterum de ætate codicis Murensis argumentum desumpsit P. HERRGOTTUS ex ductu litterarum, in codice exhibitarum, utque de iis tutius iudicare possent palæographiæ Latinæ periti, ectypa illarum sistens, id unum præ- Recentior codicis Mur. ætas ex pictura litterarum.

 ter-

Proleg. §. VI. terea animadvertit, *litteram i accentu acuto ſuperius notari, qui characteriſmus eſt ſeculi XIII. vel ſubſequentis*, id quod breviter hiſcè ſæpius laudati Abbatis Gottwicenſis loc. cit. lib. 1. c. 6. verbis confirmat: *Singularis huius ſeculi (XIII.) nota characteriſtica eſt, literam i accentu quodam acuto ſuperius notari cœpiſſe, licet aliquot iam tum exempla in ſeculo XI. ſupra attulerimus.*

Cui tria opponit Adverſarius, pag. 33. II. Tria hiſce opponit Adverſarius, omnia eo animo ut oſtendat, *fallacem eſſe characteriſmum, nec eundem ſemper & ubique ita proprium uni ſeculo, quin eius uſus iam ævo ſuperiori invaluerit.* Itaque, quod opponat, ſubminiſtrare ait, equidem primo ipſum Abbatem Gottwicenſem, ut qui eius notæ characteriſticæ ſeculo iamiam undecimo aliquot extare exempla ipſe fateatur. Secundo ab ipſo P. HERRGOTTO (a) produci inſtrumentum ſeculi XII. in quo *litteram i accentu quodam acuto ſuperius* pariter *notari* videas. Denique ſubdit tertio, eundem Clar. P. afferre (b) *excerpta ex necrologio Wettingenſi*, hoc præfixo rubro: *Primigenia ſcriptura eſt ſeculi XII. reliqua diverſæ manus addiderunt.* Conſtare autem, *monaſterium illud Wettingenſe, Ord. Ciſtercienſis, Murenſi vicinum, demum ſeculo XIII. fundatum eſſe.*

Eaque acerba admodum, III. Specioſa haud dubie pleriſque Lectorum hæc viſa fuerint, atque ita comparata, ut niſi de P. HERRGOTTI eruditione, atque in rebus medii ævi experientia, aliunde conſtaret, ea de re haud levem præbitura fuerint dubitandi rationem. Qui enim in rebus, ad Criticam artem pertinentibus, ita verſatur, ut aliorum adducens teſtimonia, ſibi ipſi repugnet: qui ſtatutis ſuis ipſiusmet regulis documenta contraria affert: qui denique codices MSS. rebus ipſis, de quibus illi tractant, antiquiores facit: hunc talem operi tanto, quantum eſt Genealogia Diplomatica, moliendo imparem, atque in rebus, ad hanc ſpartam exornandam, neceſſariis, hoſpitem & peregrinum fuiſſe, nemo non arbitrabitur. Nutat ergo hic fama HERRGOTTI, quam tamen immerito tentatam, reſtitutum

(a) Geneal. Dipl. T. I. lib. II. cap. X. p. 157.
(b) Ibid. T. II. num. CMLI. p. 842.

tum ita ibimus, ut pateat, ſuppetere plurima, eaque ſatis gravia, quæ illum ab impacta eiusmodi nota egregie prorſus vindicant, atque tuentur, ſimulque palam faciunt, quantum diſtet inter ſolidum in rebus antiquis iudicium, ac inter luſum duntaxat verborum.

Quorum tamen omnium primum, a characteriſmo ſeculi XIII. petitum, minime ſibi conſtat; pag. 33.

IV. *Fallacem eſſe characteriſmum*, aſſerit Adverſarius, *nec eundem ſemper & ubique ita proprium uni ſeculo, quin eius uſus iam ævo ſuperiori invaluerit.* Facile diſſipari copias a reliquo exercitu longius ſeiunctas nemo non novit, diviſisque viribus, hoſti victoriam parvo conſtare, pariter compertum habemus. Idem hic egit, quod pace eius dixerim, Adverſarius; ut qui eo, quod res ipſa eſt, inſuper habito, verbis duntaxat bellum indixit, non rebus, non ipſis argumentis. Disiunxit vires, ut eo minori negotio viciſſe videretur, id quod eo etiam gravius nobis accidit, quod non neſciret, P. Herrgottum vim ſuam non tam in dicto characteriſtico ſeculi XIII. poſuiſſe, quam (ut cordatum virum decet) ſcripturam omnium peritorum oculis ſubieciſſe, ut de ea quilibet iudicium ferre poſſet.

Quippe ad quem non ſolum provocavit P. Herrgott.

V. Provocavit nempe ad ipſam oculorum fidem, ut ne criteria ſingula, quæ pro ſcriptura ſeculi XIII. faciunt, in medium afferre deberet, contentus notaſſe illud tantum, quod ceteri habent pro præcipuo, licet non ſolo. *Qua in re illud ego* PRÆPRIMIS, inquit, *noto, literam í accentu acuto ſuperius notari.* Præprimis ait, ut intelligas, ſuppetere & alia, oculorum iudicio relicta. Non ignoravit hæc Adverſarius, nec inconſiderationi adſcribi poteſt, quod tacitus præteriit; utpote qui conceptis verbis ait: *Alterum argumentum - - - deſumit* P. Herrgottus *ex* FORMA & FIGURA *litterarum*, QUARUM ET ECTYPA, UTCUNQUE CONFORMIA, hic ſiſtit. Ut ergo argumentum Adverſarii vim habuiſſet, ectypa illa cum charactere ſeculi XIII. non convenire, demonſtrandum fuerat: non ſolus accentus litteræ *i* (de quo tamen mox dicemus, quod res eſt) velut eiusdem ſeculi characteriſmus, impugnandus. Nam ubi character antiquæ manus ad maiorem, quam præcedentibus ſeculis, rotunditatem accedit: ubi pag. 32.

fre-

frequentiores abbreviaturæ obveniunt: ubi litteræ unciales clausæ ac velut criſpatæ, eæque operoſius multo, quam ſeculo XII. concinnatæ apparent; ibi certe, niſi præſtantiſſimorum antiquariorum ſtudioſe conquiſitas, conditasque ea de re leges & regulas, contemnere auſis, concludendum eſt: ſcripturam eſſe ſeculi ad minimum XIII. Et quid demum opus fuerat, hic ſingulos ſcripturæ commemorare characteres? nonne ſufficiebat, immo nonne præſtabilius pro veritate, proque candore Scriptoris tutius erat, ipſum producere ſchema, quam, longa verborum ſerie, formam, habitumque libri exponere? quandoquidem id muneris illis duntaxat convenit, qui pro tironibus, non qui in uſum Eruditorum ſcribunt. Et ſcripſit certe P. HERRGOTTUS pro Eruditis, qui longis verborum ambagibus in re, ab instituto aliena, haud delectantur. Quod ſi denique prævideri potuiſſet, opus ſuum eiusmodi cenſura præter ius faſque notandum, monuiſſet utique, id, quod eo loco *præprimis* tantum *notavit*, non omne illud eſſe, quod ad dignoſcendam penitius ſcripturæ ætatem afferri poſſet, ſed alterum cum altero iunctum. Immo & hoc fecit, provocando videlicet ad *peritorum iudicia*, quæ quidem in hunc uſque diem ab ipſo ſteterunt MARQUARDO.

Licet alioquin verus eiusdem ſeculi characteriſmus littera í accentuata: a pag. 29.

VI. Neque interim exiſtimet quisquam, litteram í non præcipuum ſcripturarum ſeculi XIII. eſſe & haberi characteriſmum. Sunt plane Viri undequaque Doctiſſimi, qui id adſtruunt, quos inter & ipſe MABILLONIUS, quem eo lubentius adduco; quod eidem vel minimum contraire, iniquum eſſe, capite præcedenti exiſtimare viſus ſit Adverſarius. Ait autem (a): *Porro minutæ litteræ i accentus acutus ſuperponi cæpit ſeculo XIII. ut patet ex variis eius ævi MSS.* Poſſem igitur, ſi vellem, eodem modo, at maiori iure, obiicere Adverſario, quod ille P. HERRGOTTO obiecit cap. præcedenti: *niſi ergo ex Eruditorum albo excluſum velimus* MABILLONIUM, *omnium pene antiquitatum luſtratorem & cenſorem verſatiſſimum,* eiusdem hic verbis ſubſcribendum eſt. At enim nolumus ita agere; cum res nonnihil aliter, ut mox videbimus, ſe habeat, ac aliunde iurare in verba Magiſtri a nobis prorſus alienum ſit.

(a) De re Dipl. lib. I. cap. XI. §. XIX.

ſit. Veritatem duntaxat quærimus, ad eandemque apertius adhuc manifeſtandam, id tantum ſupereſt, ut momenta, quæ unico huius paragraphi *Herrgottiani* argumento oppoſuit Adverſarius, ſingillatim nunc inſpiciamus.

Quod & , perperam negante Adverſario, docuit Abb. Godefridus. pag. 33.

VII. D. Abbatem Gottwicenſem *notæ characteriſticæ ſeculi XIII. aliquot iam tum exempla in ſeculo XI. attuliſſe* reponit. Conſului Abbatem, ac omnia & ſingula multo aliter ſe habere, non ſine admiratione, deprehendi. Quod enim de accentu, velut aliud agens, dicit citato loco Godefridus, id de accentu, generatim ſumpto, intelligendum eſt, non de accentu litteræ í, quem ſolum ſeculi XIII. notam characteriſticam eſſe docuit. Enimvero ubi de notis ſcripturarum characteriſticis ſeculi XI. agit, optimus verborum, ſenſuumque ſuorum interpres, hæc ſolummodo de accentibus habet (a): *Interpunctiones frequentes ſunt, & vel per puncta ſola, vel cum aliquo accentu acuto denotantur.* Patet ergo abunde, ſermonem Abbati fuiſſe de accentu generatim ſumpto, ſeu potius de eo, qui interpunctionibus adiici ſolebat, non de accentu litteræ í impoſito, ita ut ſenſus ſit: notam characteriſticam ſeculi XIII. eſſe accentum acutum, litteræ í ſuperimponi ſolitum, etſi iam tum ſeculo XI. nonnulla in ſcripturis Latinis accentuum acutorum, generatim ſumptorum, extent exempla. Hæc ad liberandum a contradictionis nota chronicon Gottwicenſe, opus videlicet, tanto cum plauſu exceptum, quanto non multa alia, & de quo iam laudati Doctiſſimi duo Benedictini Franci iudicant, ita exaſciatum eſſe, ut ei quidquam addere impoſſibile ſit (b). Dixi a contradictionis nota; nam ſi littera í accentuata iam ſeculo XI. invaluiſſet, proque characteriſmo eiusdem ſeculi haberetur, fruſtra ſane pro characteriſmo ſeculi XIII. denuo venditaretur a Godefrido.

Hinc quoque haud obeſt obiectatio Adverſ. II., a ſolo characteriſmo ducta, Ibid.

VIII. Altera Adverſarii obiectio circa privilegium, quo Albertus Comes Habsburgi, Alſatiæ Landgravius, antiquiſſimum *Trutpertinum* Monaſterium anno 1186. auxit, verſatur; in quo nimirum *litteram í accentu quodam acuto ſuperius no-*

G

(a) Citat. Chron. Gottwic. lib. I. c. V. §. III. p. 51.
(b) Traité nouveau de Dipl. preface p. XXII.

notari videas. Sub finem feculi XII. fæpe dictum accentum in nonnullis codicibus, æque ac Diplomatibus quibusdam, reperiri, nemo negaverit. Obfervavit id namque pridem diligentiffimus STRUVIUS (a), confirmaturque res egregie ex laudato Diplomate *Trutpertino*: at reliqua etiam feculi XIII. iisdem feculi XII. monumentis convenire criteria, nemo unus harum rerum peritus concefferit. Patet id quam maxime ex ipfis harum fcripturarum fchematibus, codicis nempe Murenfis, in Geneal. Dipl. proleg. III. exhibitis, & laudati Diplomatis *Trutpertini*, ibid. p. 157. quo ad peritum iudicem, fi quidem res hæc tanti fuerit, remitto.

Qui rem folus non conficit.

IX. Periti Critici eft, attendere cuiusque feculi characterem, non unum, ut facit Adverfarius; fed præter eum, qui folito frequentior eft, etiam ceteros, & tum demum iuftum ferri poterit iudicium. Atqui ad folam litteram *i* accentuatam, P. HERRGOTTUM haud provocaffe, iam antea diximus. Mirum interea oppido videtur, quod Adverfarius exigat, ut notæ characterifticæ fingulares cuique feculo ita annexæ fint, ut alteri proxime antecedenti, vel confequenti, minime attribui poffint. Quis hoc unquam fomniavit? aut quæ conftitutio Imperialis, vel Regia, Dicafteriis, Cancellariis, aut Ludorum demum moderatoribus, mutationem fcripturarum, quolibet ineunte feculo, præcepit? Ufum plane litteræ *i* accentuatæ ad feculum ufque XV. etfi non ubique, perfeveraffe, laudatus teftatur MABILLONIUS (b): nec tamen inde inferre licet, unicum effe horum duorum, aut trium feculorum characterifmum, nec temere dici debet, de fcripturis, eiusmodi litteras í præferentibus, ideo decidi non poffe, utri feculo adiudicari debeant: quin potius, hoc non obftante, ac ceteris paribus, atque una concurrentibus, edici nonnunquam poteft, hunc codicem fub initium, alterum fub medium, tertium fub finem huius vel alterius feculi effe exaratum. Sed id non, nifi a peritis, nec etiam femper, nec

(a) Diff. de criter. MSS. apud BARING. in clav. Dipl. §. XXV. p. 92. ubi ait: *Illi etiam, quia fine huius feculi (XII.) fcripti, accentum habent litteræ i fuperimpofitum.* & §. XXXIX. p. 100. de MSS. Theotifcis agens, fic ait: *Seculo XII. fcriptura admodum eft nitida, littera i nullo puncto, rarius accentu notata.*

(b) Cit. §. XIX.

nec ubique. Id porro certissimum est: dici frequenter posse, hunc vel illum codicem, hoc vel isto seculo non esse superiorem, at quanto inferior sit, plerumque tam accurate sciri non potest: sic v. g. de codicis Murensis ætate sine errandi periculo pronuntiamus, eum post medium seculi XIII. scriptum esse, num autem sub finem eiusdem seculi, aut etiam sub initium seculi XIV. reponendus sit, de hoc equidem nullus caverem. Sed optarem, ut sæpe laudati duo Benedictini opus suum de re Diplomatica maturarent; quippe a quibus id argumenti non minus, ac in ceteris præstiterunt, & præstituri sunt, penitus exhauriendum non dubitamus.

X. Accedimus nunc ad expungendum mendum typographicum. Ut enim nihil usquam prætermitteret Adversarius, quod laudem Genealogiæ Diplomaticæ elevare posset, etiam operarum errores in subsidium revocandi fuerunt. Videbimus id manifestissime, ubi ad caput Adversarii XXIII. devenienus. Ibi enim P. HERRGOTTUM sugillat, quasi chartas & Diplomata nonnulla, ex Archivo Murensi educta, *interpolasset*, cum tamen manifestissima sint operarum menda. In alio TESTIMONIO legi, dicit, cum TESTAMENTO legendum, in alio: *Notum sit cunctis futuris, præsentibus*, ubi autographum: *Notum sit cunctis fidelibus futuris & præsentibus*, præfert, & denique in eodem instrumento *sub anathematis vinculo* INNOVAMUS impressum fuisse conqueritur, refragante autographo, quod INNODAMUS exigit. Subiungit deinde Adversarius: *Notandum, ectypa scripturæ harum chartarum, per aliquot versus, initiales scilicet, & finales, a P.* HERRGOTTO *exhibita, dictis erroribus carere, adeoque hac in parte conformia esse autographis.* Si ectypa scripturarum, ab ipso P. HERRGOTTO Eruditorum oculis subiecta, cum autographis conveniunt: si unum, idemque instrumentum alibi fideliter ac emendate, mendose alibi exhibitum fuit: quis, conscientia non adversante, dubitare possit, adducta singula loca per incuriam typographorum, aut correctorum oscitantiam, altero illo loco mendose impressa fuisse? adeoque ex parte P. HERRGOTTI nihil prorsus subesse, quod carpi mereatur. Et hoc tamen *interpolare*, id est, in vetera instrumenta temerarias

Tertium Adversarii argumentum circa errorem duntaxat typographicum versatur,

pag. 162. & 163.

immittere manus, dicitur; quandoquidem interpolare ſecundum CICERONEM idem eſt, ac *aliquid demere, mutare, &, ne litura appareat, interpolare.* Eſt quoque *addendo corrumpere*, ſecundum illud PRUDENTII: *Qui læta Chriſti culta fur* INTERPOLAT, *addens avenas æmulas* (a). Talem fraudem, ſi committere voluiſſet HERRGOTTUS, cur non ſedulo caviſſet, ne in tabulis, ære expreſſis, quidquam eſſet, quod eidem contradiceret. Et ad quid demum interpolatione opus erat? cum nihil eorum ad rem ipſam quidquam conferret.

Id quod oſtenditur amplius. Ibid.

XII. At ad autographorum *tenorem (ſiquidem hæc eum in finem oculis manibusque eius ſodalium, id rogitantium, tam liberaliter ſubiecta fuere) integra tranſumpta illa, quæ Tom. II. adducere placuit, exigi debuiſſent.* Quod Acta atque monumenta eiusmodi ſodalibus noſtris tam liberaliter Communicata fuerint, laudavit prolixe ac publice P. HERRGOTTUS, ut in fine capitis IV. retulimus. Liberaliter ſe quoque exhibuerunt & alia monaſteria, etiamſi quidam confratrum nomine haud veniant, & cur non? fecerunt & Communitates aliæ, fecit & Epiſcopus, quod adhuc maius eſt, Baſileenſis: fecerunt civitates & urbes, immo & privati nonnunquam, aliique, nedum noſtri Ordinis, ſed neque religionis; atque & iis omnibus gratiæ actæ. Quod ſi hæc ſingula non ſufficiunt, adhuc ſemel gratias agimus maximas, dummodo de eo nemo dubitet, autographa cum editis, tranſumpta cum autographis diligenter collata fuiſſe. At errores typographicos omnes in opere tam longo caveri poſſe, quis poſſibile credat; quandoquidem & ipſe Adverſarius in opere non longo plures etiam, ut indiculi erratorum oſtendunt, commiſit? Denique prædictos errores tam in *Muro & Antemurali*, *quam in Origine & Genealogia -- Comitum de Habsburg*, ab Abbate TSCHUDIO edita, non comparere, inſpicere volenti patebit, ut adeo Inſtrumenta P. HERRGOTTI non ex editis, ſed ex tranſumptis, etſi oſcitantia typographorum nonnihil mendoſe, impreſ-

ſa

(a) Vid. FABRI Theſaurus erud. ſcholaſt. ex edit. GESNERI de ann. 1735. Denique quale crimen ſit, vetera monumenta ſupponere, aut interpolare, docet CLERICUS Art. Crit. P. III. ſect. II. *Non pepercerunt*, inquit RUFINUS apud eundem p. m. 314. *ſcriptis eorum venenatum virus infundere, ſive* INTERPOLANDO, *quæ dixerant, ſive quæ non dixerant, inſerenda,*

ſa fuiſſe, nemo unus hæſitare queat. Hæc igitur typographiæ ſphalmata, cum in citatis Inſtrumentis pro interpolatione habuerit Adverſarius, mirum non eſt, quod & in præſenti ſimilem errorem typographicum pro lapſu auctoris habeat.

XII. Wettingenſe Monaſterium ſeculo primum XIII. conſtitutum fuiſſe aſſerit, teſte Idea Chrono-Topographica Congreg. Ciſterc. per ſuper. Germ. p. 91. qui igitur necrologium eorundem ſcripturam ſeculi XII. præferre queat? maxime cum illud *non in ipſo ſtatim fundationis limine erectum fuerit.* Cumprimis hic ſuſpicimus, cur Adverſarius more ſuo rem ex ipſo P. MARQUARDO, quem ſæpe ſuis ipſiusmet cum verbis, cum doctrina impetere, in deliciis habet, exponere, cum maxime potuiſſet, noluerit? ego enim, niſi veritati in omnibus rebus ſolummodo litare, eamque pro virili parte tueri decreviſſem, Auctorem Auctori, Scriptori Scriptorem, revera non minus celebrem, opponere poſſem, *Auguſtinum* nempe SARTORIUM in *Ciſtercio bis tertio* Germanicæ verſionis p. 1000. ubi dictum Monaſterium ſeculo XII. iam conſtitutum fuiſſe, diſtinctis verbis legitur. Hoc namque facto, apud nonnullos ſaltem id facerem, ut rem in ſuſpenſo relinquerent; ſed nolo cuiquam illudere.

Error in titulo necrologii Wettingenſis typographiæ eſt, non P. H. pag. 33.

XIII. Recte namque dicitur, prædicti Monaſterii Wettingenſis origines ad ſeculum XIII. reiiciendas eſſe, cum id clare docuerit P. HERRGOTTUS (a) productis nempe eiusdem Mo-

Ut qui eius cœnobii origines probe novit.

(a) Iuvat hic nonnulla ex iisdem litteris excerpere. Primum ſit ex Inſtrumento anni 1227. T. II. num. CCLXXXIII. ubi H. Comitem in Dilingen, HENRICO de Uſingen, Monacho & Legato Abbatis de Salem donaſſe legimus, quod antea iam, *ut in eodem prædio clauſtrum* (Wettingenſe) *liberius ædificari potuiſſet - - - in manus Epiſcopi reſignavit.* Alterum eiusdem anni Inſtrumentum, a P. HERRGOTTO num. ſequent. CCLXXXIV productum, ſic orditur: *Noverint omnes, tam præſentes quam futuri, quod* HENRICUS *Nobilis dictus de Wandelbere, fundator domus in Wettingen* &c. Tertium eſt Diploma HENRICI VII. qui attendens *honeſtatem & devotionem Ordinis Ciſtercienſis, domum & Cœnobium Wettingen* DE NOVO *fundatum & ædificatum - - - anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo, Kalendas Novembris indictione prima* in ſuam *ſpecialem protectionem* recepit. Ibid. pag. 234. num. ſeq. Hæ ſunt origines Monaſterii Wettingenſis, a P. HERRGOTTO editæ, atque notis perpetuis illuſtratæ, & is tamen neſciat, cuius ætatis aut ſcripturæ ſit eiusdem necrologium?

Monasterii litteris fundationis, quæ cum Adversario haud dubie lectæ fuerint, comprehendere non possum, cur rivulum potius, quam fontem adire voluerit, nisi forte ideo factum, ut ne facile suboleret, mendum hic subesse typographicum magis, quam hallucinationem Auctoris. Nolo tamen quidquam adducere in suspicionem: crediderim potius, Adversarium in laudatas fundationis litteras non incidisse; alias enim cur mendum typographiæ subodoratus non esset? Quo enim pacto ignorare poterat P. HERRGOTTUS Monasterii Wettingensis initia, cum eiusdem origines, productis authenticis Instrumentis, orbi erudito communicaverit? aut qui necrologium illud seculo XIII. anterius putaverit; quandoquidem illud studiose legens, ac plus simplici vice revolvens, nullam in eo obvenire personam, dicta ætate superiorem, toties animadvertit, quoties illud citavit? Certe cum lapsus operarum ubique facilis sit, nullibi temere facilior est, quam in numeris Romanis; ubi multo magis credibile est, typographum, omissa unitate, numerum XII. pro XIII., errore, nedum diligentissimo correctori, sed ne ipsi sæpe Auctori perceptibili, supposuisse, quam origines Monasterii Wettingensis, atque antiquitatem necrologii, latuisse illum, qui eas tantum non primus detexit.

Infirmitas argumenti adversi alio ex capite.

XIV. Verum enimvero ponamus, P. HERRGOTTUM hic humani aliquid passum, ac elementorum forma ita falsum fuisse, ut illam antiquiorem, quam par erat, existimaret: res tamen hæc tanti non fuerat, ut publice carperetur; maxime cum figuræ litterarum sub finem seculi XII. ab iis, quibus, ineunte seculo sequenti, usi fuerunt homines, multum inter se distare haud possint, ut iam observavimus. Dixi: non fuisse publice carpendum; neque enim video, qua alia de caussa tale exemplum in medium adductum fuerit; quippe cui aliunde vim nullam probandi inesse sciri poterat. Disceptatur enim hic loci de integris codicibus, qualis certe Murensis haberi debet: Adversarius contra de paucis quibusdam lineis, quæ necrologiis, cum primum conduntur, adscribi solent, agit; reliqua enim primum postea, nempe secundum tempus, quo inscribendi ad plures abeunt, superaddi solent; in quibus falli

falli pronum esse, nemo negat. Sed aliud est integer codex, aliud paucæ lineæ.

Ceterum & hic quoque herbam porrigere Adversarium, cumque P. HERRGOTTO fateri, *scripturam codicis seculum XIII. præseferre*, ad calcem capitis præcedentis iam monuimus. Potuissemus ergo toto hoc capite, dicet non nemo, supersedere? at restituendus fuit Auctoris Genealogiæ Diplomaticæ honos, etiam ibi bis iam tentatus, ubi ex ipsa Adversarii publica confessione vera scripsit. Quis ergo putasset, tam ingentem, quod in proverbio est, de nihilo nasci potuisse historiam?

CAPUT VIII.

Examinatur vis argumenti, quod P. HERRGOTTUS pro ætate Anonymi Murensis stabilienda, ex ipso eius contextu deduxit.

I. EGimus hactenus de ætate codicis Murensis, nunc, ordine ita exigente, ætas ipsius Auctoris exploranda venit. Qua de re, quid P. HERRGOTTUS sentiat, cumprimis intuendum. Is contextum ipsum adiens, locum excitat, ubi de CHUNRADO Monacho hunc in modum mentio fit: *Obtulit ergo --- maximum librum Missalem, quem habemus, duos calices deauratos --- caputque S. Joannis Baptistæ cum licentia Domini* ANSHELMI TUNC TEMPORIS ABBATIS *construxit. Ex hoc loco*, pergit HERRGOTTUS, *nisi omnia me fallant, clarissime patet, Scriptorem loqui de donationibus* CHUNRADI, *tanquam de re iam præterita, & quæ facta fuerit sub* ANSHELMO, *qui* TUNC TEMPORIS *Cœnobio praerat. Si enim* ANSHELMUS *Abbas eo tempore floruisset, quo Anonymus noster Acta sua conscripsit, dixisset utique:* NUNC TEMPORIS, *vel* HODIERNI ABBATIS: atqui, testibus Scriptoribus Monasterii Murensis, anno 1178. Abbas electus, an. 1210. diem clausit supremum. Eandem fere ætatem assignant CHUNRADO Cellerario, quem circiter an. 1193. obiisse, persuasum habent. Concludit ergo

Recentior Anonymi Mur. ætas ex contextu monstrata.

Proleg. III. §. VII.

ergo P. HERRGOTTUS, Scriptorem libri longius in seculum XIII. reponendum esse.

Quem perperam interpretatur Adversarius. pag. 37.

II. Quid ad hæc Adversarius? Etsi is illam ANSHELMI Abbatis ætatem non invitus admittat, negat tamen ac pernegat, exinde consectarium esse, ut talia demum post mortem ipsius Præsulis exarata fuerint. *Constat enim*, ait, *quod sæpius ea, quæ notitiæ posterorum consignata volumus, licet nostris temporibus, & vel hodie gesta, tanquam diutius præterita, & qualia ipsis sunt posteris, remota nos quoque considerare, utque talia illis transcribere soleamus: sicque etiam præsentiam eorum, qui rei gestæ interfuerunt, adhuc congruentius per terminos* TUNC TEMPORIS, *quam* NUNC TEMPORIS, *exprimimus.* Novam hic habemus antiquos interpretandi Auctores rationem, ante plane ignotam. Scimus equidem, Prophetas Veteris Instrumenti Theopneustos de rebus futuris nonnunquam locutos, ac si præsentes adessent: at ex Historicis ne unum quidem extare crediderim, nec a quoquam, qui de scriptis eorum commentati sunt, observatum, aut vel obiter indicatum memini, fuisse inter eos, qui a contrario de rebus præsentibus, quasi de præteritis, locuti fuerint, tantum abest, ut facta recentia adhuc *congruentius per terminos* TUNC TEMPORIS, *quam* NUNC TEMPORIS *exprimi queant.* Lusca est Historia, eiusdemque oculus chronologia frustra plane audit, si tempora adeo confuderunt antiqui, nulla ut ab eis observata fuerit *præsentis* atque *præteriti* distinctio; quis enim in tanta confusione veram & accuratam temporum rationem inire poterit? Ineptus certe sit, qui de hodierno Imperatore, gloriosissime regnante, verba faciens, adiiciat: TUNC TEMPORIS *Romanorum Imperatore;* nonne enim omnes existimarent, hunc talem vel desipere, vel ea esse in persuasione, ut putet, Imperatorem esse defunctum, iamque in eius locum alium esse suffectum? Sed apage id genus paradoxa; quandoquidem ipse clamat Actuarius, ut ne tanta sibi vis inferatur, dum eodem, quem in præsenti ventilamus, loco, inter præsens & præteritum, quam accuratissime distinguit: *Obtulit ergo*, inquit, *initio conversionis suæ* (vide tempus certum & præteritum) *maximum librum Missalem, quem habemus:* (ecce

(ecce tempus præsens) *duos calices deauratos*, *quæ usque in præsens in ministerio Domini cuncta parent* (en denuo tempus præsens, ubi Scriptor rem, de qua agit, cum adhuc ob oculos versetur, velut digito monstrat) iam ad rem præteritam animum intendamus: *nec non & brachium S. Martini Trevirorum Archiep. caputque S. Ioannis Baptistæ*, *cum licentia Domini* ANSHELMI TUNC TEMPORIS ABBATIS, *construxit.* Cur, quæso, in his ultimis verbis solis de re præsenti, quasi de præterita, locutus fuerit? Quis credat Scriptorem, alias satis accuratum, posteris adeo imponere, aut saltem errandi occasionem studio præbere voluisse, ut particula, quam Grammatici *temporis* vocant, alieno prorsus sensu uteretur? Quis enim nescit, voculis TUNC TEMPORIS vim inesse non aliam, quam temporis præteriti? Possem hæc pluribus aliis Actuarii locis roborare, sed, ut ne tempus in re, per se clarissima, inutiliter teram, haud ægre supersedeo.

III. Enimvero nec Adversarius omnem in istarum particularum gratuita hac interpretatione vim sui argumenti ponit, quin potius liberaliter concedit, *gesta* CONRADI *Cellerarii post mortem tam huius*, id est ipsius CONRADI, *quam Abbatis* ANSELMI *conscripta*: cumque plurima hac de re verba fecisset, repetito etiam, bonam partem, paragrapho, quem hic ventilamus, septimo, alias initio capitis impresso, sic demum infert: *Ne ergo putet*, *Clar.* Pater, *nova nobis esse*, *quæ ex memoria Abbatis Anselmi contra Murensium Actorum ætatem opponit*, *audiat*, *quid Murenses Monachi ipsi de hac re sentiant*, *& qua ratione iacula prævisa*, *quo minus feriant*, *declinent*, *penitusque retundant.* Utrum nova an vetera se proferre existimaverit P. HERRGOTTUS, equidem cum ignarissimis scio, id tamen neutiquam me latet, P. HERRGOTTUM id nuspiam venditasse: Scriptorem seculi XIII. esse adstruxerat, hanc propositionem ut tueretur, CONRADI Cellerarii, & ANSELMI Abbatis, hominum eodem seculo viventium, memoriam inibi fieri dixit, nihil prorsus addendo de novitate, aut vetustate argumenti. Præterea nullam iniuriam, nec PEIRESKIO, nec Abbati TSCHUDIO, factam pariter contendo, etsi, de posteriori præprimis, Adversarius citata pagina id non obscure innuere vi-

Nec eum iuvat Abbatis TSCHUDII, pag. 38.

pag. 39.

Ibid. deatur, dicens: *An vero Dominicum, virum cetera eruditum, hic adeo rudem habeamus, qui neque ætates duorum illorum Abbatum, quorum tot extant monumenta chronographica, novisset secernere.* Rudis habeatur Abbas DOMINICUS? Quis, quæso, hoc unquam dixit? Accipe, amice Lector, innocua P. HERRGOTTI verba: *Ex hactenus dictis*, ait, *refellitur* PEIRESKII *sententia, cui subscripsit Reverendissimus D. Dominicus* TSCHUDIUS, *Abbas Murensis, vir cetera eruditus.* Eruditum appellat, præmissa etiam honoris præfatione *Reverendissimi*, & Adversarius tamen, obiectam eidem ruditatem fuisse, inde arguit. Sed ponamus etiam, quod Abbatem hæc fugerint, aut non observata fuerint (uti revera de hoc nihil uspiam observat) num propterea *rudis* habendus? Tractarunt hunc Scriptorem GUILLIMANNUS, PEIRESKIUS, TSCHUDIUS, ECCARDUS, CALMETUS, HERRGOTTUS, ac plures alii, alius alio plura in eo observavit, nec tamen priores *rudes* habendos quisquam existimabit, quod minora consequentibus observaverint. Deinde mihi quidem dubium non est, *Dominico* TSCHUDIO ætatem tam RONZELINI quam ANSHELMI Abbatum probe cognitam, atque perspectam fuisse; at illum ex temporum congruentia Abbatis ANSELMI, ætatem Anonymi nunquam mensurasse, æque compertum est; quippe, qui hac de re nihil uspiam prodit. Ceterum quæ sint illa *iacula prævisa*, de quibus in adductis verbis mentio fit, non satis capio? Grande forsan crimen, cum Scriptoris cuiusdam errores, ab aliis, saltem quoad partem non exiguam, iam visi, plenius, re & instituto ita exigente, deteguntur, atque ætas etiam, quoad in re adhuc obscura fieri potuit, exponitur? perinde ac si respublica litteraria libera non esset, aut communitati iniuria fieret, si defectus nonnulli, a Scriptore, eiusdem membro, sine noxa, sine culpa, ac sine umbra criminis, quin ex fragilitate duntaxat humana, commissi, propalantur? si hæc non licent, cur ergo signum contra P. MARQUARDUM sustollitur? num ex uno malo duo procudenda? *Respublica litteraria*, scite
a docet MABILLONIUS (a), *status amplæ libertatis perhibetur esse, in quo unusquisque patritium ius habere præsumit.*

IV.

(a) Tract. de stud. monast. P. II. c. XIII. p. 193. edit. II. Venetæ.

IV. Verum iam propius ad rem veniendum eſt, videndumque, quid de ætate ipſius ſentiant Venerabiles Monachi Murenſes. Hos enim, etſi præ aliis audire haudquaquam teneamur (neque enim, quod codex ad eos pertineat, in iudicando aut acutiores ſunt, aut maius ad id, præ ceteris, præſidium habent, maxime, cum iam & ſpecimen ſcripturæ editum, atque adeo aliis quoque communicatum ſit) iuvat tamen, ut monente ac volente Adverſario, præ omnibus audiamus R. P. WISENBACHIUM (a). *Si varius*, ait, *in Genealogia deſcribenda ſtilus obſervatus, argumento eſt, coniecturandi varios Auctores, eandem profecto cenſuram de Auctoribus libri fundationum fieri oportet, & ſi is ſub* RONZELINO *ſolus ſcripſiſſe, vere aſſereretur, amabo! quomodo Acta noſtra in illius ipſius libro ſubſiſtent? ubi hæc expreſſim leguntur de* CONRADO *Monacho &c.* & paucis interiectis: *inter* RONZELINUM *&* ANSELMUM *duo adhuc Abbates*, CHUNO *&* WERNHERUS, *præſederunt, plurium annorum intervallo. Quapropter veroſimilius eſt, non unum, ſed plures fuiſſe Actorum concinnatores.* Conditionem ergo ponit WISENBACHIUS: *Si varius ſtilus obſervatus argumento eſt*, at hanc ſtili varietatem gratis adſtrui, nec unquam ex ſola ſtili diverſitate tuto indicari poſſe, notum eſt, atque indubitatum, ut nos cap. XI. pluribus exponemus. Quod autem adiicit, *& ſi is ſub* RONZELINO *ſolus ſcripſiſſe vere aſſereretur* &c. reſponderi queat, id haudquaquam neceſſe eſſe, ut dicatur, adſtruaturque; ſufficit enim dicere, eum poſt ANSELMUM Abbatem & CONRADUM Cellerarium vixiſſe, ac tum res in ſalvo erit. Falſum enim eſt, ut ſtatim videbimus, Actuarium ſub RONZELINO Abbate vixiſſe. Denique R. P. WISENBACHIUS vir ſane æquus & modeſtus erat, qui graviora argumenta non habens, veriſimilitudinem duntaxat, non certitudinem, ex coniecturis ſuis extundere conatur, dicens: *quapropter veriſimilius eſt, non unum ſed plures fuiſſe*, nihil pro certo ſtatuens, ſecus ac fecit Adverſarius, ut adeo mirum ſit, eius auctoritatem fuiſſe evocatam?

Nec P. WISENBACHII ea de re opinio; a

V. Maioris momenti videtur, quod deinceps opponit Adverſarius, ubi œconomiam operis exponens, finem prioris

Nec denique ex conclu-

 Scrip-

(a) Annal. Eccleſ. p. 608. MS.

dendi formula, ante finem codicis legenda, quicquam extunditur; pag. 42.

Scriptoris ex his verbis, pag. XXXVI. legendis, apparere contendit: *Nunc ergo ſicut nos ſubſtantiam iſtius ſanctæ Eccleſiæ, quæ vel ante nos, vel noſtris temporibus huc collata eſt, deſcripſimus, ſic faciant & illi, qui poſt nos veniant.* Hæc ſane verba Scriptoris eſſe finientis, nemo non videt, ſubiungit Adverſarius: id quod neque ego inficior; nam filum hic tantiſper abruptum eſſe, quis negaverit? at reaſſumi non potuiſſe, id demum eſt, quod nulla cum iniuria negamus, cum revera denuo reaſſumptum fuerit; nam ibidem ſequitur: *Notum omnibus ſit præſentibus & futuris* &c. quando enim alia ſine novo titulo, ſine intervallo, ſine aliqua finis nota, ſubſequuntur, ſignum eſt, librum nondum eſſe finitum. Porro ex ipſo Auctore ſatis ſuperque perſpicuum fit, illum non ſolum hic loci ſcriptionem ſuam formula quadam finali coronare, ſed & ſæpius alibi. Quodſi ergo toties alium Scriptorem ſtatueris, quot clauſulas eiusmodi finales videris, legerisve, non duo duntaxat, quod prætenditur, ſed multo plures Scriptores habebimus, atque adeo inſignem prorſus centonem; qua de re nemo adhuc ſomniavit.

Cui quippe ſimiles aliæ obſunt:

VI. Ne autem id, quod dixi, gratis dixiſſe videar, Auctorem iam ipſum inſpiciamus, aucupemurque eius concludendi formulas. Prima occurrit pag. 36. ubi conceptis verbis hunc in modum concludit: *Econtra autem oportet ſcire, quantam felicitatem locus iſte, & inhabitatores eius ſæpe aſſecuti ſunt, ut modo in multis rebus claret --- quod nunquam deſinat facere* Iesus *Chriſtus Dominus noſter, ſed nobis miſeris famulis ſuis ſemper auxiliari dignetur. Amen.* Nihil videt, qui non videt, clauſulam hanc vel integro tractatui finiendo aptam eſſe: ut nihil dicam de vocabulo *Amen*, modo concludendi aliunde uſitatiſſimo. Attamen id Scriptorem non impediit, quin telam, tantiſper abruptam, denuo præ manibus ſumeret, pergendo: *Prius ſcripſeramus, qualiter locus iſte* &c. ut paullo inferius. Eodem fere modo S. Lucas (liceat parvis componere magna) bina opera, Evangelium nimirum, & Acta Apoſtolorum diſtinxit, illud hunc in modum finiens: *Et erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum. Amen.* Hoc autem tali modo incipiens: *Primum quidem ſermonem*

feci

feci de omnibus, *o Theophile* &c. At hæc opera diverſa eſſe, nemo neſcit. Alium finiendi modum invenio pag. 44. cum brevi adhortatiuncula ad Monachos, ſeu potius ad Abbates, quod poſtea dicemus, ſucceſſores, iisdem fere verbis expreſſa, quibus illa finiendi formula, ad quam Adverſarius antea provocavit: *quia anteriores noſtri ſemper ſtuduerunt potius augmentare cenſum eccleſiaſticum*, *quam minuere*, *ita & nos*, *& qui poſt nos venerunt* (lego venerint) *oportet augere.* Quemadmodum enim priori in loco ſucceſſores adhortatur, ut ſi deinceps bona quædam aquiſituri ſint, id diligenter adnotare, ſeu deſcribere, non omittant; eodem modo tam ſibi, quam ſucceſſoribus, legem ſancit, ut eccleſiaſtico cenſui novos identidem pro virili parte adiicere ſtudeant. Non abſimili modo finem imponere videtur pagina antecedenti 42. ubi de reliquiis Sanctorum agens, *quas*, ut inquit, *largire dignatus eſt Dominus huic loco*, easdem augere, & conſervare præcipit, immo & *annotare cum iſtis*, *ut ſciatur nomen eorum*, *& non deleatur nomen eorum.* Alia porro Auctoris concludentis veſtigia comparent in fine paginæ 48. ubi hæc legimus: *Sunt adhuc hic opuſcula libellorum ſatis utilia*, *quæ oportet ſervare & meliorare*, *& non deſtruere*, *quia nos non potuimus ea ſigillatim deſcribere. Libros autem oportet ſemper deſcribere*, *& augere*, *& meliorare*, *& ornare*, *& annotare cum iſtis*, *quia vita omnium ſpiritualium hominum ſine libris nihil eſt.* Sic finit loco citato, nec tamen propterea dicendum eſt, poſt hæc novum opus, alterius interveniente induſtria, incipere; cum Actuarius ipſe continuo hunc in modum pergat: *At nos*, *quia aliquantum ſubſtantiam interioris noſtræ eccleſiæ deſcripſimus*, *libet etiam exteriorem ſubſtantiam*, *quam iſte ſacer locus in prædiis aſſecutus eſt*, *intimare.* Non, inquam, iſthæc, etſi ex ſe, finientis manifeſta ſint indicia, ſingula novum arguunt Auctorem, ſed novam duntaxat ſectionem, quæ ſecundum œconomiam operis ſponte ſeſe offerebat.

VII. At ego longius exſpatiarer, ſi ſingula vellem proſequi, id unum adhuc addo: pag. 64. reperiri nedum concludendi formulam, ſed & novæ præfationis veſtigia, hiſce verbis expreſſa: *Periculoſum eſt*, *ea ſcriptura affirmare*, *vel pro-* Imo & nova fere præfatio.

 pala-

palare, quæ cum iniustitia & rapina, aut violentia congregata, aut aquisita sunt & reliqua usque ad verba: *quæ nos simplices & pueros hactenus latuerunt.* Hæc & similia cum præfatus esset Auctor, narrationem suam, cuius caussa ea præmiserat, hunc in modum ac velut ab ovo orditur: IN *Wolen habitavit quondam secularis ac præpotens vir, nomine Guntrannus* & cetera, ibi per extensum legenda, quæ sane, si quid aliud, diversitatem Scriptorum, multo magis probant, quam illa concludendi formula, ab Adversario adducta; nec tamen ideo dixerim, diversorum Auctorum admitti debere centonem. Cum ergo eiusdem Adversarii argumentum nimium probet, ita quidem, ut ex variis eiuscemodi concludendi formulis, in codice observatis, plures emergerent Scriptores, atque computato quoque eo Scriptore, aut iis Scriptoribus, qui tabulam genealogicam, Actis præfixam, condiderunt, ad minimum quinque aut sex extunderentur, nihil ut probet necesse est. Hinc & gratis carpitur P. HERRGOTTUS, quod visa illa atque lecta concludendi formula, unicum tamen computaverit Scriptorem; quippe cum eiusmodi formulæ plures occurrant, adeoque ex principiis Adversarii plures, quam par esset, constituendi forent Scriptores.

Diluitur obiectio.

VIII. Dices haud dubie: Ultimam conclusionem, ab Adversario excitatam, clausulam esse totius operis, reliquas cuiuslibet partis. At non ita esse, clausulas eiusmodi repetenti constabit. Nam revera & illa, quæ sub finem habetur, specialis duntaxat est, eius scilicet partis, quæ de *substantia* tam *exteriori*, quam *interiori* agit, quamque a pagina sexta & tricesima, ad nonagesimam secundam descripsit. Apertissime enim in ea clausula de *substantia* duntaxat *ecclesiæ*, cuius historiam dare constituit, loquitur, contra vero in præcedentibus a pag. 2. ad 36. speciali segmento historiam fundationis, nec non & Præpositorum & Abbatum, exhibuit. Quare prima parte finita, ad alteram transiturus, hunc in modum præfatur: *Prius scripseramus, qualiter locus iste Mura fundatus sit, aut quomodo, vel unde Monachica vita ordinata hic fuerit, sive qualiter libertatem, aut Abbates, sive alios rectores, aut advocatos acceperit; nunc autem volumus, in quantum*

tum possumus, annotare substantiam huius sacratissimi Altaris. Cum ergo integra pars præcesserit, ac ea clausula, quæ parti illi, de substantia Monasterii tractanti, subiungitur, de prima libelli parte mentionem nullam faciat, evidentissimum est, clausulam illam haudquaquam generalem esse, sed specialem, illius scilicet partis, quæ de substantia monasterii inscribitur, ut adeo singula hæc frustra obiiciantur.

Hactenus dicta, quomodo capienda.

IX. Verum hæc neutiquam eo dicta sint animo, ac, si mihi persuasum esset, non duos, sed unum duntaxat Auctorem esse, nec fieri potuisse, ut eidem aliquando adiiceretur appendix; quid enim de omni hac re sentiam, deinceps expositurus sum, sed ut ostenderem, ut dixi, vi argumentorum, ab Adversario prolatorum, nihil probari contra P. Herrgottum, atque argumentum ex ætate Abbatis Anselmi & Conradi Cellerarii optime processisse. Atque hinc est, quod nonnulla alia, ab Adversario hic obiecta, sicco vestigio præteream, clarius locuturus, cum ad caput XI. & XII. ventum fuerit.

Nova Adversarii obiectatio breviter remissa. pag. 37.

X. Unum tamen hic prætermittere haud possum: Obiicit scilicet Adversarius P. Herrgotto: perperam legi in eius editione *Cellario* pro Cellerario; *non Cellario*, inquit, *ut* P. Herrgotti *editio habet.* Quæso tantum, ne quid nimis: tam enim facilis est lapsus calami aut typi, quam, secundum Virgilium, descensus averni: nec certe ipsa Adversarii typographia, licet sub eodem cum Auctore, tecto constructa, ab eiusmodi erroribus, quos inter humanæ fragilitatis testes recte adnumeraveris, penitus immunis est; quandoquidem non minus triginta *Vindiciis*, octo vero errata ipsis subiungantur Actis, ab Adversario editis. Cave autem, credas, omnia ibi emendata & exposita esse, quod exemplis monstrare possem, siquidem operæ pretium foret: nec tamen prætereundi sunt errores non nulli in ipsa Actorum editione commissi, simillimi iis, quos ille P. Herrgotto, eiusque Sodalibus, operose adeo obiicit, de quibus nos superius cap. IV. num. IX. p. 32. His accedit, quod P. Herrgottus eodem, quem Adversarius indicat, loco, revera ediderit *Cellerario*, non *Cel-*

Cellario: Adverſarius contra eundem pag. 93. num 346. emendaverit, ſubſtitueritque *Cellario*. Vel ergo Adverſarius egregie deceptus eſt, vel ſibi ipſe non conſtat, vel denique hæc vitilitigationis duntaxat ſtudio facta ſunt. Quidquid ſit, falſum eſt, P. HERRGOTTI editionem præferre *Cellario*.

CAPUT IX.

Expenditur PEIRESKII coniectura de ætate Anonymi Murenſis.

PEIRESKII de ætate Anonymi coniecturæ a P. H reiectæ.

I. ACcedimus ad Adverſarii caput VIII., quod totum firmandis PEIRESKII coniecturis datum eſt. Arguerat is, Anonymum Murenſem ſub medium ſeculi XII. id eſt, ſub RONZELINO, ſeu ROEZELINO, ut eum Actuarius conſtanter nominat, Abbate, qui anno MCXLV. 4. Ian. obiit, vixiſſe, atque lucubrationem ſuam anno præter propter MCXLII. ad umbilicum deduxiſſe. Quam coniecturam, ut ſtatuminaret PEIRESKIUS, ad locorum contextum provocabat, quorum is præcipuus eſt, qui RONZELINI Abbatis memoriam p. 51. hunc in modum ingerit: *Sed quod altare male compoſitum fuit ſub Abbate Ronzelino, effregimus ipſum altare, & ſicut modo eſt, collocavimus. Cumque ad reliquias ipſas perveniremus, penitus ex humore terræ computruerunt, at nihil invenimus, niſi quoddam os & pulverem.* Ex hoc loco contrarium potius, quam quod probare nitebatur PEIRESKIUS, conſequi, demonſtravit P. HERRGOTTUS, dicens: „ Scriptorem hic vere de RONZELINO loqui, tanquam de viro, „ qui longiſſimo ante tempore iam mortuus fuiſſet; ſiquidem „ altare a RONZELINO male compoſitum, Scriptoris ævo effringere, & in aliam formam redigere opus fuerat: tantum „ vero temporis intervallum interceſſiſſe inter fabricationem „ RONZELINI & novam exædificationem altaris, ut Scriptoris ævo reliquiæ Sanctorum ibidem collocatæ, ex humore „ terræ computruerint, & præter os & pulverem nihil reſidui repertum fuerit.

Proleg. III. §. VIII.

II.

II. Longe aliter clientem ſuum hic interpretatur Adverſarius, ac antequam diffuſiorem prædicti loci contextum adducat, tantum non aperte dicit, P. HERRGOTTUM hic mala fide egiſſe, textumque ſtudioſe mutilaſſe. En eius verba: *Adeamus ergo & nos locos, ab illo allegatos; verum non tantum fragmentum hiſtoriæ*, PROUT HANC P. HERRGOTTUS DATA OPERA HIC MUTILAT, *ſed integram illius ſeriem inſpiciamus, & quidem ſicut hanc ipſe Clar. Pater in ſua Actorum Murenſium editione legit.* Quis amabo! cui quidem ſanum ſit ſinciput, in animum poſſit inducere ſuum, virum illum, qui tanto in hac ſcriptione ſua candore uſus eſt, ut Auctoris, cetera licet ad rem ſuam adprime facientis, vitia ac virtutes nullo modo diſſimulare voluerit: qui ubique veterum ſcripturarum, ne in ulla re deeſſet, atque ipſius etiam Scriptoris Murenſis ectypa dedit: qui demum ipſum codicem Murenſem cum MS. ab ipſis Murenſibus, eius Sodalibus communicato, denuo contulit, atque ad calcem eiusdem voluminis, quo hæc ſcripſit, ſecundis curis edidit: quis, inquam, comprehendere queat, P. HERRGOTTO unquam in mentem veniſſe, ut hic textum Auctoris, quem alibi ampliſſime exhibet, data opera mutilet, atque adeo Lectorem circumveniat? Et ad quid demum eiusmodi truncationem eius Scriptoris ſibi profuturam ſperare poterat, quem a PETRESKIO & ECCARDO pridem atque integrum editum fuiſſe, omnes noverant? Num omnia longiſſimis textibus infarcienda ſunt? prelumque, ubi opus haud eſt, fatigandum? ne, quæſo, vacuis ſuſpicionibus tribuamus nimium. Nec tamen, textum truncatim adducendo, pag. 46.

III. Non minori, immo haud paullo maiori vitio datur P. HERRGOTTO, quod recitatum textum Anonymi, ex editione PEIRESKII eductum, cum errore typographico, tranſpoſito nempe colo, citaverit; cum tamen in propria editione comma illud loco debito conſpiciatur. Hinc Adverſarius eundem hunc in modum reſtituit: *Sed quia altare male compoſitum fuit, ſub Ronzelino Abbate effrigimus ipſum altare, & ſicut modo eſt, collocavimus.* Conſiſtit ergo tota emendatio in retractione unius commatis, quod poſt verbum ſubſtantivum *fuit*, reponendum: Nec culpatur hic P. HERR- Aut comma aliquod perperam locando, pag. 47.

GOTTUS, quod textum hunc male ediderit, quia comma illud recte, ac suo loco comparet, sed quod illud male, & secundum mendosam PEIRESKII editionem, in hoc paragrapho citaverit, & hinc illæ lacrymæ! Id ipsum enim est, quod eidem exprobratur, quasi mala fide egisset, aliter citando, aliter edendo; exclamante propterea Adversario: *Num omni culpa immunis, qui assumpta semel provincia, castigandi vitiosas Actorum Murensium editiones, errorem illum non tantum non notarit, sed quem sibi ad ætates Ronzelini, & Scriptoris longius intervallandas patrocinari putabat, contra suæmet editionis sensum hic amplecti, vel saltem dissimulare voluerit?*

pag. 49.

Mala fide egit P. HERRGOTTUS;

IV. Mira humani ingenii in rebus controversis sagacitas! Modo malæ fidei postulatur, qui fide egit optima; modo, qui candidissimus est, dissimulator audit; non alia ex caussa, quam quod nostris non faveat partibus. Comma illud, quod tantos excitavit clamores, si dissimulare voluisset P. HERRGOTTUS, nonne consequens erat, ut id in editione quoque, à se curata, loco non suo poneret? Id ergo cum non fecerit, perspicuum omnino fit, illum nihil prorsus egisse per dissimulationem. Scire denique cuperem, qua subnixus auctoritate, Adversarius exigat, ut dictum illud incisum post verbum *fuit* potius, quam post verba *Abbate Ronzelino*, collocetur? quandoquidem autographum ipsum, nullis commatis vel colis, ut specimina, a P. HERRGOTTO edita, manifestissime docent, distinguuntur, omnisque interpunctio ab editoribus primum adiecta sit? Cum ergo comma illud æque in hoc, ac altero loco, commode, cumque nullo vero verborum sensui, vim inferendi periculo, recipi queat: ius utique fuerit P. HERRGOTTO non minus, quam ceteris editoribus, illud aut cum ECCARDO ab antiqua sede deturbandi, vel in eo statu, quo illud primus editor PEIRESKIUS posuit, relinquendi. Cum ergo facere potuisset, quidquid libuisset, iniuste sane dissimulationis accersitur HERRGOTTUS. Denique non video, qui fieri potuisset, ut propria potius, quam aliena editione, cum Prolegomenon illud tertium scriberet, uteretur; quippe quam nondum habuerat: atque illud velut in fronte libri: Acta contra in calce eiusdem, typis exscribi debuerint. Nemo

etiam

etiam nefcit, quam facilem præbeant ufum libri iam impreffi præ manufcriptorum fafciculis; utpote plerumque nondum ligatis & complicatis, nec non grandioribus etiam.

V. His omnibus accedit, quod P. HERRGOTTUS alia, quam PEIRESKII editione non folum non uti potuerit, fed neque debuerit quidem. Frontem ad hæc rugabit nonnemo, exiftimans audire fe paradoxum; at frontem iterum porriget, quicunque æquus rerum cenfor, mecum expendet, quod, quidquid hic in medium protulit P. HERRGOTTUS, id non tam ad ftabiliendam fuam hypothefin, quam elevandam opinionem PEIRESKII prolatum fuiffe, atque adeo eo elaboratum, ut ex verbis Actuarii, prout ea a PEIRESKIO excitata fuerunt, nihil probari; quin potius ex iis evinci contrarium, demonftraretur. Paucis: verba adduxit PEIRESKIUS, eadem PEIRESKIO verba, nec alia, reddi debuerunt. Sed ut hæc res clarius patefcat, altius nonnihil repetenda erit. **Quin potius aliter fieri nec potuit,**

VI. Egerat P. HERRGOTTUS, fegmentis tribus antecedentibus, de ætate, cum Anonymi, tum codicis Murenfis, huncque, cum ex materia, qua conftat, tum ex figura litterarum, nec non ex contextu ipfo diiudicans, ad feculum tertium decimum tam codicem ipfum, quam & eius Auctorem reiiciendos ftatuit. Reliquum ergo erat, ut argumenta, a partibus fibi adverfis in medium allata, æqua lance ponderans, quid ex iis rite deduci poffet, aut non poffet, examinaret. Duo autem ipfi oberant potiffimum, de ætate Anonymi aliter fentientes, PEIRESKIUS videlicet & Reverendiff. Abbas TSCHUDIUS. Hic transmitti poterat; ut qui alterius iudicio contentus, novas probationes non attulit. Solus igitur reftabat PEIRESKIUS. Quid ille? *Vixit*, inquit, Anonymus Murenfis *ante annos fere quingentos; nimirum, ut ipfe teftatur, fub Ronzelino Abbate*, digitum intendens ad locum Anonymi, paullo fuperius allegatum, ut & Adverfarius ultro largitur. Iam quid ageret HERRGOTTUS? id utique, quod e re fua foret, oftendendo, PEIRESKIUM ex citatis verbis quoad ætatem Anonymi nihil probaffe, quin potius, quod ex iisdem, prout hic iacent, & quatenus interpunctio, ab ipfomet **Nec debuit.**

met posita (ut & poni poterat) exigebat, contrarium potius consequatur. Quid enim his verbis luculentius: *Sed quod altare male compositum fuit sub Abbate Ronzelino, effregimus ipsum altare, & sicut modo est, collocavimus. Cumque ad reliquias ipsas perveniremus penitus ex humore terræ computruerunt; at nihil invenimus, nisi quoddam os & pulverem?* Nunquid enim non rectissime ex iis infertur, altare sub RONZELINO Abbate male compositum, Auctoris ævo effractum fuisse, tantumque adeo inter constructionem, sub RONZELINO Abbate factam, atque reparationem, ævo Auctoris susceptam, effluxisse temporis, ut reliquiæ ex humore terræ computruerint, nihil ut amplius, præter os & pulverem, repertum fuerit? Id, inquam, ex adductis Actuarii verbis manifeste consequitur, etiamsi integram, rei gestæ seriem, quam mox inferius dabimus, una coniungamus. Etsi enim tota illa relatio rectius nonnihil cohæreat, si altare illud, sub UDALRICO dicatum, sub RONZELINO Abbate effractum fuisse (id quod historia equidem refert) dicamus: quamdiu tamen comma illud, quo de P. HERRGOTTO nulla, ut diximus, suspicio, aut dubium obversari poterat, eo loco, quo illud PEIRESKIUS locavit, manet, necesse est, ut alium eruamus sensum, ac aliquid sub RONZELINO Abbate iuxta vel in ipso altari immutatum, aut reparatum fuisse dicamus, eidem altari ita nocivum, ut deinde illud effringi, ac denuo reparari opus fuerit. Quanquam, ut hæc singula tam severo examine trutinaret HERRGOTTUS, sui ipsius muneris haudquaquam fuerit; ut qui contentus esse poterat, ostendisse, ex eo loco, ad quem provocabat PEIRESKIUS, nihil admodum contra suam opinionem probari, quin potius eandem magis, magisque confirmari. Etenim Scriptorem hunc hominem seculi XIII. esse, in hoc paragrapho, non tam novo argumento demonstrare, quam obiectionem, ex sententia PEIRESKII petitam, solvere parabat P. HERRGOTTUS, *ex hactenus dictis*, ait, *refellitur Peireskii sententia:* quod ut rite præstaret, quid amplius opus erat, quam, ut locos, ad quos ille provocabat, ex ipsiusmet editione in medium proferret, ostenderetque breviter, quod illi haudquaquam faveant? Satis enim ætas Scriptoris, supposito, unum, eundemque esse Auctorem, ex antea

loc. cit.

dic-

dictis colligi poterat, ut adeo de novis argumentis parum sollicitus P. HERRGOTTUS, PEIRESKIUM ex PEIRESKIO refutandum sibi sumpserit, quod &, stante sua hypothesi, optime processit.

VII. Eadem fere ratione obviamus Adversario, quando reliquam huius sectionis partem satis acerbe deinceps traducit, hanc P. HERRGOTTI obiectionem, quam is sibimet ipsi fecit, aggrediens : „ Nec iuvat dicere, reliquias illas ab „ UDALRICO *Episcopo II. Constantiensi*, *nono Kal. Ianuarii*, „ ibidem denuo repositas esse. Nam etsi *Udalricus* Ep. in „ nostris chartis recurrat annis MCXXX. 8. Febr. & MCXXXVIII. „ 28. Nov. id tamen minime probat, Scriptorem ævo *Udalrici* Episcopi vixisse, quin mox subsequentia verba, quibus „ ait: *continentur autem in ipso altari, sicut ego ipse vidi & „ audivi, reliquiæ* &c. indicant, reliquias, anteriori tempore „ ab *Udalrico* Episcopo repositas, Scriptori postmodum visas „ esse, huncque ab aliis forte monachis audivisse, quænam „ reliquiæ, & a quo ibidem reconditæ fuissent. „ Hæc P. HERRGOTTUS sibi opponit, quæ ab aliis ex contextu Auctoris, quem deinceps integrum adducemus, opponi potuissent, atque insimul ipse etiam diluit; quam tamen circumspectionem tantum non probavit Adversario, ut eidem vix non sibilo sit, quando post multa, a nobis postea examinanda, sic demum pronuntiat : *Poterat hinc etiam & debebat inferre* (HERRGOTTUS) *Scriptorem Murensem, ceu rei gestæ oculatum testem, sub Abbate* RONZELINO *vixisse, nisi illud paradoxum & ipse voluisset admittere, nempe, altare quidem effractum ævo Scriptoris, hoc est, iuxta chronologiam P.* HERRGOTTI *seculo XIII. sed reliquias, in effractione repertas, unacum aliis, in ipsum altare ab Udalrico Episcopo rursum repositas esse tempore longe anteriori, videlicet seculo XII.*

Alia Adversarii obiectatio, loc. cit.

pag. 52.

VIII. Accusatur ergo P. HERRGOTTUS, quasi qui adeo fœdum commisisset anachronismum, adeo male duxisset calculum, ut integrum seculum, cursu retrogrado quasi retrahendum esset; si quidem ratio chronologica eiusdem constare deberet. Gravis certe in virum Eruditum obiectatio, & eoqui-

Minime probans, P. HERRGOTTUM anachronismi accusandum;

quidem gravior, quod P. HERRGOTTUS nihil hic tale commiserit. Non enim hæc verba Murensis Scriptoris, tanquam testis oculati, ut falso supponit Adversarius, proposuit P. HERRGOTTUS, sed ut Scriptoris subsecuti, quasi dixisset: altare illud anteriori tempore, id est, ante effractionem, ævo primum Scriptoris factam, aliqua reparatione opus habuisse, ita ut reliquiæ, primitus ibidem conditæ, rursum recondi debuerint ab UDALRICO Episcopo sub RONZELINO Abbate, quas deinde viderit Auctor suo tempore; qua in re non capio, quid contra temporum rationem peccatum fuerit. Supponit nempe, ut id addam, P. HERRGOTTUS etiam hic, quod in præcedentibus paragraphis (stante hypotesi, quod unus duntaxat, non plures, codicis auctores sint) invictis probaverat argumentis: Scriptorem vixisse seculo tertio decimo; hinc, ut is sibi ipsi contrarius ne videretur, aliqua ratione explicandus & salvandus erat, id quod melius sane, quam iam dicta, fieri haud poterat ratione.

Non subsistente quippe hypothesi.

IX. At dices: quomodo Auctor reliquias, sub UDALRICO secundo Ep. Constantiensi integro ante seculo reconditas, videre poterat; quandoquidem hoc sine violatione sepulcri fieri haud poterat? Id ipsum est, quod Adversarius pag. 51. obiicit, mihique iam ansam præbet, vexatissimum hunc Actuarii locum operosius non nihil examinandi, atque eo iam ordine, quem Adversarius tenuit, procedendi. Debeo autem ante omnia integrum apponere locum, quod & Adversarius fecit, & fieri debere obtendit, immo integriorem adhuc adducam, cum postrema verba non minus, quam priora, in rem nostram faciant:

„ Cappellam autem S. Iohannis Evvangelistæ construxit quæ-
„ dam nobilis matrona, nomine Gerhild, sub Abbate Uodalri-
„ co, qui fecit eam dedicari XII. Kl. Maii in honore supra
„ dicti Sancti Iohannis a quodam Episcopo, nomine Geroldo
„ de Rinzin, qui erat monachus factus ad Suavinhausen. In
„ quod altare collocatæ sunt tunc reliquiæ Sanctorum, id est
„ eiusdem S. Iohannis, Mauritii, Pancratii, Iohannis & Pauli,
„ Sebastiani, Placidi, Sigberti, Eucharii. Sed quia altare
„ male compositum fuit, sub Abbate Roezelino effrigimus

ipsum

„ ipſum altare, & ſicut modo eſt, collocavimus. Cumque
„ ad reliquias ipſas perveniremus, penitus ex humore terræ
„ computruerunt, ac nichil invenimus, niſi quoddam os:
„ ſed pulverem ita, ut invenimus, collegimus, ac cum reli-
„ quiis Sancti Marci Evvangeliſtæ, & Sancti Nicolai Epiſcopi
„ rurſum repoſitæ ſunt eadem (eædem) reliquiæ in ipſum al-
„ tare ab Uodalrico Epiſcopo II. Conſtantienſi ſub die nono
„ Kl. Ianuarii. Continentur autem in ipſo altari, ſicut ego
„ ipſe vidi & audivi, reliquiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ.
„ De Sepulcro Domini. De ſancta Cruce. Sancti Petri, Pau-
„ li, Iacobi, Stephani Prothomartiris, Alexandri, Marcelli,
„ Albini, Conſtantis & Alexandri, Vincentii, Mauritii, Ge-
„ reonis, Felicis, Pancratii, Criſtofori, Sebaſtiani, Valenti-
„ ni, Ypolliti, Pelagii, Gangolfi, Geneſii, Apri, Coſmæ
„ & Damiani, Gregorii Papæ, Martini, Nicolai, Briccii, Zeo-
„ nis, Victorini, Severini, Legoncii, Benedicti, Galli, Leonhar-
„ di, Julianæ, Regulæ, Fortunatæ, Gertrudis, Afræ, un-
„ decim M. Virginum. In capſa autem, quæ ſtat ſuper Alta-
„ re, ſunt reliquiæ Sancti Martini, Blaſii, Vincentii, Victo-
„ ris & Urſi, Mauritii, Gorgii, Dyoniſii, Gregorii Papæ,
„ Innocentii, Tede (Teclæ) Virginis. „ Hucuſque Actuarius Murenſis, fideliter, ſecundum ipſius Adverſarii editionem, exſcriptus; ex quo ſatis prolixo loco, tam Peireskius, quam & Adverſarius, evincere ſtudent: Actuarium Murenſem ſub Ronzelino Abbate vixiſſe, rationem ſuam inde promentes; quod rem totam hic enarret, quaſi qui ipſemet interfuerit, teſtisque præſens, rem omnem oculis uſurpaverit ſuis. Quod ſi vero contrarium oſtendero, nempe ex illo ipſo loco conſequi, Auctorem illi actui non interfuiſſe, ruet, quidquid hic Adverſarius P. Marquardo oppoſuit.

X. Ut igitur ordine procedamus, concedimus Adverſario, ſenſum huius loci ſincerum & genuinum hunc eſſe: *Sub Abbate Uodalrico altare male compoſitum, ſub Abbate autem ſubſequenti Ronzelino effractum atque reparatum, ac demum præſente Udalrico II. Epiſcopo Conſtantienſi conſecratum fuiſſe.* Lubens hæc, inquam, concedo, & quæro tantum, undenam, & quibus ex verbis probent tam Peireskius, quam

Hinc Adverſarius potius, atque Peireskius peccant. pag. 48.

quam Adverſarius, Auctorem loqui de ſua ipſius præſentia? Duobus ex verſibus haud dubie reſpondebunt. Primo, quod hiſce verbis utatur: *effrigimus*, *collocavimus*, *perveniremus*, *invenimus*, *collegimus*, deinde, quod expreſſe dicat: SICUT EGO IPSE VIDI ET AUDIVI; qui enim videt & audit, nedum iam natus ſit, oportet, ſed & non longe abeſſe poteſt ab ea re, quam videt & audit. Verum quod ad primum attinet, vehementer nego, ex illis loquendi formulis, Auctori huic aliunde ſummopere frequentatis, conſectarium eſſe, ut ſolemnitati iſti præſens adfuerit. Utitur enim ipſiſſimis loquendi modis, id eſt, plurali numero, æque alibi, ubi tamen ex certis indiciis deprehenditur, ipſum actioni, quam narrat, haudquaquam interfuiſſe. Sic vg. p. 20. ſcribit: *ſed hoc verum eſt etiam, quod decimas omnium Eccleſiarum, pene uſque ad Windiſſo ſitarum, cis fluvium, nos antea* ACCIPIEBAMUS. Facta hæc ſunt, antequam Auctor monachum induiſſe poterat. Agitur enim ibi de Dedicatione Baſilicæ Murenſis, quæ anno 1060. peracta eſſe dicitur, nec non de bonis, ea occaſione aquiſitis. Unde Auctor paullo antea dixit: *ſi plus ſit confirmatum vel datum in Dedicationem, non potuimus verius inveſtigare.* En hic ſimiles loquendi modos, nec tamen dixeris, Auctorem iam tum anno 1060. monachi vitam egiſſe, Dedicationique præſentem fuiſſe, ut ex ſe patet. Eosdem ſcribendi modos adhibet quoque pag. 90. ubi de latifundiis, quæ in *Rotwil caſtro, quod eſt iuxta Friburg*, aquiſierant Murenſes, agens, ſubiungit: *De vitibus autem, ſive quod* NOS PLANTAVIMUS, *vel plantatas* INVENIMUS, *quando primum* POSSEDIMUS, *quod ad decem* &c. PLANTAVIMUS, ait, cum credibile non ſit, monachos Murenſes Rotwylam in Briſgoviam profectos, ad vineas ibidem excolendas. Ait præterea: QUANDO PRIMUM POSSEDIMUS, itemque INVENIMUS, etſi ipſe certo certius operam ſuam in nulla hac re contulerit; hinc ergo ex citatis eiusmodi loquendi modis nihil admodum evincitur.

Maxime autem Adverſarius pag 52.

XI. Sed multo magis urget Adverſarius ipſam Actuarii confeſſionem, *ſicut & ego ipſe* VIDI & AUDIVI, fidenter admodum ſubinſerens: *Quare dicendum, vidiſſe Scriptorem tunc præſentem reliquias omnes, quæ novo altari ab Udalrico Epiſ-*

copo

copo imponebantur, *audivisse autem vel publice promulgari*, *vel privatim explicari*, *quorumnam Sanctorum reliquiæ essent.* Huc etiam pertinent, quæ Adversarius alibi, non sine concepta spe, extorquendi assensum, hunc in modum proloquitur: *Si autem quoquo etiam modo sustineri posset*, *reliquias*, pag. 51. *quorum testem de visu & auditu Scriptor Actorum se dicit*, *in altare istud anteriori tempore ab Ep. Udalrico reconditas*, *postmodum vero*, *hoc est*, *post integri seculi decursum*, *ipsi Scriptori visas esse*, *non potuit tamen is reliquias illas unquam vidisse*, *nisi altari iterum* EFFRACTO, *iterum* REPARATO, *iterumque* CONSECRATO. Ego vero in alia omnia hic ire nullus dubito, ac summa cum probabilitate exinde colligendum puto, Scriptorem non modo ei solemnitati non interfuisse; sed omnia & singula ex auditu, seu aliorum ex relatione percepisse. Non enim, cum se reliquias, in altari contentas, vidisse & audisse dicit Actuarius, de reliquiis, ab Episcopo ex munere pastorali reconditis, sed de aliis omnino, quibus Episcopus, ad perficiendam consecrationem altaris, usus non est, mentionem facit, quæve adeo, sine nova effractione, reparatione, aut consecratione videri, immo & contrectari poterant. Quod ut recte intelligatur, triplicis generis reliquiæ, de quibus hic Auctor luculentissime memorat, distinguendæ veniunt. Primi generis sunt, *quæ penitus ex humore terræ computruerunt*, quarumque nihil amplius inventum fuit, *præter quoddam os*, atque hæ, collecto etiam pulvere priorum, unacum novis reliquiis Sancti *Marci Evangelistæ*, & *Sancti Nicolai Episcopi*, *rursum repositæ sunt* - - - *ab Udalrico Episcopo II. Constantiensi*, ut testatur Actuarius. Alterius generis sunt, quas ab Episcopo compositas esse non legimus, immo ab Episcopo intactas mansisse, ex relationis serie clarissime intelligimus. Cum enim Auctor, quid ab Episcopo factum fuerat, ordine narrasset, atque reliquias etiam, quibus sepulcrum altaris, seu *confessio*, ab eodem Episcopo denuo repleta fuit, speciatim enumerasset, completa ea relatione, ad ceteras quoque reliquias, tam *in ipso altari*, id est, in parte eius eminentiori, quam & in capsa eiusdem contentas, atque haud dubie venerationi publicæ expositas, recensendas descendit, hunc quidem in modum: *Continentur autem in*

K *ipso*

ipso altari, *sicut ego ipse* VIDI & AUDIVI, *reliquiæ Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. De sepulcro Domini* &c. Hisce denique enumeratis, etiam tertiæ reliquiarum collectionis meminit, dicens: *In capsa autem, quæ stat super Altare, sunt reliquiæ Sancti Martini, Blasii, Vincentii* &c. Ecce hic triplicis gegeneris reliquias, in capella olim S. Joannis Baptistæ cultas. Harum aliæ ab Episcopo consecrationis ergo repositæ fuerunt, de quibus Auctor speciatim meminit, aliæ in capsa, quæ supra altare stabat, conclusæ: aliæ denique in ipso altari, id est, *elevatione* eiusdem, ut id hodiedum in usu est, collocatæ fuerunt. Quæ, cum ita sint, facile concedo, prioris generis Sanctorum lipsana, in sepulcro Altaris reposita, Actuario Murensi visa haud fuisse, bene vero secundi & tertii generis.

Cuius namque argumentis nihil inest ponderis.

XII. Quare satis opinor, intelligitur, ruere Achillem argumentorum, tam a PEIRESKIO, quam & præcipue Adversario, prolatorum, existimantibus, reliquias illas, quas a se visas testatur Actuarius, alia occasione videri haud potuisse, quam cum altare S. IOANNIS BAPTISTÆ ab Episcopo denuo dedicatum fuit. Hinc, cum res, ut ostendimus, longe aliter se habeat, inferre non dubito, Auctorem isti solemnitati haudquaquam interfuisse. Cum enim dicat, se ab aliis audivisse, cuius generis reliquiæ in eo altari expositæ fuerint, cumque oculos testes non advocet, nisi quoad eas reliquias, quæ ad consecrationem altaris adhibitæ non fuerunt; manifeste apparet, ipsum eiusmodi actioni non interfuisse, sed audivisse duntaxat a narrantibus, vidisseque, vel in *breviculo*, ad quod genus commentarios aliunde non infrequenter provocat, vel in ipsa altaris *elevatione*, vel lectis Sanctorum nominibus, reliquiarum particulis (id quod tum facile etiam in usu fuerat) superscribi solitis. Alias enim inepte admodum locutus fuisset, dicendo: se vidisse & audivisse, Episcopum reliquias in Altari quodam reposuisse; quas enim actiones ipsimet videmus, non opus est, ut ab aliis quoque nobis narrentur, aut ubi rem visam narrare volumus, auditum, seu famam, a narrantibus propagatam, in subsidium, seu testimonium, advocemus. Contra vero optime procedunt Actuarii verba, quod audierit a narrantibus, quænam præter propter reliquiæ in eo al-

altari contineantur, atque ipſe etiam easdem viderit, uſurpaveritque oculis, poſtquam Acta ſua ſcripturus, quæ reliquiæ in altari S. IOANNIS BAPTISTÆ aſſerventur, explorare voluit. Videat ergo Adverſarius, quam nihil ex hoc Actuarii loco, tam operoſe licet enucleato, contra P. HERRGOTTUM probaverit, quamque nihil pariter egerit, dum ad inſpiciendas ſæpe dictas reliquias, *iterata* EFFRACTIONE, *iterata* REPARATIONE, ac *iterata* denique CONSECRATIONE, opus fuiſſe putavit.

XIII. Reliquum iam eſſet, ut ad cetera loca, quibus noviter in medium adductis, ætatem Anonymi ſtabilire ſtudet Adverſarius, intueremur, ſed cum de iis commodior agendi locus occurret inferius, capiti huic finem imponimus. Prætereuntur cetera.

CAPUT X.

Ponderatur alia coniectura, a P. HERRGOTTO PEIRESKIO oppoſita.

I. ALtera, quam contra PEIRESKII opinionem P. HERRGOTTUS formavit, coniectura, ex ipſo iterum Actuario deſumpta fuit. In eo namque extat locus, ubi HENRICI, *miniſterialis* de HABSBURG, mentio ingeritur, qui monaſterio Murenſi ad *Rüti manſum dedit, ea conditione, ut anniverſarius obitus ſui cum eo celebretur, qui eſt VII. Kal. Auguſti.* De hoc igitur HENRICO, ſequentia obſervat P. HERRGOTTUS: „ Hic vero HENRICUS, ſive ſenior, ſive iunior ille fuerit, *Pincerna* erat Comitum DE HABSBURG, „ quorum prior in chartis noſtris an. MCCVII., MCCXLII. 23. „ April., & MCCLII. recurrit; poſterior vero in monumentis an. MCCXXXII. 10. April., MCCXL., MCCXLII. 23. April., & MCCLIV. 18. Martii deſcribitur. Ex hac autem „ notione coniiciendum erat, Scriptorem Actorum Murenſium, qui data opera donationis, ab uno horum HENRICORUM factæ, meminit, aut illorum fuiſſe æqualem, aut poſt „ illo-

Altera P. H. de eodem argumento coniectura, Pro'eg. III. §. IX.

„ illorum mortem ſcripſiſſe. Dicendum itaque, ante medi-
„ um circiter ſeculum XIII. Acta Murenſia non fuiſſe ex-
„ arata.

Inviſa Adverſario.

II. Multa, pro convellenda hac coniectura, congeſſit Adverſarius, quæ, quali nitantur fundamento, ex nova & inſolita eiusdem diſcimus argumentandi ratione. Exigit nempe a P. HERRGOTTO; ut *doceat*, *non tantum iſtorum Henricorum ætatem*, *ſed ipſum*, *de quo Scriptor Murenſis*, *alterutrum eorum*, *ſive ſeniorem*, *ſive iuniorem fuiſſe*, *demonſtret*, *nec præpropere & decretorie quidem pronuntiet*, Scriptorem Murenſem data opera donationis, ab uno horum *Henricorum* factæ, meminiſſe. *Si duo*, pergit, *Henrici de Habsburg dicti ſub idem tempus ſimul occurrunt*, *poterat & tertius integro ante ſeculo extitiſſe*, *ſeu ex miniſterio*, *ſeu ex ſtemmate cognominatus* DE HABSBURG. *Et quid*, *ſi hunc ipſum P. Herrgotti Inſtrumenta monſtrarent? Non vana enim forſan ſit coniectura*, *eundem cum noſtro eſſe Henricum illum*, QUI IN CHARTA ANNI 1127. *inter Teſtes connumeratur*, *ſub cognomine de Habesberg : quam chartam P. Herrgottus* ex codice (*cuius ætatis & authentiæ? ignoramus*) membranaceo Archivi San-Blaſiani *deſcriptam citat.*

pag. 59.

Qui ſibi non conſtans, vario modo peccat:

III. Nova hæc, adhuc repeto, ratiocinandi methodus eſt; accipe probationem : P. HERRGOTTUS argumentum ſuum, hoc, quem agitamus, paragrapho, prolatum, non niſi pro coniectura venditat : *ex hac notione coniiciendum erat*, inquit. Reiicitur hæc coniectura; quare? quia prius *demonſtrandum* fuerat, alterutrum horum HENRICORUM, de quibus chartæ P. HERRGOTTI memorant, hunc ipſum fuiſſe, de quo Scriptor Murenſis loquitur. *Sed doceat*, *velimus*, ait Adverſarius, *non tantum iſtorum ætatem*, *ſed ipſum*, *de quo Scriptor Murenſis*, *alterutrum eorum*, *ſive ſeniorem*, *ſive iuniorem* DEMONSTRET. Rarum atque ſingulare prorſus petitum! Id enim, ſi oſtendi, ac demonſtrari poſſet, num diceret P. HERRGOTTUS, ſe vendere duntaxat coniecturam? Peccat igitur Adverſarius in paucis his lineis vario modo; nam inprimis a P. HERRGOTTO demonſtrationes exigit; *Doceat*,

Ibid.

ait,

ait, *demonſtret* &c. cum tamen & ipſe in medium producendo tertium ſuum HENRICUM, integro ſeculo ſuperiorem, nil niſi coniecturas, immo ne quidem, ut poſtea oſtendemus, coniecturas, afferat. *Non vana enim forſan ſit coniectura,* ait. Secundo accuſat P. HERRGOTTUM, quod *præpropere & decretorie quidem pronuntiet*, licet is, ut iam diximus, præter coniecturam nihil afferre ſe publice fateatur. Num is *præpropere* ac *decretorie pronuntiat*, qui expreſſe monet, afferre ſe coniecturam? Tertio denique coniecturas coniecturis accumulat, unam ſuperſtruendo alteri; nam primo coniicit, HENRICUM illum, de quo dicta charta an. 1127. meminit, illum ipſum fuiſſe, quo de meminit & Actuarius; cumque ſecundo videat, ne quidem nomen congruere, cum non *de Habsburg*, ſed *de Habesberg* legatur, etiam hanc lectionem ex coniecturis, at minime ſolidis, tentare, atque in rem ſuam, ut ſtatim dicemus, convertere allaborat. Venditantur igitur nobis leves coniecturæ, cum contra a nobis, circa idem argumentum, non niſi demonſtrationes exigantur. Sed hæc ex Logica Adverſarii.

Vanam præterea coniecturam de variante lectione vocab. *Habsburg* & *Habesberg* afferens,

IV. Videamus iam, quænam illa *non vana* Adverſarii *ſit coniectura?* quo uſque valeat, & num ea coniecturæ nomen mereatur? tum vero etiam de coniecturis P. HERRGOTTI diſpiciamus. Legitur itaque in dicto Inſtrumento, inter teſtes ſubſcriptos, HENRICUS *de Habesberg* (a), at eius loco vel ſubſtituendum eſſe HENRICUS *de Habesburg*, contendit Adverſarius, vel vocabulum *Habesberg* & *Habsburg* idem prorſus denotare. Hoc oſtendere conatur ex eo, quod, licet P. HERRGOTTUS alicubi coniiciat (b), iam tum (id eſt ſeculo XII.) floruiſſe nobilem in Suevia familiam, nomine *Habesberg*, unde HENRICUS ille deſcenderit, de ipſo tamen vocabulo ipſe adiiciat: *an nomen* HABESBERG *cum voce* HABSBURG *ſynonimum ſit, definire equidem cuilibet in promptu non erit.* Item, quod alibi (c) quoque moneat, etiam per nomen *Habechesberg*, licet a voce *Habsburg* plus abeat, caſtrum *Habsburg in Argoia* de-

a pag. 60.
b
c

(a) Geneal. Dipl. tom. II. num. CCVIII.
(b) Ibid. tom. I. lib. I. c. VI. §. XII.
(c) Ibid. c. V. §. IX.

Ibid. denotari. Hæ duæ primæ rationes. Præcipua autem ratio est, *cur in præsenti casu nostro inter* HABESBERG *&* HABSBURG, inquit, *distinguere dubitemus*, *quod alia lectio habeat* HENRICUS DE HABESBERG, *ut ipse P. Herrgottus advertit*, *in notis ad prædictam chartam*, ubi ait: „ HENRICUS DE HABESBERG; ita in citato codice nostro scriptum legitur, contra quod apud LUNIG. loco cit. (nempe in Spicil. Eccles. „ Arch. Imp. P. III. p. 366.) mendose exaratum HENRICUS „ DE HABESBURG „ *caussa mendositatis non indicata*, *nisi per præferentiam codicis San-Blasiani*, *licet utrobique apographum tantum dictæ chartæ habeatur*, *cum æquali mendosæ scriptionis periculo.* Probare id nititur ex eo, quod P. HERRGOTTUS mendum in charta quadam, ex eodem NB. Archivo San-Blasiano eruta, repererit (a), a se ipso in margine inferiori sic notatum: *Loco* HEINRICI *Episc. Constantiensis*, *legendum* HERMANNI; *constat enim hoc tempore* HEINRICUM *Episcopatui Constantiensi non præfuisse. Ex sigla*, *seu initiali littera* H. *amanuensis in vicem* HERMANNI *scripsit* HEINRICI. Hinc concludit Adversarius: *Si amanuensis in vicem* HERMANNI *audentissime substituit nomen* HENRICI, *poterat & alibi faciliori lapsu pro* HABESBURG *scribere* HABESBERG.

Quam perperam adductis P. HERRGOTTI verbis, V. Mire delectatur Adversarius in adducendis P. HERRGOTTI verbis, ubi HERRGOTTUM ex HERRGOTTO vinci, atque tantum non contradictionis, immo & contradictionis argui posse existimat. At firmiora sunt illius fundamenta, quam ut tam facile concuti, nedum subverti possint: nec eius doctrina tam male cohæret, ut vel levissimæ contradictionis argui queat. Illustria eius rei exempla retulimus in præcedentibus, nec dubito, quin & postea plura in medium adducere queamus. Non ultimum autem inter ea locum obtinet præsens, quam agitamus, materia. Eam ut ordine pertractemus, unum post alterum intuendum erit. Contendit primo loco Adversarius, in laudato Instrumento legendum esse: HENRICUS DE HABESBURG, non DE HABESBERG. Rationes, in eum finem allegatas, audivimus, quomodo subsistant, videamus. Locus P. HERRGOTTI, ad quem provocat Ad-

(a) Ibid. tom. II. num. CCXXIV.

Adverſarius, tam parum ei patrocinatur, ut exinde nec calidum, nec frigidum extundi queat. Adducamus eundem integrum: „ Supereſt tamen aliud caſtrum, *Habsberg* dictum,
„ in Suevia, prope Riedlingam, quod tanquam feudum no-
„ vum & rectum Auſtriacum ab Auguſtiſſimo Imperatore no-
„ ſtro Carolo VI. Illuſtriſſimæ Domui Furſtenbergicæ nuper
„ collatum fuit. Illud antea clientelari titulo Guntelfingii at-
„ que Helfenſteinii ab Auſtriacis pariter poſſederunt, ut ex
„ documentis Archivi Oenipontani colligere eſt. An vero
„ dominium, ut aiunt, *directum* caſtri huius ab Habsburgiis,
„ vel aliunde ad Auſtriacos pervenerit, nomenve *Habs-*
„ *berg* cum voce *Habsburg* ſynonimum ſit, definire equidem
„ cuilibet in promptu non erit. Illud vero mihi exploratum,
„ floruiſſe duodecimo Chriſti ſeculo nobilem in Suevia fami-
„ liam, nomine *de Habesberg*, ex qua in charta noſtra anni
„ 1127. num. CCVIII. occurrit inter teſtes *Henricus de Ha-*
„ *besberg & frater eius Conradus.* His igitur caſtrum hoc
„ de Habesberch forte proprium fuerit; quod poſtmodum ad
„ Duces Auſtriæ, quocunque demum modo pervenerit.
„ Certe de hoc caſtro *Habesberg* in Suevia Habsburgenſes no-
„ ſtri in monumentis ſe nec nominarunt, immo de eo nec
„ mentionem fecerunt. (a) „ En integram ac genuinam P. Herrgotti ſententiam, quæ tantum abeſt, ut Adverſario faveat, ut eidem prorſus adverſetur. Primo enim falſum eſt (quod non obſcure innuitur) quaſi P. Herrgottus per ea verba: *an nomen* Habsberg *cum voce* Habsburg *ſynonimum ſit, definire equidem cuilibet in promptu non erit*, anceps hærere videatur, quid ea de re dicendum ſit? cum potius affirmare voluerit, nunquam futurum fore, ut quis affirmativam defendere queat. Patet id clariſſime ex verbis illius extremis, præcedentium interpretibus: *certe de hoc caſtro Habesberg in Suevia, Habsburgenſes noſtri in monumentis ſe nec nominarunt, immo de eo nec mentionem fecerunt.* Qui nullam de eo caſtro & nomine, in ampliſſima ſua collectione, mentionem fieri, pro certo tenet: qui illud Habsburgenſibus prorſus ignotum fuiſſe, eodem loco affirmat: quo pacto dubitare vel ipſe queat, num dicta duo vocabula *Habesberg* & *Habs-*

burg

(a) Ibid. T. I. lib. I. cap. VI. §. XII. p. 43.

burg converti possint? Oportuerat ergo contextum P. Herrgotti simul consulere, eundemque ponderasse attentius, vel integrum adduxisse, nec adeo *præpropere & decretorie pronuntiare.*

Ac male etiam expositis, firmare nequit; VI. Dicit secundo Adversarius, quod *Clar. Patris coniectura sit, iam tum* (id est seculo duodecimo) *floruisse nobilem in Suevia familiam, nomine de Habesberg.* Cum tamen ex contextu mox adducto, evidentissime constet, P. Herrgotto nunquam venisse in mentem, ut id pro coniectura tantum venditet, sed certum & exploratum esse, expresse dicat. *Illud vero mihi exploratum*, ait, *floruisse duodecimo seculo* &c. & recte etiam; cum id laudata charta, de qua mox etiam plura, affirmet. Parum itaque feliciter versatus est Adversarius in hac prima sua obiectione.

Cum lectio codicis San-Blasiani haud dubie præferenda sit, VII. At non maiori, immo multo minori robore prædita est obiectio eius secunda; cuius tamen solutio, cum magnam partem dependeat a solutione obiectionis eius tertiæ, de hac primum, quam aliunde *potissimam* dicit Adversarius, videamus. Tota autem huc redit: in impresso D. Lunigii haberi *Habesburg*, nullam ergo caussam subesse, cur lectionem codicis San-Blasiani, qui *Habesberg* legit, præferamus, *cum utrobique apographum tantum dictæ chartæ habeatur, cum æquali mendosæ scriptionis periculo.* pag. 60. Ficulneum sane argumentum! Si enim codex codice melior & emendatior non est, si apographum apographo non præstat, nec præferri potest; si denique nulla ars est, quæ lectionem variantem cum variante contendens, hanc dimittendam, alteram amplectendam esse, idoneis atque prudentibus doceat regulis; si denique iudicium humanum in rebus philologicis nihil valet, virtutis habet nihil: tum demum recte sentit Adversarius, rem *utrobique cum æquali mendosæ scriptionis periculo* agi; at simul consequitur, ut operam fere perdiderint omnem, qui, collatis codicibus manuscriptis, aut SS. Patres & Concilia, aut Auctores veteres cuiuscunque generis alios, correctius, emendatiusque edere studuerunt; quandoquidem & hi non nisi apographorum, in quibus omnibus mendosæ scriptionis periculum est, subsidio instructi, ad hanc spartam exornandam

accef-

acceſſerunt. Cum ergo docti illi viri, loca veterum Auctorum prope infinita, apographorum ope emendaverint, luxata reſtituerint, depravata correxerint; concedat Adverſarius, oportet, codicem codice eſſe meliorem, cuius auctoritate moti, unam diverſorum codicum lectionem præponant alteri. Atque huiusmodi etiam fuiſſe P. MARQUARDO rationes, & ſufficientes quidem, ne dubitet Adverſarius: nec cauſſetur etiam, nullam earum, præter *præferentiam*, ut loquitur, *codicis San-Blaſiani*, fuiſſe indicatam, etſi vel hæc ſola ſufficere potuiſſet; utpote cum non neſciret P. HERRGOTTUS, codicem illum, eſſe optimæ notæ, atque cura HENRICI IV. Abbatis S. BLASII, circa medium ſeculi quarti decimi non ex apograhis, ſed ipſis originalibus, quæ vocant, ſumma cum diligentia deſcriptum, ut id titulus codicis præfert, atque aliunde etiam, certis ex documentis probare, pronum fuiſſet. Si porro urgeat Adverſarius, rationes eiusmodi luculentius exponendas fuiſſe: verbis ut parcat, rogitamus; ſi enim ad quamcunque emendationem, aliosque eiusmodi labores, ad inſtitutum ex ſe haud pertinentes, operoſe diſputandum foret: vah! in quam molem excreſcerent libri? quæ humanæ diligentiæ monſtra naſcerentur? Præſumitur in eiuscemodi rebus, quemcunque bona agere fide, donec conſtet de contrario. Tamdiu enim quis cenſetur bonus, quamdiu non probatur eſſe malus. Huc accedit, quod adhuc valde incertum ſit, an non in LUNIGII editionem error irrepſerit typographicus, adeoque eius apographum revera HABESBERG prætulerit. Certe ſi lapſus amanuenſium facilis eſt, non minore facilitate aberrant operæ typographicæ. Unde conſequitur, ut Inſtrumentum, prout a laudato LUNIGIO editum, cum mendoſæ ſcriptionis, tum impreſſionis periculo, adeoque bis, expoſitum fuerit, codex autem San-Blaſianus ſemel duntaxat. Habet ergo a contrario P. HERRGOTTUS pro ſe duos veritatis gradus, unum duntaxat, aut certe nullum, Adverſarius.

VIII. Suppetebat præterea alia, & quidem maioris momenti ratio. Hæc in eo conſiſtit: quod Inſtrumentum iſtud in media fere Suevia, non longe a loco & caſtro *Habesberg*, in cœnobio videlicet Ochſenhuſano, præſentibus inſu- *Id quod alia ratione firmatur.*

 per

per Nobilibus eiusdem regionis, id eſt Alemanniæ, non autem minoris Burgundiæ, aut Argoviæ, confectum fuerit: ut adeo præſumptio ſtet pro viciniori, nempe pro Henrico de Habesberg, non pro miniſteriali, multo minus pro Comite de Habsburg. Docet id aperte eiusdem ſubſcriptio, ſic habens: *Acta ſunt hæc omnia in Ochſenhuſen, in Comitatu* Diethboldi *Comitis, præſentibus, quorum iſta ſunt nomina:* Arnoldus *de Hilterwilare.* Henricus *de Steiga.* Sigifridus *de Rockenbur.* Henricus de Habesberg, & frater eius Conradus. Cuno *de Baltisheim.* Sigeboto & frater eius. Witegoge *de Albegg.* Bilgerinus *de Huirbele.* Burchardus *de Butsmundishuſen.* Udalricus *de Sulmigen.* Rudolfus *de Turckheim.* Adalbertus *de Schwarzbach.* Meingoz *de Gottisbretishovem.* Nulla hic, nec vola, nec veſtigium Comitum aut Nobilium veteris Burgundiæ occurrit. Res etiam, cum in Alemannia peracta ſit, non video, quid ad Nobiles Argoviæ pertineat.

loc. cit.

Nec obeſt mendum eius codicis alio in loco; pag. 61.

IX. Sed tamen urget Adverſarius amplius, erraſſe codicis San-Blaſiani exſcriptorem alibi, ergo & hic errare potuiſſe. *Poterat*, inquit, *pro Habesburg ſcribere Habesberg.* Bellum argumentum! quo nempe ſemel admiſſo, nedum nihil tutum, nihilque ſanum in toto Inſtrumento ſupereſſe dicas; ſed omnibus, quæcunque ætatem tulerunt, apographis bellum indictum, nec ſatis tuta erunt ipſa autographa. Poterat, ait Adverſarius, *pro Habesburg ſcribere Habesberg*: ergo etiam, ſubſumo, ex eadem ratione, facili ſcilicet lapſu, pro *Henricus de Steiga*, Stiega, pro *Sigifridus de Rockenbur*, Rockenberg, pro *Cuno de Baltisheim*, Baltshusen. Percurratur hoc modo totus codex, immo omnia veterum Inſtrumenta, & nihil uſpiam erit, quod ex principio poſſibilitatis non queas invertere. Nec iuvat dicere, quod idem amanuenſis alibi *audentiſſime* pro Hermannus ſubſtituerit Heinricus; agnoſcit enim ipſe Adverſarius in altero caſu *lapſum*, non audaciam, præterquam quod ea gratis omnino adſtruatur; quis enim in errore facile audaciam arguat, qui non minus ex incuria, aut ignorantia, accidere potuit. Cui bono, aut quo fine, id feciſſet amanuenſis? Credo, hominem fuiſſe famæ integræ. Sed ponamus tamen, hominem proiectæ

pror-

prorſus audaciæ fuiſſe, atque locum illum, quo de antea diximus, temere prorſus corrupiſſe, num ideo ad cetera quoque eadem ſuſpicio extendi debet? an neſcimus, a ſingularibus ad univerſale non eſſe bonam argumentationem? Denique ſi propter unicum, quem quidem ſciamus, codicis San-Blaſiani errorem, etiam reliqua in eo contenta, creperæ arguenda fidei ſunt, eadem ex ratione etiam LUNIGII impreſſum in ſuſpicionem vocandum erit, quod in eo, ut id loc. cit. oſtendit P. HERRGOTTUS, manifeſto errore, *Curigenſis* legatur pro *Curienſis*.

X. Hæc cum iamiam in chartam conieciſſem, primum animadverti, Adverſarium falſo ſupponere, laudatum Inſtrumentum ab eodem amanuenſi deſcriptum fuiſſe, quo charta illa, *ex codice membranaceo archivi San-Blaſiani* deſumpta. Id quod, quo fine facere voluerit, equidem diiudicare nolim. Illud ſaltem non ignoro, cauſſam erroris nullam comparere; quandoquidem notæ marginales, utrique Inſtrumento a P. HERRGOTTO appoſitæ, clariores ſunt, quam ut Adverſario errandi occaſionem præbere potuiſſe videantur. Quemadmodum enim prior illa aperte docet: Inſtrumentum iſthoc *ex codice membranaceo archivi San-Blaſiani* (a), adeoque ex apographo: ita non minus altera nota, margini ſimiliter adiecta, perſpicue oſtendit, monumentum illud *ex archivo Abbatiæ San-Blaſianæ*, atque adeo ex autographo eductum fuiſſe (b). Neque enim facile, aut raro admodum, aliam, cum autographa produxit P. HERRGOTTUS, notitiam apponere ſolebat, ut Inſtrumenta mox ſubſequentia, *ex archivo Murenſi ſig. lit. A. n.* 2. nec non *ex archivo San-Gallenſi* (c), aliiſque, deſumpta, quibus ut plurimum ſimilis prorſus titulus marginalis adſcriptus eſt; ut quæ & ipſa autographa ſunt, abunde docent. Quod porro apprime notandum, dictæ poſterioris chartæ autographum, in membrana deſcriptum, adhuc aſſervamus, quod nuper admodum hiſce contrectans manibus, non ſine admiratione deprehendi, revera in eo legi HER*manno* (tribus videlicet

Quin nullibi reperitur.

a b c

L 2

(a) Vid. Gen. Dipl. tom. II. p. 151. num. CCVIII. in margine laterali.
(b) Ibid. num. CCXXIV. p. 172.
(c) Ibid. pag. 173. ſeqq.

licet elementis prioribus duntaxat expressis) non Henrico; ut adeo emendatio P. Herrgotti amanuensem recentiorem, non veterem, attingat. Videat igitur æquus rerum arbiter, quam supervacaneum sit, quamque inane omne illud, quod contra codicem San-Blasianum, quem aliunde optimæ notæ, & satis antiquum esse, mox antea innuimus, in medium allatum fuit.

Alia duo Adversarii peccata, Ibid.

XI. Transmitto hic alia Adversarii peccata, hisce non absimilia, ex quibus tamen duo adhuc in medium afferre liceat. Postulat is autographa loco apographorum. *Autographa*, inquit, *adduxisse iuvaret*, etsi & ipse autographis rem non gerat, immo nec manuscriptis quidem apographis, cum impressum Clar. D. Lunigii multo magis a fonte abeat, quam apographum San-Blasianum; quippe quod illud plurimorum manus, exscriptorum scilicet & typographorum, triverint. Alibi coniectat hunc in modum: *poterat & tertius* (Heinricus) *integro ante seculo extitisse, seu ex ministerio, seu ex stemmate cognominatus* de Habsburg, alludens ad sæpius citatam chartam, ubi Henricum illum *de Habesberg*, ex stemmate Comitem Habsburgensem esse potuisse, arbitratur; sed præterquam, quod huic coniecturæ multa obsint alia, non advertit, opinor, Adversarius, hæc non P. Marquardo, sed sibi ipsi, seu potius Genealogiæ, Actis præfixæ, adversari; ubi namque nulla prorsus mentio fit de Henrico, Comite Habsburgensi, aut Conrado fratre eius, in eadem charta occurrente. Quare, stante opinione Adversarii, consequens esset, a Genealogo Murensi etiam hos duos adultos Habsburgicos Comites, turpi ac non ferenda omissione, neglectos fuisse. Quî igitur prætensus ille Heinricus ex stemmate cognominari potuit de Habsburg? atque hinc est, quod P. Herrgottus Heinricos suos inter *ministeriales* adnumeraverit, rectius, opinor, quam Adversarius inter Comites Heinricum suum tertium, aliunde plane confictum.

pag. 59.

Novum eiusdem argumentum, ex inflexione

XII. Sed mittamus hæc; satis enim iam constare existimo, fuisse P. Herrgotto rationes varias, easque urgentissimas, præferendi codicem San-Blasianum; cum Adversario con-

contra nulla prorsus suppetat, quam possibilitas erroris, quam tamen & ipsam, saltem quoad præsentem casum, haud probare potest; iudicet ergo æquus rerum censor, cuiusnam coniecturæ validioribus nitantur caussis, P. Herrgotti, an Adversarii? & num eiusmodi argumento vis coniecturæ aliqua insit, quod in nulla prorsus re fundatur? Ego præterea nihil addo, quam quod, his præmissis, sponte ruat Adversarii argumentum secundum, ex congruentia desumptum, quod scilicet vel ipse P. Herrgottus moneat, nomine *Habechesberg*, licet illud a vocabulo *Habsburg* magis declinet, quam *Habesberg*, castrum Habsburg in pago Argoviæ significari.

voc. *Habesberg* desumptum,

pag. 60.

XIII. Responsio enim in promptu est: Nomen enim *Habechesburg* sicubi occurrit, in charta ocurrit, quæ alia indubia authentiæ signa præfert, ex quibus intelligi possit, castrum *Habsburg* eiusmodi vocabulo, fœde licet inflexo, atque corrupto, intelligi; secus fit, ut vidimus, in præsenti, ubi in alia omnia abeundum esse, persuadent cetera. Deinde hoc argumentum a re præsenti prorsus alienum est; ibi enim, id est, Geneal. Dipl. lib. I. cap. V. §. IX. sermo est de *perversa plebis pronuntiatione*, non de etymo nominis, prout in Diplomatibus, aliisque Instrumentis authenticis occurrit. Eodem namque loco subiungit P. Herrgottus: *Discrimen vero hac in re, uti & in nominibus penitus amissis, ac plebis perversa pronuntiatione in alium plane sonum quandoque detortis, ex diplomatibus & sigillis desumendum esse diximus.* Pessima est igitur argumentatio a mala plebis vocabulorum inversione ad documenta publica; utpote cum illa ex his emendari debeat, ut id præter P. Herrgottum etiam Heineccius observat (a). Postremo cum de vocabulo *Habechesberg* sermo est, illud inferioribus duntaxat temporibus exortum fuisse, subintelligi debet: nos autem loquimur de charta seculi XII., quo vox illa primum exorta, nihil dum corrupta fuit. Observavit id, suffragantibus Diplomatibus, P. Herrgottus sectione, mox citatam antecedente, dicens: *quæ ultima nominis inflexio* (nempe Habesburch) *totis seculis XII. & XIII. & quod excurrit*, invariata *permansit*,

Non una de caussa reiectum.

a

 pro-

(a) De Sigill. P. II. c. II. p. 189.

prout in ſigillis iſtius ævi, quæ nobis ad manum ſunt, legimus, quibus vocabula HABES *ſive* HABIS & BURC, *ſive* BURCH, *inſcripta videre eſt.* Idem, quod P. HERRGOTTUS ope ſigillorum obſervat, obſervare etiam eſt in editis ab eo diplomatibus, ubi priori ſeculo modicas eius vocis inflexiones offendimus, ſecus in ſeculis conſequentibus. Videat L. B., quam valide ſtringant argumenta Adverſarii: Quæſtionem ciet de vocabulo Inſtrumenti, ſeculo XII. conditi, & ipſe inflexiones affert ex ævo poſteriori.

Nova Adverſarii obiectatio breviter diluta. XIV. Reſtat nunc pars obiectionum altera, qua Adverſarius abunde quidem largitur, in chartis P. HERRGOTTI non niſi de duobus HEINRICIS *Pincernis*, mentionem fieri, exinde tamen nunquam evinci poſſe, nullum alium HEINRICUM temporibus retro actis extitiſſe, qui eam donationem cœnobio Murenſi fecerit. *Probet Clar. P. argumento poſitivo,* (pag. 61.) ait, *alterum ex* HENRICIS *ſuis præmemoratam donationem ſeculo XIII. monaſterio Murenſi feciſſe.* Ergo iterum argumentum *poſitivum* exigit Adverſarius, ubi P. HERRGOTTUS ipſemet profeſſus eſt, ſe, ut iam diximus, nil niſi coniecturam afferre in medium.

Fruſtra etiam Monialibus in ſubſidium evocatis. pag. 62. & 63. XV. Pergens deinde ulterius, etiam Moniales in auxilium evocat, de quibus memoriæ proditum eſt (a), quod de cella S. BLASII, cum fratribus exterioribus, ſeu *Converſis*, *Muros* miſſæ, ſub initia autem ſeculi XIII. *Hermetswilam*, inde ſeſqui hora diſtantem, translatæ fuerint; cumque Actuarius teſtetur, eas ſuo tempore adhuc prope *Muros* fuiſſe, conſequens eſſe, ut HENRICI, de quibus toties mentionem fecimus, ex Actis excludantur, nullusque ex iis eſſe potuerit, de quo chartæ & diplomata P. HERRGOTTI mentionem ingerunt, cum illi poſt eam translationem adhuc in vivis extiterint: quanquam de cetero annus exploratus haud ſit, quo translatio illa peracta fuerit.

Acceptari poſſunt hæc omnia, nec invitus largior, quod Adverſarius fuſius probat: Moniales illas ſub initia primum ſeculi XIII. aut ante medium illius Hermetswilam translatas fuiſſe. Nego tamen exinde quidquam probari contra P. HERR-

GOT-

(a) Actuarius Mur. p. XXI. apud Adverſar. 55.

GOTTUM. *Dicendum itaque*, ait iſte, *ante medium circiter ſeculum XIII. Acta Murenſia non fuiſſe exarata.* Producit quoque prioris illius HEINRICI chartam de an. MCCVII. quod quid aliud innuit, niſi initia ſeculi XIII.? Ad hæc, cum dicit *circiter*, evidens eſt, calculum duci ex numero rotundo, quemadmodum nec Adverſarius ipſe certo dicere poteſt, quandonam religioſa illa translatio contigerit. Et quis demum non videt, chartam anni MCCVII. cum initio ſeculi XIII. aperte congruere? Quo ergo pacto dici poteſt, HENRICOS noſtros ex Actis Murenſibus excludi? Mirari præterea ſubit, cur Adverſarius duo Inſtrumenta, alterum de anno 1240. alterum de an. 1244. de Sanctimonialibus memoriam ingerentia, in hanc rem adducere voluerit; cum tamen P. HERRGOTTUS coniecturam ſuam ultra id tempus minime producat, & citatæ chartæ ſtatim poſt eam Sanctimonialium migrationem exarari potuerint.

CAPUT XI.

Diſquiritur diligentius, num unus, an plures Codicis Murenſis Auctores fuerint?

Rationes, cur unicus codicis Murenſis Auctor videatur:

I. TAndem ad illud caput devolvimur, quo Adverſario aliquid tribuendum eſt, ſed ita tribuendum, ut eidem aut exiguum, aut nullum prorſus inde accedat lucrum. Quæritur nempe, num duo, aut plures, codicis Murenſis Auctores fuerint? Affirmabat PEIRESKIUS, negabat, ut vidimus, P. HERRGOTTUS, hiſce, quas modo ſummatim referre liceat, adductus rationibus: I. quod codex ex papyro conſtet vulgari, quam ante finem ſeculi XIII. aut initium XIV. vix invaluiſſe exploratum ſit. II. Quod forma litterarum, quibus depictus eſt, a capite ad calcem ſibi ſimilium, ſeculum XIII. arguant. III. Quod ibi memoria ingeratur CUNRADI monachi & Cellerarii Murenſis, ac ANSHELMI, eiusdem cœnobii Abbatis, hominum ſeculi tertii decimi. Quæ ſane rationes, ut hactenus quidem oſtendimus, robur habent maximum.

mum, atque eius ſunt generis, quibus de ætate codicum MSS. potiſſimum iudicari ſolet & debet. Et quis demum, iisdem recte ponderatis, non idem ſentiat, conſiderans nempe, totum opus uno continuo filo a capite ad calcem deduci, nullo interpoſſto novo capitulo, nulla nova ſectione (ut de Auctorum nominibus, ubique ſilentio preſſis, nihil dicam) aut alio certo ſigno, unde diverſitatem Auctorum coniicias. Præterea, ubi videris, in frontiſpicio ſtatim, poſt viginti circiter lineas, mentionem fieri Comitum Habsburgicorum, eodem ſeculo XIII. viventium, nec non & in calce, ininterrupta ſerie, Abbatis & monachi Murenſis, de quibus itidem conſtat, eos ſeculo XIII. haud eſſe ſuperiores: Hæc, inquam, quicunque demum attenderit, illico pronuntiabit, Auctorem eſſe unicum, adeoque eiusdem ætatem ad ſeculum XIII. haud dubie eſſe figendam.

Plures tamen eſſe, nec P. H. ex toto abnuit,

II. At nihilominus P. Herrgottus ſuæ ſententiæ adeo tenax non eſt, nec rem tanti exiſtimat momenti, quin ultro concedat, duos aut plures eſſe Auctores. Ille enim, poſtquam iam omnia argumenta adverſus Peireskii opinionem deprompſiſſet, animo tamen prorſus æquabili, & a vitilitigationis ſtudio prorſus alieno, ſubiungit: *Verum demus ultro, duos aut plures etiam Scriptores illi ſchemati genealogico, quod ſex & viginti lineis per omnia ſimillimis characteribus conſtat, inſudaſſe:* &c. immo, quod maius eſt, non plus ſibi dari poſtulat, quam ut fateatur Peireskius, opus ſaltem poſt Ronzelinum Abbatem elaboratum fuiſſe, dum mox ita ſubiungit: *Concedamus etiam & hoc* Peireskio, *ſtili diverſitatem in eo reperiri: quid inde ſequetur? Hoc ſemper manet in confeſſo, ſcripturam codicis Murenſis ætate ſeculum XIII. referre, illamque poſt mortem* Ronzelini *Abbatis fuiſſe elaboratam.*

Proleg. III. §. X.

Quod & ſtatuitur, ſic tamen, ut Genealogia ſeculo XIII.

III. Etſi ergo ex hac conceſſione non obſcure ſequatur, ut pars codicis ſeculo quidem XIII., maxima autem, atque potior eiusdem pars, ſub, aut paullo poſt medium ſeculum XII. elucubrata fuerit, nullus tamen dubito, quin P. Herrgotto non admodum, ut vidimus, invito, in eandem fere cum Peireskio & Adverſario, aliisque, ſententiam abeam,

dicam-

dicamque, plures eſſe Auctores. Verum diſtinctione hic opus eſt, quam antequam prodam, breviter & ſuccincte præmittendum duxi, quæ me potiſſimum momenta ad hanc ſententiam amplectendam induxerint. Ea igitur huc redeunt: Primum momentum, ut cordatum virum decet, erat ipſa, quam unice quærimus, rei veritas. Secundo me movit ipſe P. HERRGOTTUS, quem, cum viderim, facile concedere PEIRESKIO, tabulam genealogicam, Actis præfixam, duorum eſſe Auctorum, multo minori cum difficultate eidem contendenti, conceſſurus fuiſſet, etiam appendicem illam, Actis adiectam, alterius eſſe Auctoris; cum non tam de Actis Murenſibus, quam de Genealogia, iisdem præfixa, agatur. Etſi porro tertio exinde conſectarium fiat: Actuarium Scriptorem eſſe ſeculi XII. reliquos, ſeu alterum ſeculi XIII., nihil admodum obeſt ſententiæ P. HERRGOTTI, tum, quod concedendo ſemel, duos eſſe tabulæ præfixæ Auctores, per ſe conſectarium ſit: alterum huius, alius ætatis eſſe alterum; quippe cum ex Actis ipſis nihil exſcindi poſſit, quod eorundem Scriptorem medio ſeculo XII. inferiorem faciat: tum etiam, quod parum referat, cuius ætatis Auctor quiſpiam fuerit, modo de eius authentia non ambigatur, quam cum vacillare in multis aliunde oſtenderit P. HERRGOTTUS, nihil opus eſt, ut de ætate quæratur. Recens ſit Auctor, antiquus ſit idem; ubi de fide & authentia eius conſtiterit, ſequendus eſt; ſecus, ubi nonnulla falſa narraſſe deprehenditur. Tum enim vero locum habet illud S. Patris, eiusdemque ſummi Philiſophi AUGUSTINI: *Fracta enim, vel leviter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt, quæ niſi vera credentur, teneri certe non poſſunt* (a). His adde, nos quidem a
ſtatim invicte demonſtraturos, Auctorem totius Genealogiæ præfixæ certo certius unicum, ab Actuario diverſum, atque adeo Scriptorem ſeculi tertii decimi fuiſſe; unde ſententiæ P. HERRGOTTI eo minus decedet, quo certius eſt, non tam de ætate & authentia Actuarii, quem is alibi (b) *Scriptorem Ac-* b
torum Murenſium gravem eſſe, quin & graviſſimum in rebus domeſticis & ſui temporis, quodque in genealogia quoque Habs-

M *bur-*

(a) S. AUGUST. lib. de mendac. cap. X.
(b) Proleg. III. §. XXV.

burgensi eius auctoritas magni habenda sit &c. ultro affirmat, quam de Genealogo præfixo, controversiam nostram agitari.

Actuarius contra seculo XIII.

IV. Hæ sunt nonnullæ rationes, quibus permoti, Acta Murensia, seu eam codicis Murensis partem, quæ a verbis: *Locus iste Mura*, usque ad verba: *Nunc ergo sicut nos substantiam istius sanctæ ecclesiæ - - - descripsimus, sic faciant & illi, qui post nos veniunt*, excurrit, esse seculi XII. Auctoremque eius, circa medium eiusdem seculi operi suo finem imposuisse. Ex iisdem autem rationibus facile præeminet ipsa veritas, cui quippe ubique litandum est. Porro veritatem hanc, quantum ad ætatem horumce Scriptorum, magna ex parte clarere, eo minus dubitandum, quod ab Adversario, post multorum industriam, loca quædam nova cap. VIII. excitata fuerint, quibus nolle acquiescere religioni foret. Ex iis unum duntaxat seligimus, qui tamen instar omnium est, atque sic habet: *Postea vero cum idem Comes* (ADELBERTUS II.) *obiisset post annos XII. & nos ipsum prædium cum magno labore ad bonam utilitatem factum, uteremur, nepos eiusdem* WERNHARIUS *voluit vi* (vim) *afferre* (malim, voluit vi aufferre) *& nullo modo potuimus retinere illud, nisi dimitteremus nostra* L. *talenta cum prædio ad Goslikon, & cum* XVIII. *mansis in Schafhusen, quos simul tradiderat S. Martino prædictus Adelbertus. In Acharlon habemus duos agros; Uxor Adelberti Comitis, nomine Iudenta, dedit S. Martino ad Muschon sex mansos*, QUOS UTRUM ILLI AUFERAT AN DIMITTAT, INCERTUM EST. Ex his namque duo adverti oportet, WERNHARIUM Comitem, ADELBERTI ex fratre nepotem, & IUDENTAM, dicti ADELBERTI uxorem, de quo, id est WERNHARIO; utpote ADELBERTI successore, cum dicat Actuarius, dubium se hærere, utrum prædia cœnobio Murensi antea donata *aufferat an dimittat*, quis dubitabit, Auctorem tum temporis vixisse atque scripsisse? ætas certe seu obitus IUDENTÆ non longe post medium seculi XII. referendus est, quod ex Genealogia Diplomatica patet. Hic ergo locus, nisi diligentiam & accurationem P. HERRGOTTI effugisset, certo certius & ipse nihil aliud statuisset, quam Actuarium istum circa medium seculi XII. scripsisse. Sed nemo omnibus horis sapit, & aliquan-

pag. 54.

quando etiam bonus dormitat HOMERUS. Laus ergo iſta poſt plurimorum ſudores nemini, quam Adverſario noſtro reſervata fuit, quod Actuarium incredibili diligentia legens, ac relegens, id demum effecerit, ut de ætate eiusdem modo certiſſime conſtet.

V. His ita præmiſſis, tempus eſt, ut iam integram de omnibus hiſce dicamus ſententiam, mentemque demum aperiamus noſtram. Ante omnia igitur tenemus, quod mox dictum fuit, Actuarium ſcripſiſſe ſub medium duodecimi ſeculi. Deinde & id non minus certum eſſe exiſtimo, ſæpius dictam appendicem, a nonnullis Abbatibus, Scriptoris noſtri Succeſſoribus (nam & ipſum Abbatem fuiſſe dicemus poſtea) adiectam fuiſſe. De his duobus, cum iam nemo amplius dubitet, nihil quoque dicendum ſupererit. At iam emergit quæſtio, cuius ætatis ſit Genealogus præfixus, cuiusque Auctoris opus ſit? Priorem eius partem ab ipſo Actuario præmiſſam fuiſſe, tenet PEIRESKIUS, ſubſcribente Adverſario & aliis, negat & recte quidem P. HERRGOTTUS, id quod modo excutiendum ſuſcipimus. Quod ut recte adgrediamur, cumprimis intuendum eſt, quid hoc loco dicat P. HERRGOTTUS, quæque pro ſtabilienda ſua aſſertione, in medium adducat, ſcilicet, quod ectypa, ex ipſo codice educta, atque omnium oculis expoſita, *a ſecunda manu ſuppleta* haud fuerint, atque adeo *nullum pateat effugium adſciſcendi continuatorem ſtemmatis, quod integrum XXVI. ſolummodo verſibus conſtat, & una parva pagina in quarto, ut vocant, completum eſt*: deinde, quod uti *Scriptorum pluralitas gratis obiiceretur, ita ſine ſufficienti fundamento ſtili diverſitas, quæ alias breviſſima, & ſibi per omnia ſatis conſtans, atque uniformis eſt, argui minime poſſit.*

Amplior huius ſententiæ declaratio,

Quam & P. HERRGOTTUS magna ex parte tenuerat. Proleg. III, pag. 65.

VI. Remittit hic Adverſarius ad caput ſuum VII. ubi de ætate Actuarii ex contextu actum fuit, qua de re cum iam nemo dubitet, hic nihil addendum eſt; monendum duntaxat, quod etſi Actuarium Scriptoribus ſeculi duodecimi adnumerandum eſſe, minime dubitemus, id tamen ex locis, a PEIRESKIO adductis, non facimus; utpote, quas ibidem non ſine gravibus cauſſis exploſimus. Præterea probe adverten-

Adverſarii & PEIRESKII ea de re opinamenta contraria;

dum, rationes ibidem pro ætate Auctoris generatim adductas, pro ætate Genealogi præfixi haud æque pugnare; quippe, cum id nec ex materia, qua constat, dici possit; quandoquidem usum papyri vulgaris ante finem seculi XIII., aut initium XIV., haud invaluisse, ostenderimus: neque etiam ex figura litterarum, quas itidem seculi XIII. esse demonstravimus; nec denique ex contextu; utpote qui & ipse ad eandem usque ætatem pertingit, quæ singula nec ipse inficiatur Adversarius. Superest itaque sola stili diversitas, ex qua duos extundere Auctores allaborant tam PEIRESKIUS, quam Adversarius, ceteris criteriis omnibus, in eo censendi genere adhibere solitis, prorsus destituti. Audiamus igitur PEIRESKIUM, & audiamus eundem integrum, maxime cum Adversarius incuset, immerito licet, P. HERRGOTTUM, quod PEIRESKII *rationes*, *quibus illa* (censura codicis) *nititur*, *silentio prætereat*. Is ergo editioni, a se curatæ, hunc in modum præfatur: *Actorum collector*, *quamvis Anonymus* (at nomen eius postea prodemus) *fidelissimus sane ac certissimus Auctor* (in nonnullis tamen deceptus) *monachus fuit Murensis monasterii* (Abbas quidem Murensis, at monachus San-Blasianus). *Vixitque ante annos fere quingentos*, *nimirum ut ipse testatur*, *sub* RONZELINO *Abbate* (hoc de videbimus postea) *de quo ibidem agitur in Instrumentis annorum* 1128. *&* 1132. *Scripsit autem*, *ut videtur*, *paullo post obitum Adelberti Comitis*, *circa annum plus minus* 1142. (Non omnino male; at *plus* solummodo dicendum fuisse, postea clarebit). *Monuitque posteros* (id est Successores Abbates) *ut sicut ipse*, *quæ vel ante eum*, *vel suis temporibus*, *huic sanctæ Ecclesiæ collata fuerant*, *descripserat; sic & illi facerent*, *qui post illum venturi erant*. *Unde non vana forte fuerit eorum coniectura* (Adversarius tamen rem pro certissima habet) *qui* GENEALOGIAM, ACTIS *præfixam*, *non unius tantum Auctoris fuisse dixerit*, *sed duorum*. *Quorum prior fuerit vel idem Actorum Scriptor* (at is longe accuratior est, quam ut mendosæ huius genealogiæ Auctor constitui queat) *vel alius eiusdem cœnobii monachus*, *ipsi coætaneus*, *qui genealogiam duxerit usque ad Richenzam de Fierrito*, *quæ idem seculum non longe excesserit: ubi stemmatis pars prior non incommode constitui poterit*. *Recte enim partem alte-*

pag. 68.

te-

teram, ſeu ſupplementum conficient, quæ ſubſequuntur, ab Alberto, marito Itæ de Pfullendorff, & deinceps, diverſo omnino ſtilo, & ſpeciali loquendi formula conſcripta (PER ITAM, inquit, PER AGNETEM, PER HELWIGAM, PER FILIAM LUTHOLDI &c.) *quæ continuatorem potius redolent, quam primitivum Auctorem, qui priorem partem verbis diverſa prorſus ratione tradiderat, fœminas ſemper maritorum cognominibus potius, quam paternis ac gentilitiis diſtinguens. Itam videlicet de Habsburg, Richenzam de Lenzburg, Itam de Tierſtein, Adelheidam de Huneburg, Richenzam de Chiburg, Gertrudem de Munpelgard, & Richenzam de Fierrito. Quod continuatori non ita placuiſſe conſtat, cum aliam dictionis formam uſurpare voluerit. Quo vero tempore continuator ſuum* GENEALOGIÆ SUPPLEMENTUM *attexuerit, hinc colligi videtur, quod inter liberos Alberti & Helwigæ, duos tantum filios, Albertum & Hermannum recenſeat: omiſſo tertio, ab anno* 1242. *paſſim celebrato: qui tunc vel nondum natus* (nullam ex hiſce rationibus conſtare, oſtenſum ibimus, cum de hac Genealogi progenie agemus) *vel inter huius eccleſiæ benefactores nondum referri meruerat, ſaltem monachis nondum innotuerat. Quam ob rem paullo ante annum* 1240. *adſcriptum fuiſſe huiusmodi ſtemmatis ſupplementum non immerito coniicere licet. Hoc volui, ut ſcires.* Hucuſque PEIRESKIUS, cuius nonnulla ſphalmata partim iam notavimus, partim adhuc notabimus. Subſcribit autem eisdem Adverſarius non tantum, ſed & multo plura affirmat. Nam cum ille totus, quantus, coniecturis indulgeat, hic quaſi omnem omnino certitudinem haberet, *Conſtanter nos*, inquit, *tenemus, non tantum ſchema genealogicum, Actis præfixum, ſed hæc ipſa a duobus concinnata.* Concedimus hoc, negamus illud; cumque pro diverſitate Auctorum nihil aliud allegetur, quam prætenſa ſtili diverſitas, ſeu ſpecialis loquendi formula, pronuntiare non dubito, totum hoc, tam labili, tamque ficulneo niti fundamento, ut nedum ulla uſpiam appareat veri ſpecies, ſed nequidem coniectura. pag. 69.

VII. Enimvero, quod ad primum attinet, prorſus gratis adſtruitur, ullam apparere ſtili diverſitatem talem, qualis ad

Quos nihil iuvat ſtili diverſitas.

ad plures ſtatuendos Auctores requiri ſolet, & debet. *Fœminas ſemper maritorum cognominibus potius, quam paternis ac gentilitiis diſtingui*, obtendit PEIRESKIUS. At id diverſitatem Auctorum haudquaquam arguit. Eodem enim modo nonnunquam egit Auctor genealogiæ S. ARNULPHI, Epiſcopi Metenſis; nemini tamen adhuc venit in mentem, ut propterea diverſos eiusdem fingeret Auctores. Operæ pretium erit, eiusdem hic nonnulla dare excerpta. Initium ſic habet
a (a): ANAFLEDES *Regina Gothorum, genuit filios Childebertum Regem, Clotharium Regem, Clodomerum Regem, Theodoricum Regem, & filiam Malabergam Reginam Thoringorum. Hæc genuit filium Lotharium.* Hic ex mente PEIRESKII & Adverſarii deſineret primus Auctor, regium ſanguinem ab ANAFLEDE fœmina deducens, atque adeo *fœminas maritorum nominibus diſtinguens;* nam ſtatim poſtea res ei cum viris potius, quam cum fœminis eſt; cum ita pergit: *De fratribus Malabergæ Clotharius genuit filios Guntharium, Childericum, Grannum, Heribertum, Guntrannum Regem, Chilbericum Regem, Sigebertum Regem, & filias Blitildem & Clotildem* &c. Nonnullis deinde interiectis, fœminarum nomina denuo maritorum nominibus præponit, hunc in modum pergens: *Beatrix filia Hadewindis ſuperioris genuit Theodoricum Ducem, Theodoricus Fridericum Ducem, Adeladam. Fridericus Dux genuit Beatricem & Soffiam. Soffia genuit Theodoricum de Monconz* &c.

Quæ ex ſe ſola fallax cum ſit,

VIII. Verum hæc non magni facio; maius autem momentum trahit communis Doctorum Virorum perſuaſio, fallax omnino, atque labile eſſe criterium, de veterum ſcriptis iudicandi ſolo ex ſtilo. Dico ex ſola diverſitate ſtili; nam in eo, correſpondentibus ceteris, validum ſubinde poni debere momentum, nullus ignoro. Res illuſtrior fiet ex MABILLONIO, cuius auctoritas hac in re nobis ſufficiat. Is ergo, etſi & ipſe ſtili rationem habeat, eamque inter ea adminicula, quibus de ſcriptis veterum genuinis aut ſuppoſititiis iudicari queat, ſecundo ſtatim loco adnumeret, nihilominus mox ſub-

(a) Apud CALMET. Hiſt. Lothar. tom. I. Probat. col. XCVII. edit. II. & pag. 75. edit. I.

ſubiungit : „ Non inficior tamen, multum ſæpenumero con-
„ tendi ſuper uniformitate aut diverſitate ſtili. Et ſane mirum „ videtur, tot ferme ſuper hoc hominum eſſe ſententias, „ quot capita, tunc potiſſimum, cum ex diſputationis fer- „ vore animus diſputantium rapitur ad abiudicandum proprio „ Auctori opus, de quo agitur (a). „ Rem deinde exemplis tam antiquis, quam recentibus illuſtrat, ex quibus inſigne prorſus eſt, quod cum *Deſiderio* ERASMO, atque *Iacobo* BILLIO contigit, quorum iudicia de homiliis quibusdam S. CHRYSOSTOMI adeo ſibi invicem opponuntur. ut nox diei non magis contraria ſit. En verba ERASMI: *Ex* CHRYSOSTOMO *in Acta* (inquit in epiſt. ad TONSTALLUM) *verteram homilias tres: cuius operæ me pœnituit, cum nihil hic viderem* CHRYSOSTOMI. *Tuo tamen hortatu recepi codicem in manum; ſed nihil unquam legi indoctius. Ebrius ac ſtertens ſcriberem meliora. Habet frigidos ſenſiculos, nec eos commode poteſt explicare.* Alter, velut de compacto, de iisdem homiliis oppoſitum ſentit, etſi minori verborum copia, haud diſſimili tamen, ut laudatus Vir ſummus advertit, verborum efficacia. *Græco codice*, inquit, *nihil fingi poteſt elegantius, quod* CHRYSOSTOMI *phraſin melius referat.* Hæc ERASMUS & BILLIUS, quorum ambo Græce & Latine docti, ambo ſtili cultioris apprime ſtudioſi erant. Omitto alia, ibidem relata, ex quibus plane convincimur, quam difficile ſit, ex ſolo modo ſcriptionis iudicare, quamque nihil fidendum eiusmodi iudicio, de diverſitate ſtili ad diverſitatem operum, niſi & cetera ſint paria. Quod ſi præterea id genus criteria, quoad prolixa etiam opera diiudicanda, a veritatis tramite longe adeo abire poſſunt, quanto magis inane atque vacuum erit omne illud, quod de viginti ſex lineis, quibus duo monachi Murenſes inſudaſſe dicuntur, deducitur ſolo prorſus ex ſtilo argumentum?

IX. Ad hæc nemo ſibi perſuadeat, PEIRESKII explicationem adeo certam eſſe, nihil ut ei contravenire queat. *Primitivum Auctorem fœminas ſemper maritorum cognominibus potius, quam paternis & gentilitiis diſtinxiſſe, idque continuatori non ita placuiſſe,* dicit. At rem nonnihil aliter ſe habere,

In genealogia Murenſi ne quidem reperitur.

(a) Tract. de ſtud. monaſt. P. II. cap. XIII. p. m. 199. edit. Venet. II.

bere, conſtat ex progenie Genealogi ſexta, ubi eodem modo filiam Comitis ADELBERTI, *Comitiſſam de Linigen* appellat, aperte illam mariti cognomine diſtinguens. Reſpondet quidem alibi Adverſarius, PEIRESKIUM hiſce aliud noluiſſe, *quam primum genealogiæ Scriptorem ab altero differre etiam in eo, quod fœminis* SEMPER *cognomen maritale, nunquam paternum addiderit, id quod poſterior* NON SEMPER *obſervarit, ſed* UT PLURIMUM *contrarium, methodo quidem aliunde adhuc diverſa ut: per Itam de Pfullendorf, filiam ſororis Ducis Welph* &c. Sed præterquam, quod PEIRESKIUS abſolute loquatur, ex hoc certe loco conſtat, quam vana ſit prætenſa illa ſtili diverſitas; utpote, cum is etiam in conſequentibus ſibi ſimilis ſit, aut certe tantum haud appareat diſcrimen, quantum ad duos conſtituendos Auctores requiri poteſt & debet. Nam etſi id *non ſemper* egerit, ad rem nihil facit, cum quilibet ſuo abundet ſenſu. Denique nemo neſcit, ſtilum ſubinde variare non modo licitum eſſe, ſed & ad cavendum tædium, conciliandamque elegantiam, variari debere; hinc laudatus MABILLONIUS porro apposite obſervat (a), *quod unius etiam & eiusdem Auctoris ſtilus multifarius quandoque dignoſcatur, ac in aliquo interdum opere qua elegantior, qua neglectior appareat.*

pag. 130.

a

Quin potius ubique ſibi ſimillimus eſt.

X. His omnibus accedit, non maiorem ſtili diverſitatem obſervari in prætenſa illa poſteriori Genealogiæ parte, ceu prioris ſupplemento, quam priori eiusdem parte, ſeu initio operis. Ibi enim omiſſis fœminis, ſeu uxoribus, Ducum duntaxat, Comitumque nomina prodit, ut: *Genuit autem Theodoricus Gerhardum Ducem. Ille vero genuit Gerhardum de Egisheim, patrem Uodelrici & Stephani.* Hic vero, paucis nempe interiectis, omiſſis viris, fœminas tantum compellat: *Ita de Habsburg genuit Wernherum Comitem, & Richenzam ſororem eius de Lentzburg --- Richenza de Lentzburg genuit Arnoldum --- Ita de Tierſtein ſive Homberg genuit Wernherum & Ruodolfum de Habsburg* &c. Hæc ergo, cum non minus inter ſe diſcrepent, quam cetera, a PEIRESKIO & Adverſario allata, dicendum foret, octava ſtatim autographi linea novum adeſſe auctorem, quod plane abſurdum

(a) Loc. cit. p. 200.

dum eſt. Nihil iam addo de aliis formulis : *per Itam*, *per Agneſam*, *per Heilwigam* &c. cum eædem, quas adduximus, rationes contra iſtas æque pugnent.

XI. Videamus potius, an non ſuppetat, quod commentum iſthoc, de duobus genealogiæ præfixæ Auctoribus, directe, atque adeo plenius ſubvertat. Qua in re primum omnium in memoriam vocandum eſt, genealogiam Anonymi Murenſis ad RUDOLPHI uſque *Taciturni* filios, WERNHERUM & GOTTFRIDUM, quorum hic anno primum 1270. obiiſſe creditur (a), atque adeo ad RUDOLPHUM uſque *Habsburgicum*, Regem Romanorum, perduxiſſe, ita quidem, ut continuum & nuſpiam interruptum filum a capite uſque ad calcem deducatur, nullum ut uſpiam ſupplementi, vel continuationis appareat veſtigium. Hinc recte infertur, quod niſi aliis ex argumentis, quam ex fallaci de ſtili diverſitate, coniectura probetur, duos fuiſſe genealogiæ præfixæ Auctores, pro uno tantum decernendum eſſe; cum maximum omnium fundamentum ſine maxima quoque, atque luculenta ratione, reiici haud queat.

TotamGenealogiam præfixam ab alio, quam ab Actuario, eſſe ſcriptam, oſtenditur *imo* ex contextu, a

XII. Secundum argumentum deduco ex diſſimilitudine doctrinæ; multa enim habet Genealogus, Actuario aut incognita, aut contraria, aut indicta. Unde recte deciditur, alium ab eo eſſe Auctorem. Iuvat eius rei periculum facere. Genealogus ITAM, RADEBOTONIS coniugem, cœnobii Murenſis *reparatricem* vocat, contra ac facit Actuarius, qui eam *fundatricem* fuiſſe, diffuſe enarrat, ut quæ dotem, a coniuge RADEBOTONE obtentam, pio iſti operi conſecravit. Hinc idem Actuarius contra illos, qui ex teſtamento WERNHARII Epiſcopi illum ſolum fundatorem fuiſſe putabant, occupat his verbis: *Quod autem alia ſcriptura narrat, illum* (WERNHARIUM) *ſolum eſſe fundatorem huius loci, hoc propterea ſapientibus viris viſum eſt melius; quia ipſe in hiis tribus perſonis* (WERNHARIO, RADEBOTONE, & ITA, eius coniuge) *potior inventus eſt, ut eo firmior ac validior ſententia ſit,* quam

Tum ex diſſimilitudine doctrinæ,

(a) Vid. HERRGOTT. Geneal. Dipl. T. I. lib. IV. c. II. §. III.

a *quam si a fœmina constructum esse diceretur* (a). Non sum quidem nescius, quo pacto hac in re clientem suum alibi excusare potius, quam explicare, nitatur Adversarius, cum dicit: *Verum quo sensu, videlicet non tam stricte Grammaticali, dictum vocabulum hic accipi debeat, declarat immediate subsequens historia de eiusdem monasterii fundatione, quam idem genealogiæ Scriptor ex professo tractat, a se utique non tam alienus, ut* ITAM, *quam* MONASTERII FUNDATRICEM EXPRESSE *agnoscit, illius antequam existeret, iam collapsi reparatricem, iuxta rigorosam huius vocabuli significationem dicere voluisset.* Mira prorsus, atque insolita, veteres interpretandi Auctores ratio! pulchra etymologia! ne vocabulum *reparatrix* in sensu *non tam stricte Grammaticali* accipiamus, rogitatur; quod idem est, ac petere, ut illi nedum aliam affingamus potestatem, sed & prorsus ac plane contrariam; nam si reparatrix pro *fundatrice* accipi potest, eodem nos iure *destruere* & *ædificare* idem esse, secundum hanc Grammaticam indubitanter asseremus. Ut enim destructor ædificium, antea constitutum, postulat, ita non minus reparator, si quidem reparator, quocunque demum sensu, etiam latissimo, audire velit, rem, quam reparat, ante extitisse supponit. Frustra ergo poscitur, ut vocabulum aliquod in sensu *non tam stricte Grammaticali* sumamus, ubi tali sensui ipsa repugnat etymologia. Quare dicendum, aliam esse doctrinam Actuarii, aliam Genealogi, atque adeo inter utrumque Auctorem tantum obversari discriminis, quantum est inter *reparare* & *fundare*, *destruere* & *ædificare*. Quantivis roboris hoc argumentum esse, utpote ex oppositione & contrarietate opinionum deductum, vel ex tritissima illa parœmia elucet: *quot capita tot sententiæ*; nam si hoc verum, valet & contrarium: *quot sententiæ* (subintellige de una eademque re) *tot capita*. Hinc sapienter advertit
b supra laudatus MABILLONIUS noster (b): *tribus aut quatuor modis comperiri posse, num opus aliquod huius sit potius, quam alterius Auctoris: nimirum ex manuscriptis, ex uniformitate aut diversitate stili, præsertim vero* DOCTRINÆ & OPINIONUM.

(Quocirca male interpretatur Adversarius voc. *reparatrix*) pag. 92.

Rec-

(*a*) Act. Murens. p. 10. Adde, quod ait pag. 53. *Notus etiam debet esse terminus loci istius, qui libere deputatus est a Domina* ITA, *Cometissa ad servitium Dei quam* (quum) *illum primum* FUNDAVIT.

(*b*) Loc. cit. pag. 198.

Recte quoque & Adverſarius monet, comprehendi non poſſe, qui Actuarius a ſe *tam alienus* eſſe potuerit, ut ITAM *reparatricem* diceret, quam tamen *fundatricem expreſſe agnoſcit*; nam & nos id ab uno homine, qui ſanæ mentis fuerit, fieri nequiviſſe, facile credimus, bene vero a diverſis.

XIII. Huc pertinent, quas nos iam pro tertia adducimus ratione, extantes ac non ferendæ Genealogi omiſſiones & lacunæ; ut qui Actuarium tam oſcitanter, tamque negligenter, aut certe omnino non legit, ut etſi GUNTRAMNUM & KANCELINUM præ oculis atque in ipſa fronte libri habuerit, penitus neglexerit. Eodem modo reticuit & RADEBOTONEM, qui tamen ante omnes nominandus fuerat, non ſolum, quod ITÆ maritus fuerit, atque adeo totius genealogiæ caput & apex; ſed & quod omni etiam iure inter fundatores monaſterii Murenſis adnumerandus ſit. Hæc certe negligentia adeo craſſa eſt, ut Actuario nullo modo adſcribi queat. Qui enim is chronici ſui tam immemor ſit, ut genealogiam Principum ſcripturus, omnium tamen primos, etſi ſibi ſatis ſuperque cognitos, adque ſuum propoſitum adprime facientes, prætermittat? Num comprehendi queat, quod Scriptor adeo accuratus & diſertus, genealogiam acephalam, atque apice ſuo ac capite truncatam, dare voluerit? Hæc certe ratio, ſi quæ alia, mihi ſummo perſuadet opere, hunc pannum purpuræ, ſchema ſcilicet genealogicum, Actis tum primum aſſutum fuiſſe, cum integer codex, vertente ſeculo XIII., de novo exſcriptus fuit: nec multo abſum a ſuſpicione, genealogiam illam nedum ab alio, quam ab ipſo Actuario, eſſe elucubratam, ſed & a tali, qui Actuarium aut nunquam viderit, aut ſaltem nunquam legerit. Non maiori felicitate verſatus eſt Genealogus in ſubſequentibus generationibus, quod dudum oſtendit P. HERRGOTTUS, noſque in conſequentibus, contra nitente licet Adverſario, non ſegniter confirmabimus. Neglexit nempe, præter iam laudatos, OTTONEM I. & ADELBERTUM I., filios RADEBOTONIS & ITÆ, ac WERNHARII fratres. Item ADELBERTUM II. eiusdem WERNHARII filium, ac fratrem OTTONIS II. Quis autem non videt, id ab alio Auctore, quam Actuario, neceſſario factum fuiſſe; cum nulla

Nec non ex erroribus bene multis, abs Genealogo commiſſis,

prorſus idonea ratio afferri queat, cur aliquos: nec, cur hos potius, quam alios omiſerit.

Quos fruſtra excuſare nititur Adverſarius.
pag. 77.

XIV. Scio equidem, quid ad hæc reſpondeat Adverſarius alio loco, ſcilicet *Scriptorem noſtrum non voluiſſe arborem genealogicam erigere, omnibus numeris abſolutam, ſeu in ſingulos prorſus ramos extenſam*; ſed gratis hoc allegari dicemus alibi: ſtrictim hic advertentes, falſitatem huius coniecturæ vel ex ſolo titulo, Genealogiæ præpoſito, apparere, qua dicit Auctor: *Iſta eſt Genealogia noſtrorum Principum*, non obſcure innuens, ſe genealogiam daturum integram. Deinde ſi largiter etiam daremus, potuiſſe unum alterumve omitti, omitti tamen nec poterat, nec debuerat Radeboto; utpote totius Genealogiæ Habsburgicæ & apex & caput. Sed de his, ut diximus, alibi, ſatis iam probaſſe perſuaſi, Genealogiæ, Actis Murenſibus præfixæ, unum prorſus eundemque fuiſſe Auctorem, eumque ab Actuario plane diverſiſſimum, quique poſt medium ſaltem ſeculi XIII. vixerit. Quare nonnulla alia argumenta, huc facientia, ut ſuperflua, conſulto prætermittimus. Pauca tamen adhuc reſtant, quæ, etſi ad rem ipſam, id eſt, ad controverſiam noſtram, parum faciant, levi ſaltem brachio attingenda ſunt.

Alia obiectatio breviter expedita.

XV. Concluſit hanc ſectionem P. Herrgottus, ut iam innuimus, hunc in modum: *Verum demus ultro, duos aut etiam plures Scriptores illi ſchemati genealogico, quod ſex & viginti lineis, per omnia ſimilibus characteribus conſtat, inſudaſſe: concedamus & hoc* Peireskio, *ſtili diverſitatem in eo reperiri: quid inde ſequitur? Hoc ſemper manet in confeſſo, ſcripturam codicis Murenſis ætate ſeculum XIII. referre, illamque poſt mortem* Ronzelini *Abbatis (ut ſupra iam monſtravimus) fuiſſe elaboratam.* Duo ad hæc reponit Adverſarius: alterum ænigmati ſimile eſt, alterum rem ipſam attingit.

pag. 72.

Prius illud hiſce verbis complexus eſt: *An inſudarint?* (duo nempe Auctores ſex & viginti lineis) *neſcimus; ſi tamen inſudaſſent, ne mireris, argumentum tractant, quod innumeros huc uſque calamos laſſavit. Plus nempe ſudoris impendimus culturæ unius arboris frugiferæ, quam integræ ſilvæ.* Ænigma hæc,

hæc, inquam, continent, & certe ultima verba plus in recessu habent, quam primo ostendunt aspectu; quæ tamen nihilo secius explicare supersedeo. Id unum levissime dicam, eam silvam non omni hactenus caruisse fructu; utpote unde quinque arbores frugiferæ, Abbates intelligo postulatos, quos inter & ipsum quoque Actuarium fuisse, deinceps ostendam, *Muros* transplantatæ fuerunt. Ceterum non male dicit Adversarius, quod Genealogus Murensis innumeros lassaverit calamos; nam certe multos sane exercuit ob sui obscuritatem. Clarior fuisset: nec multos adeo exercuisset, neque hunc etiam meum, utut exiguum & indoctum, exerceret. Ad alterum cum distinctione respondet Adversarius: *Concedimus totum*, inquit, *de codice præsente, non vero de eius Auctore; concedimus, inquam, totum de scriptura hac individua & materiali, sine dispendio quidem vetustatis, quam altius ipsius Auctoris ætas præfert. Non enim putes, senem ex nova veste iuvenescere. Acta Murensia, etiam heri* (id est ante annos duodecim) *splendidis a P.* Herrgotto *typis exornata, manent antiqua.* Ignosco hic Adversario: scimus nihilominus, quantum olographum præstet apographo, ac quot innumera veterum scripta ab amanuensibus, exscriptoribusque, depravata, interpolata ac contaminata fuerint; certe quod vel ipse codex Murensis, si non temerarias, imperitas saltem & oscitantes manus haud evaserit; argumento sunt plures non infeliciter tentatæ ab Adversario emendationes, margini editionis suæ appositæ. (a) Non est igitur dubium, quin nova illa descriptio dispendium tam vetustati, quam veritati, afferre potuisset.

Ibid.

a

CAPUT XII.

Ostenditur, Actuarium Murensem fuisse Chunonem, seu Conradum, ex monasterio S. Blasii in silva nigra *Muros* postulatum Abbatem.

I. IAm paullo maiora canamus. Hæsimus nuper satis prolixe circa ætatem Anonymi Murensis, nunc eiusdem nomen atque dignitas investiganda est. Eum sub medium

Actuarium Mur. paullo post obitum Ronzelini Ab-

(a) Vid. Cap. IV. pag. 30. §. VI.

bat. ſcripſiſſe, coniectat Adverſarius, pag. 54. & 55.

dium ſeculi XII. vixiſſe & ſcripſiſſe, abunde iam ex dictis conſtare autumo. Utrumque ſub RONZELINO Abbate factum, coniecerat PEIRESKIUS: diſconvenit non nihil Adverſarius, ſub RONZELINO Abbate vixiſſe quidem exiſtimans, negans tamen & ſcripſiſſe, ea de re ingenue ſic effatus: *Et, ut verum fateamur, ſi coniiceres, Anonymum Murenſem aliquanto ſerius, atque etiam paullo poſt obitum ipſius Ronzelini, anno* 1145. *defuncti, ſcripſiſſe, id abſolute negare vix queamus. Teſtatur is quidem, ſe ſub Ronzelino Abbate vixiſſe, non teſtatur, ſe ſub eodem & ſcripſiſſe.* Confitetur ergo Adverſarius, aut ſaltem inficiari nequit, Acta Murenſia *paullo poſt obitum ipſius* RONZELINI conſcripta fuiſſe.

Id quod amplius ſtabilitur.

II. Recte omnino; nam loca iam ſæpius excitata, id plane evincunt; cum de RONZELINO, velut iam defuncto, in iisdem Actis mentio fiat. Certe de eodem haud aliter loquitur, ac de ceteris Abbatibus prædeceſſoribus defunctis, ut v. g. p. 50. *Capellam - - - conſtruxit quædam nobilis matrona, nomine Gerbild, ſub Abbate Uodalrico.* Et nonnullis interiectis, de Abbate RONZELINO: *ſed quia altare male compoſitum fuit, ſub Abbate Roezelino effrigimus ipſum altare.* Utrinque ſimillimis utitur verbis. De prædio, ab eodem Abbate empto, pag. 90. agens, addit annum æræ vulgaris hunc in modum: *anno Dominicæ Incarnationis* MCXXVIII. *ſub Abbate Roezelino.* Eodem modo prædicti Abbatis UODALRICI memoriam ingerens, tempora accurate ſignat: *Anno autem* MCXIIII. *Dominicæ Incarnationis venit Henricus Rex quartus ad Baſileam - - - audiensque hoc Abbas Uodalricus* &c. Omitto alios idoneos eiusmodi textus, cum ex hiſce ſatis iam conſtare queat, Acta Murenſia poſt ætatem RONZELINI eſſe compoſita; cum ineptum foret, Abbatem & annum incarnationis addere in decurſu narrationis hiſtoricæ, ſi Abbas adhuc in vivis eſſet: atque aliunde, ut dixi, rem hanc nec ipſe diffiteatur Adverſarius. Addam tamen & alium inſignem locum, ex quo ſumme perſpicuum fiet id, quod intendimus. Extat is pag. 86. & ſic habet: *Anno autem Dominicæ Incarnationis* MCXXXII. *cupiens Abbas Roezelinus augere ſumptum potius ſibi ſubiectorum, egit tum cum conſilio fratrum, & Comitis Adelberti, ut prædia*

Co-

Comitis Eberhardi de Nellenburg, quæ ibi habuit - - - Quapropter vendidit bona & utilia prædia, & fregit aureum calicem optimum &c. Ex hoc loco, nisi me mea omnia fallant, clare intelligitur: Abbatem RONZELINUM Actuarii ætate iamiam defunctum fuisse, cum vivente & regnante adhuc Abbate nomen eius sine addito *hodiernus*, vel *noster*, vel aliquo simili, non adscripsisset: Similem præteriti temporis vim habet particula *tum*, quæ & personam isthic haud obscure afficit.

III. Præterea & id tam ex hoc, quam aliis excitatis locis manifestum esse existimo: RONZELINUM ipsum haudquaquam libelli Auctorem esse posse; cum de se ipso loquens, haud dubie aliis verbis & modis usus fuisset, immo uti debuisset. Certe in vexatissimo eo loco, unde ætatem Auctoris eruere tentabat PEIRESKIUS: quum, quid factum fuerit de altari S. IOANNIS *Evangelistæ*, sub RONZELINO *Abbate*, retulisset, statim subiungit: *continentur autem in ipso altari, sicut ego ipse* VIDI & AUDIVI *reliquiæ sanctæ Dei Genetricis Mariæ*, quæ verba non addidisset RONZELINUS Abbas, si ipse Auctor libelli esset; cum nemo dubitare posset, eundem id vidisse & audiisse, quod præsente se contigit, quodque ipse, ut historia refert, fieri curavit. Deinde cum Auctor istas solas reliquias sibi visas asserat, non autem reliquias illas, ab Episcopo in sepulcro, seu *confessione* altaris repositas; iterum apparet, Auctorem solemnitati nequidem interfuisse; alias enim id ipsum de tota ea actione testatus esset, non de reliquiis duntaxat altaris, & capsæ eiusdem, ut nos cap. IX. fuse ostendimus. Frustra præterea factum aliquod me audiisse dico a narrantibus, si actioni ipsus interfui, remque omnem oculis atque auribus usurpavi. Hæc etsi clarissima ex se sint, & apertissima, quadantenus tamen firmanda atque occupanda fuerunt, ne quis, quamvis futiliter admodum, diceret: RONZELINUM Abbatem potuisse studio de se ipso scribere, quasi de alio, ne nomen suum propalaret. Neque enim ulla potuit subesse ratio, cur nomen suum tam studiose tegere, aut potius ita ineptire voluisset.

Dici non potest, RONZELINUM ipsum esse libelli Auctorem.

IV. Pari modo constat, & Adversarius quoque quasi pro aris & focis contendit, libellum medio seculo XII. inferio-

Licet is non longe post eius

ætatem ſcriptus ſit.

riorem haud eſſe, certe non longe poſt RONZELINI Abbatis mortem eſſe elucubratum, quod & nos haudquaquam inficiamur; idque exinde etiam planum fit, quod hic ſit ultimus Abbatum, quo de mentio fit in ipſis Actis. Certe, ſi Acta poſt ætatem CHUNONIS, qui RONZELINO ſuffectus fuit, ac deinde, circiter annum 1166. abdicavit, primum elucubrata fuiſſent, cur non & eiusdem; utpote qui clavum uno & viginti annis laudabiliter tenuit, memoria ingeretur? maxime cum non defuiſſet materia; quam equidem præbuiſſet id, quod de eo notatur in appendice: *Notum omnibus ſit - - - quia factus ſermo, venerabili Epiſcopo Hermanno Conſtantienſi, & Abbate venerando Chounone præſentibus* &c.

Auctorem nihilo ſecius Abbatem fuiſſe, oſtenditur ex modo res ſuas proponendi,

V. Hæc igitur, quemadmodum certa ſunt & indubitata, RONZELINUM non eſſe libelli Auctorem: neque etiam Auctorem poſt tempora CHUNONIS reiiciendum eſſe, ita & id certum & indubitatum exiſtimo: Auctorem nihilominus fuiſſe ABBATEM. Coniecerat id iam P. HERRGOTTUS hiſce ex verbis: *Decernimus igitur, quatenus nulli Præpoſitorum, Cellerariorum, aliarum Venerabilium perſonarum, liceat ea alterare, extra quam ſtatuta ſunt.* Verum utut hæc coniectura graviſſima eſt, ac multam veri ſpeciem habet; cum tamen laudata verba, in appendice duntaxat legantur (quam ab alio, recentioris ævi, adiectam fuiſſe, ultro admiſimus) non de Actuario, ſed de quodam ex ſucceſſoribus, intelligenda veniunt.

Tam quam ſpiritualia,

VI. Quare rem ex ipſo Actuario exputemus: ubi inprimis animadverti velim, Auctorem ubique fere imperative & poteſtatem habentis adinſtar loqui, atque Abbatis munus in eo etiam prodere, quod de rebus ſpiritualibus agens, monachos ſuos pro re nata, non ſine ſalutari admonitione, dimittat: tractans temporalia, ſeu œconomica, varias immiſceat obſervationes, ac conſtitutiones. Sic vg. quod ad primum attinet, ubi de latifundiis, in quibus monaſterium con-
a ſtitutum fuit, agens (a), omnia primitus iniuſto aquiſita titulo fuiſſe, dixerat, monachos ſuos hunc in modum ſolatur: *Sed nemo ſit, qui hinc dubitet vel deſperet, dicens: qualis ſalus ani-* ma-

(a) pag. 6. ſeqq.

inarum hic possit esse, vel provenire, & qualiter famulatus Dei valeat celebrari in tam male aquisito loco? quia Deus, cuius iudicia sunt abyssus multa, & nunquam iniusta, & qui malo bene scit uti, sicut e diverso homini bono male nulli imponit, nisi ipse meretur, nec alterius malitiam alteri nocere patitur, sicut scriptum est: anima quæ peccaverit, ipsa morietur; & reliqua, ibidem per expansum legenda, & ubi demum ita concludit: *Omnis enim qui ad habitandum istum locum venerit, primum a Deo, quæ sibi utilia sunt, postulet, deinde heredibus veniam, expulsoribus indulgentiam, fundatoribus autem & exstructoribus mercedem imploret, sicque nil metuens vel dubitans, sed bene vivendo, ac Dei voluntatem in omnibus sequendo, lætus diem Domini exspectet.* Similia extant pag. *66.* ubi, cum a prædecessoribus suis prædium aliquod pretio ducentarum librarum argenti (fracto hunc in finem aureo calice, pretiosis lapidibus exornato, duabusque argenteis crucibus) a Rudolfo quodam, possessore iniusto, emptum, sicque monasterium *pene omni substantia sua sive intus sive extra* spoliatum, nudatumque fuisse, enarrasset, ex plenitudine potestatis, quod aiunt, sic profatur: *Hic ergo penset unusquisque apud semetipsum, quid utilitatis, aut felicitatis animæ suæ & corpori provenire possit de tam non recte aquisita substantia; dum unusquisque hoc solum attendere debeat, ne ita corpus nutriat, ut animam perdat; cogitetque, quid prosit, si latro rapiat, & monachus comedat.* Hæc quippe ita comparata sunt, ut, nisi a supremam potestatem habente, sine offensione, aut Abbatis, aut æqualium, vix aut ne vix quidem proferri potuerint. Postulat enim prædecessores Abbates iniustæ emptionis: præsentes vero iniustæ retentionis: non obscure innuens, quam sibi gratum accideret, si consentientibus monachis, seu *Capitulo*, quod iniuste adeo adquisitum est, reddere, dum res integra esset, liceret, id quod *unicuique pensandum* relinquit. Id saltem non incongrue inde deducimus, exhortatiunculam hanc ab Auctore *Abbate* ideo fuisse interspersam; ut monachos saltem præsentes & futuros ab eiusmodi factis deterreret. Nihil enim hic solatii aut excusationis addit, quod tamen sedulo præstat in loco, mox antea adducto, nec non & alio, quo, de prædio, cum Ecclesia S. Leodegarii

O com-

commutato, tractans, ne quis illud iniusto quodam titulo ad monasterium venisse putaret, paterna plane sollicitudine monet: *Unde nemo perturbetur, nec aliquam contradictionem* (diligenter huic vitio obviare Abbates, aliunde notum est) *excogitet; quia legaliter & iuste factum est, ita, ut Advocatus illius ecclesiæ Comes Wernherus huc illorum traderet, & contra*
a *noster Advocatus Adelbertus istud illuc tribueret* (a). Non abludunt ab his, quas sparsim alias interspergit Abbatiales ex-
b hortatiunculas. Ut vg. cum dicit (b): *Nunc ergo decet ac valde necesse est omnibus, qui unquam in hunc locum ad manendum secesserunt, ut sciant & cogitent, & recordentur, quam vix, & laboriose iste locus ad hanc gloriam, in qua modo est, sit perductus --- quam difficile sit & rarum, religiositatem hic esse, vel posse custodire; quomodo semper in egestate & paupertate fuit, & est, ut sic vivant & se habeant, ac se intra claustra contineant* (en vocem Abbatis) *aspectuque hominum, in quantum possunt, se removeant, & custodiant tam se, quam locum, ne monastica vita, quæ vix hucusque fuit, dilabatur, penitusque locus desoletur, & ipsi periculum animarum suarum proinde sustineant.* Omnia hic Abbatem redolent, omnia sapiunt pastorem. His addi possunt conclusiones partium singularum, nunquam sine exhortatiuncula ad monachos transeuntes, quæ, quia capite superiori VIII. iam adductæ sunt, Lectorem adhuc dubium aut hæsitantem illuc remitto.

Tam, quum temporalia tractat:

VII. Quam vero curam hic impendit circa animas, sibi concreditas, Auctor, eandem quoque circa rem domesticam adhibet, varias de ea observatiunculas identidem interspergens, quas hic adducere longum foret. Præterire tamen nolo, quæ duobus in locis affert, linguam quippe veterem
c Theodiscam illustrantia: *Si quæris*, ait (c), *quid sit sistir? dictum est quasi dicatur constitutio, vel firmiter statutum; ipsi enim armentarii secundum suam consuetudinem habent nomina inventa, quibus utuntur; utpote tantum lactis, quo seracium potest fieri, vocant Imi, & octo Imi dicuntur sester, adeo-* que

(a) pag. 89.
(b) pag. 35.
(c) pag. 79.

que ſeſter nihil eſt aliud, niſi (VIII.) *ſeracia, unumquodque autem ſeracium ſequuntur* VIII. *caſei.* Et inferius pag. 85. *Si quæris cur vocetur mannwerck? ideo dicitur, quia uni viro committitur ad colendum, & eſt tantum terræ, quantum par boum in die arare ſufficit.* Conſulto omittimus plura alia per totum opus ſparſa (a), ex quibus Auctorem ſtilo, ut ita dicam, Abbatiali uſum, atque cum ſolliciti paſtoris, tum œconomi munus ſtrenue obiiſſe, haud difficulter intelligimus.

VIII. Sed nihil luculentius eſt, nihil ad rem præſentem opportunius, accomodatiusque iis locis, quibus Auctor ſe ipſum Abbatem nominat, ex quibus duo ſaltem proferre poſſumus, volumusque. Prior extat pag. 59. ubi hæc legimus: *Conſtitutio etiam quædam antiquitus obſervatur, ut Abbas præſtet, quod ad cenſum pertinet, & Præpoſitus manſos, & villicus alia minora. Anteriores autem noſtri nolebant in iſto, & in aliis propinquis locis multa ponere ad cenſum.* Per *anteriores*, non niſi *Abbates*, anteceſſores ſuos, intelligere poteſt. Quod enim de iis in altero verſu dicit, *cenſum*, ſeu pecuniam, ad cenſum elocandam, attingit, quem ab Abbate curandum eſſe, priori verſu retulerat, ita ut ſenſus ſit: „ Conſtitutio quædam antiquitus obſervatur, ut quod ad pecuniam fœnori dandam attinet, Abbas procuret. Anteceſſores autem mei nolebant neque in iſto, neque in aliis locis, huic vicinis, multum elocare argenti. „ Si enim mos antiquitus introductus erat, ut, quod fœnori datur, *Abbates* ſolummodo procurent, per *anteriores* quoque procuratores, eo ipſo, quod mos antiquitus iam obſervatus fuerit, Abbates intelligat, neceſſe eſt. Denique cum dicit anteriores *noſtri*, pro *mei*, ſtilo utitur ſibi familiari, quo de mox dicemus. At multo adhuc planiora ſunt, quæ non longe poſt, pag. ſcilicet 61. hunc in modum ſcribit: *Decima autem ad Walaswil, dicitur deputata eſſe eccleſiæ S. Goaris, & adhuc auditum non eſt, ab* ULLO ABBATE *unquam* ANTE NOS *ablatam eſſe inde, & ideo oportet, ut deinceps illuc dimittatur.* Luculentiſſima, inquam, apertiſſimaque hæc ſunt; qui enim dicit, ſcribitque, hoc vel illud *a nullo ante ſe Abbate factum*, clare innuit,

Maxime vero, ubi ſe ipſum Abbatem nuncupat.

O 2

(a) Ut pagg. 76. 77. 80. 88. &c.

nuit, quod & ipſe Abbatis dignitate eminuerit. Nec obeſt, quod non dicat *ante me*, ſed *ante nos*; plurali enim numero, quotiescunque de ſe ipſo locutus eſt Auctor, uſum fuiſſe, conſtat ex pluribus locis aliis, quorum nonnulla adducere, operæ pretium erit. Sic pag. vg. 36. ait: *Prius ſcripſeramus, qualiter* &c. & ſequenti: *Igitur quod nobis primum & unicum eſt, ſcilicet de reliquiis Sanctorum, quæ hic ſunt, dicemus.* Mox iterum pag. 42. *Quia ergo reliquias Sanctorum deſcribimus, iam de alia ſubſtantia --- videamus.* Tum vero pag. 48. *At nos quia aliquantum ſubſtantiam interiorem noſtræ Eccleſiæ deſcripſimus*, & reliqua, per totum opus diſperſa: quæ ſingula adducere, ſuperſedemus. Potuit & plurali numero uti ex prærogativa quadam, qua tum Abbates plurimum pollebant, aut potius multiplici exemplo aliorum Scriptorum, aut denique ex modeſtia, more antiquorum.

a Hinc ubi canit VIRGILIUS (a):

Et nos aliquid nomenque decusque geſſimus.

SERVIUS ad eum locum, obſervante NOLTENIO in Lexico Antibarbaro addit: Nos *dixit, ad evitandam iactantiam. Nam ſi ſingulari dixiſſet*, EGO GESSI, *excluſiſſe ceteros videretur.* Poſtremo conſtructio, poſitioque illorum verborum non permittit, ut per pronomen *nos*, plures intelligamus; contrahitur enim per præcedens *nullus Abbas*, ut *Singularem* neceſſario exigat, quod conſideranti patebit.

Hinc recte concluditur, Auctorem fuiſſe CONRADUM de S. BLASIO, qui tum cœnobio Mur. Abbas præfuit.

IX. His ita ſe habentibus, pronuntiare nullus dubito: Auctorem libelli fuiſſe CHUNONEM ſeu CONRADUM, qui ex monacho S. BLASII in nigra ſilva, ſub initium an. 1154., quo Abbas RONZELINUS obiit, ad Abbatiam monaſterii Murenſis poſtulatus eſt; quam cum annis uno & viginti laudabiliter rexiſſet, atque etiam litterarum ſtudia, non nihil collapſa, reſtituiſſet, demum circiter annum 1166. abdicans, ad monaſterium S. BLASII remeavit, ibidemque anno primum 1188. die ſecunda, ſeu potius undecima Novembris, ad Superos e-

b volavit (b). Hunc, inquam, Auctorem Murenſium Actorum fuiſ-

(a) Æneid. II. v. 95.

(b) Ex Gallia Chriſtiana T. V. col. 1038. Rev. P. *Fridolini* KOPP, monachi Murenſis, nunc S. R. I. Principis & Abbatis, addidament. ad *Murum & Antemurale*. P. *Stanislaus* WÜLBERZ in brevib. notitiis monaſt. S. BLASII MSS.

fuiſſe, ac deinceps haberi debere, aſſeverare eo minus dubito; quod rationes & argumenta, a nobis allata, id clariſſime evincunt, quæ breviter hiſce complectimur: Auctorem paullo poſt RONZELINUM ſcripſiſſe, partim nobiſcum convenit Adverſarius, partim paullo ante demonſtratum fuit (a): eundem Abbatis dignitate præfulſiſſe, itidem evicimus: quid ergo ſupereſt, quam ut dicamus: hunc ipſum fuiſſe CHUNONEM, ſeu quod idem eſt, CONRADUM; quippe qui eo ipſo tempore Abbatis munere in monaſterio Murenſi fungebatur. Paucis: Acta Murenſia conſcripſit Abbas quidam Murenſis, & ille quidem Abbas, qui inde ab an. 1145. ad annum uſque 1166. præfuit: atqui Abbas ille fuit CHUNO ſeu CONRADUS, ex monaſterio S. BLASII in nigra ſilva poſtulatus: ergo Acta Murenſia conſcripſit CONRADUS de S. BLASIO. a

Inſtauratur argumentum ex eo, quod ob penuriam virorum idoneorum CONRADUS noſter illuc Abbas poſtulatus fuerit.

X. Confirmantur hæc ſingula perpulchre ex rebus, monaſterium Murenſe, & San-Blaſianum tum temporis circumſtantibus. Præceſſit Abbas RONZELINUS, *vir* quidem *ſive zelum diſciplinæ* (ut loquuntur Annales Murenſes) (b) *ſive rerum agendarum peritiam ſpectes*, *omni ex parte perfectus*; at eundem virum litterarum ſtudia in monaſterio, ſibi concredito, neglexiſſe, pariter in comperto eſt. Hinc factum eſſe, minime dubito, ut, eo defuncto, nemo ex gremio *Conventus*, ut vocant, *Murenſis*, inventus fuerit, qui a pietate ſimul, atque doctrina, quas dotes S. BENEDICTUS *in Abbate*, *qui præeſſe dignus eſt*, exigit, ſatis inſtructus, eiusmodi gerendo muneri aptus videretur (c). Itum eſt igitur in antiquam ſilvam, cœnobium aio S. BLASII, atque tertius inde b c

(a) Id ipſum nunc quoque magis elucet; nam cum ex contextu pateat, RONZELINUM Auctorem libri haud fuiſſe, eundemque tamen fuiſſe Abbatem, plane conſequitur, ut is eiusdem ſucceſſor fuerit; cum aliunde CHUNONIS ſucceſſori opus adſcribi nequeat, adeoque nec præceſſori, nec ſucceſſori.

(b) Vid. Auctores citatos.

(c) Præfiſcine hæc & ſimilia dixerim; non enim ex alio fine proferuntur, quam ut exinde veritas magis magisque appareat. Neque enim Celeberr. aſceterio fraudi ſit, aut dedecori, alienis aliquando indiguiſſe ſubſidiis: vel diſciplinam ac litterarum ſtudia collapſa fuiſſe; cum nihil ſtabile ſit in hoc mundo, atque rara admodum ſint cœnobia, aliæque communitates, quæ perpetua uſæ ſint felicitate.

a Abbas CHUNO evocatus fuit (a), qui & rigidiorem introduxit disciplinam, & collapsa litterarum studia feliciter revocavit.

Quod, florente ibidem doctrina & disciplina, factum haud fuisset;

XI. Enimvero utrumque horum, seu disciplina, seu doctrina, si tum floruisset in monasterio Murensi, aut firmiter substitisset saltem, alienum certe Abbatem haudquaquam postulassent. Abbates namque olim non minus ac hodie, ex alienis monasteriis postulatos haud fuisse, nisi urgentissima ex necessitate, ac tum cumprimis, si viri idonei, id est, pietate & doctrina pollentes, defuerunt; testis est charta LUDOVICI Germanici, seu Orientalis Franciæ Regis, pro monaste-
b rio Rhinaugiensi data an. 870. ubi legimus (b): *Fratres licentiam habeant secundum Regulam* S. BENEDICTI *Abbatem eligendi, quamdiu possit inter se inveniri, at si non posse contingat, invicem reperiri*, QUOD ABSIT, *a quacunque monachicæ professionis congregatione sibi placeat, salva electione sui, sibi rectorem eligant.* Similia legimus ibidem in charta, hanc præcedenti, eiusdem Regis: *non aliunde Abbas constituatur, nisi*, QUOD ABSIT, *nullus idoneus inveniatur.* Quod si vero hæc nimis antiqua videntur, producimus verba HENRICI V. Rom. Imp. in Diplomate pro libertate ipsius Murensis asceterii anno 1114. id est, uno & triginta duntaxat annis, antequam CHUNO Abbatiam illam iniret, dato, quæ apud P.
c HERRGOTTUM sic sonant (c): *Et hoc etiam constituit, ut quandocunque Patre Spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum Regulam* S. BENEDICTI *intra vel undecunque*, SI OPUS FUERIT, *non solum eligendi, sed & constituendi.* Hæc quidem tam clara non sunt, ac priora, docent tamen non obscure, quod volumus; nam *si opus fuerit*, in-

quit;

(a) Dedimus huic monasterio quinque admodum Abbates. Beatum LUITFRIDUM ab an. 1085. ad 1096. RUPERTUM ab an. 1096. ad 1108. Is prius Præpositi munus ibidem obierat. CHUNONEM, de quo hic agimus. RUDOLFUM de *Bossickon* ab anno 1303. ad 1309. obiitque, abdicato Præsulatu, anno primum 1333. in monasterio S. BLASII. Denique & circa annum 1333. LUTOLDUM seu LEUTOLDUM, quem Scriptores Murenses hactenus ignorarunt: produnt tamen monumenta authentica Bibliothecæ nostræ MS. testante supra laudato P. *Stanislao* WÜLBERZ.

(b) Gallia Christiana tom. V. col. 510. num. II.

(c) Geneal. Dipl. tom. II. p. 132. Refertur quoque a CONRADO de S. BLASIO pag. 32.

quit; unde non ſine urgente neceſſitate fieri conſueviſſe, colligimus. Clarius porro, atque in rem noſtram opportunius, loquitur HENRICUS V. in pancharta pro monaſterio Augienſi apud eundem p. 104. *Eo tempore, quo Divina vocatione Abbates de hac vita migrant, quamdiu monachi inter ſe invenerint idoneum, qui iuxta Regulam* S. BENEDICTI *digne præeſſe poterit, firmiſſima facultate & conſenſu Regis vel Imperatoris Abbatem eligant.* Non ergo quamdiu *idoneus ſecundum regulam* S. BENEDICTI *qui doctus ſit lege Divina, ut ſciat, de theſauro ſuo proferre nova, & vetera* in monaſteriis reperire erat, ad alia cœnobia confugere ſolebant, immo plerumque vix, ut videtur, audebant veteres. Quid multis? de eodem ac hodie luto finxit & olim præcordia TITAN, ut adeo minime dubitari queat, vix aliquando, niſi in ſumma idoneorum, ad Abbatialem dignitatem, monachorum penuria, ad externos recurrere conſueviſſe. Quæ cauſſa, cum etiam tum, cum CHUNO ſeu CONRADUS noſter *Muros* poſtulatus eſt, obverſata fuerit, ſatis liquet, etiam ibidem ſimilem fuiſſe inopiam.

XII. Eodem accedit, quod a novo Abbate cum diſciplina, tum res litteraria reſtituta fuerit. Verba enim non ſemel laudati KOPPII hæc ſunt: *Diſciplinæ zelum deinde ſi ſpectes, ſuſpicies. Regulam ut ad amuſſim ſervarent ſui, omnium Regula factus. Virtutes cum doceret, edidit, cum ederet, docuit*, & nonnullis interiectis, in fine: *Finit interea regimen, non gloriam Chuno, cum exules antea muſas ad Muros Apollo revocaſſet, ne deeſſet, qui famam Chunonis caneret.* Hæc ſtilo lapidari, nec abhorrent ſubiectæ notæ: *Poſt reſtaurata litterarum ſtudia, quondam hic floridiſſima, ſed hactenus nonnihil remiſſa, circa annum 1166. Chuno reſignaſſe Abbatiam legitur* (a). Idem dicendum de diſciplina, ſeu vita monaſtica, de qua Actuarius expreſſe conqueritur, quod vix hucusque ſervata fuerit, ut paullo ante in fine num. VI. pag. 106. audivimus. Qui ergo Virum tunc non habuerunt, gerendo pedo paſtorali aptum, quique Muſarum reſtauratore, ac reſtitutore vitæ monaſticæ, opus habue-

Quarum utramque CONRADUS noſter reſtituit;

(a) pag. 26. ſeqq.

buerunt Murenses, iidem & Scriptorem, ac talem quidem, qui pro eo, quod vixit, tempore, inter luculentissimos, præstantissimosque merito suo (nam eum mendosæ Genealogiæ, Actis præfixæ, Auctorem haud esse, supra demonstravimus) adnumerandus est, vix ac ne vix quidem habuerint. Etenim id genus viri, Scriptores puta, ac præsertim Historici, etiam ibi, ubi Musis suus constat honos, rariores sunt aves, quanto ergo minus reperiundi, ubi *exulant*, ut dicit Cl. Koppius, & ut contemptæ, magnam partem defecisse dignoscuntur? ita quidem, ut restauratore, seu restitutore indiguerint?

Qui magnus rei litterariæ stator,

XIII. Ad hæc cultorem Musarum audire mihi videor in Actuario nostro, cum pag. 48. de utilitate rei litterariæ ita proloquitur: *Sunt adhuc hic opuscula librorum satis utilia, quæ oportet servare, & meliorare, & non destruere; quia nos non potuimus ea hic sigillatim describere, libros autem oportet semper describere, & augere & meliorare, & ornare & annotare cum istis, quia vita omnium spiritualium sine libris nihil est.* Digna plane & Abbate & litterarum statore sententia: alia contra audiebatur cantilena sub prædecessore eius Ronzelino, qui etsi Abbas omnino laudabilis fuerit, vitam tamen monasticam sine libris utcunque subsistere posse, haud dubie existimavit; utpote qui rem litterariam non ita curæ & cordi habuit, ut ne, ipso regnante, remissius studerent monachi: tantum abest, ut hæc talia (quod obiter addo) ab eo tanquam ab Auctore libri, proferri potuerint. Neque enim studia facile negligit, qui ita loquitur, nec ita loquitur, qui Musas ipse non colit & veneratur; certe *vitam omnium spiritualium sine libris nihil esse*, nullo ex alio fine dixit Conradus, quam ut monachos, sibi commissos, ad vacandum iis animaret, sicque studia collapsa restitueret, quod & egregie successisse, ipsi, ut audivimus, deprædicant Murenses.

Operumque aliorum Auctor scriptioni par fuit,

XIV. Hisce adiici debet: Scriptorem nostrum, Chunonem de S. Blasio, alia etiam elucubrasse opuscula, ut adeo, quam difficile est ad credendum, eo tempore, quo, & litteræ, & disciplina, restauratore opus habuerunt, Scrip-

torem

torem quemdam, tamque nobilem vixiſſe, atque educatum fuiſſe in monaſterio Murenſi: tam facile contra ſit ad credendum, immo ad decernendum: opus ab eo fuiſſe concinnatum, qui illi aliunde par fuerat, ac eo in monaſterio educatus, ubi tum ſcientiæ, regulari diſciplinæ iunctæ, mirum in modum floruerunt (a). Supereſt enim ex ipſius ſcriptis adhuc chronicon Bürglenſe, monaſterioli, quondam in ſuperiori Brisgovia, nunc ditionis Badeno-Durlacenſis, ſiti, atque in Præpoſituram commutati. Autographum adhuc ſervamus, quod in calce huius edimus apologiæ. In capite quidem & ante finem mancum eſt, at ſine magno diſpendio, cum & apographum eius pariter habeamus, opera GEORGII Abbatis S. BLASII anno 1494. per manus *Udalrici* BUCK, Parochi in Holzheim, Canonici & Scholaſtici Eccleſiæ Tigurinæ, procuratum, qui & de autographo hæc habet: *Collationatum ad originale ſuum valde antiquum, & noſtro tempore ſecundum ſui modum & formam mirabile viſu, vetuſtiſſimorum namque more & litteris exaratum & formatum, latitudine ſua vix unam palmam continens, in longitudine ſex fere cubitorum uſque protenditur, pergameno ligamine foliolis undique colligatis, in ſeque ipſis orbiculariter adeo ſtricte revolutis, ut pugno virili claudi ſane poſſit.* Scriptum eſt autem hoc chronicon non minus luculenter & eleganter, atque ipſa Acta Murenſia, niſi quod illic ſtilo aliquantum vivaciori utatur CONRADUS, quod non mi-

(a) Monaſterium enim S. BLASII in nigra ſilva ſeculo XII. ſanctitatis & doctrinæ laude apprime floruit, ut id luculenter teſtatur BERTHOLDUS Conſtantienſis apud URSTIIS. Script. Rer. Germ. p. 353. nec non & monumenta noſtra domeſtica, unde inter cetera diſcimus: eo tempore tres monachos San-Blaſianos ad Epiſcopatus dignitatem, ac quatuor omnino & viginti ad alienas Abbatias, cum variis monachorum coloniis, poſtulatos fuiſſe. His addi poteſt non ſpernendus virorum, vitæ innocentia & morum ſanctitate conſpicuorum, numerus, in ipſo monaſterio degentium, nec non & Scriptorum aliquot, quorum tamen fœtus maxima ex parte perierunt. Eodem ſeculo præfuit in cœnobio S. BLASII WERNERUS *de Küſſenberg*, cuius *deflorationes*, *ſeu excerptiones de melliflua diverſorum Patrum - - - doctrina* extant, Baſileæ anno 1494. typis publicis in fol. per FROBENIUM, ſi recte memini, exſcriptæ. Videatur de eo, ſi lubet, TRITHEMIUS Chron. Hirſaug. tom. I. p. 502. quanquam in eo lapſus, quod WERNERUM ad annum 1201. collocaverit, cum anno 1170. poſt diem quintum & viceſimum Ianuar. quo anteceſſor eius obiit, Abbas electus, elapſis annis quatuor, die ſcilicet XXVII. Maii an. 1174. ad plures abierit.

mirum; cum chronicon Bürglense post abdicationem Abbatiæ
a Murensis (a) scripserit, adeoque ætate multo provectior:
quanquam & hic tam languidus non sit, ut ne carmina ali-
b quot condiderit ipse (b) aut fortassis ab alio facta, lucubra-
tioni suæ inseruerit. Tota historia haud secus, atque Acta
cœnobii Murensis, uno continuo filo conscripta est; nam
capitum distinctio, multis respersa barbarismis, ab exscripto-
re primum, dicto anno 1494. adiecta fuit. Præterea eadem
fere œconomia operis, eodemque ordine usus est, ut in Ac-
tis Murensibus. Primum enim originem monasterioli, atque
fundatores recenset, enarratis quoque eorundem; quum exi-
mia morum honestate fulserint, gestis. Succedunt res spiri-
tuales, ut dedicatio Ecclesiæ, introductio monachorum & si-
milia. Denique prædiorum, ac latifundiorum, quæ, aut do-
nationis, aut emptionis titulo, ad cœnobium pervenerunt,
numerum accurate init, ut videre est capite ultimo. Quod
argumentum etiam in Actis Murensibus extremam conficit
partem. Fidei historicæ robur additurus, vel ad Instrumen-
c ta provocat (c), vel chartas ipsas, aut eorundem saltem frag-
d menta producit (d), quod & in sæpe laudatis Actis Murensi-
bus observavit, ut alibi vidimus. Plura L. B. colliget ex
Scriptore ipso, quem eum in finem, &, ut ne fucum face-
re videamur, edimus. Nullus porro dubito, quin & alia
plura ingenii sui monumenta reliquerit CONRADUS noster, at
temporum iniquitate ac iterata, heu! fatali cœnobii nostri
conflagratione, nobis subtracta atque pessumdata. Talis ergo
ac tantus cum esset CONRADUS, nemo non videt, argumen-
tum isthoc ex congruentia deductum, non parum valere,
adeo-

(a) Nam WERNHERI de *Kaltenbach* iunioris, monachi S. BLASII, fama sanctitatis conspicui, prolixe meminit, eiusque obitum, qui anno 1159. evenit, refert; quare post abdicationem scripsisse oportet.

(b) Vid. cap. XIV. & XV.

(c) Ut cap. X. in cuius calce hæc legimus: *Si quis autem causa huius diffinitionem & pacis confirmationem plenius volueris scire, privilegium, quod prædictus Pontifex* OVDALRICUS *in recordationem & roborationem huius instituti iussit conscribi, studeat legere* &c. Eodem modo egit CONRADUS noster in Actis Murensibus pag. 23. scribens: *Quæ charta, quia adhuc in promptu est, non est necesse, hic eam scribere, qui velit, accipiat & legat.*

(d) Vid. cap. XVI. ibi: *Igitur notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus* &c. & cap. ult. ibi: *Omnibus manifestum & cognitum sit* &c.

adeoque & ceteris, aliunde convincentibus, adiunctum, plenam facere fidem, adeo, ut pauca forte extent veterum opera, ΑΝΩΝΥΜΕΙ scripta, quæ tanto rationum pondere, atque robore, auctori suo vero ac genuino asserta fuisse videantur.

Solvuntur obiectiones: ac primo non obest, Auctorem San-Blasianis videri infensum.

XV. Dices tamen: San-Blasianos ab Actuario alicubi reprehendi (a), quasi prædium quoddam, titulo non admodum iusto, tenerent, id quod a monacho, inibi educato & enutrito, haud temere fieri potuisse videatur. Sed facilis est solutio; quod enim ibi obiicit San-Blasianis, eiusdem postulat & Murenses (b) alio in loco: quemadmodum a contrario San-Blasianos eximie laudat alibi, vituperat Murenses (c). Nihil ergo ex hoc consequitur, nisi dicere velimus, quod a veritate adhuc magis abhorret: Actuarium nec San-Blasianum, nec Murensem fuisse; quandoquidem utrumque cœnobium eodem habet loco. Quin etiam nova inde exsurgit coniectura: Auctorem fuisse Abbatem; nemo enim privatus talia sive de Murensibus, sive de San-Blasianis scripsisse censendus est; cum utrinque res sine offensionis periculo fieri nequisset. At Abbas, usus potestate, quod aiunt, auctoritativa, facile scripsit, quod tum, lite forte de utroque prædio pendente, sibi visum fuerat, non quod res ipsa iam liquido constaret: nec animo iniquo, aut nocendi voluntate. Lubentius porro ipsi fatemur, aut propalamus nostra errata, quam cum ab aliis obiecta feramus.

a

b

c

Nec dici potest, eundem sub RONZELINO Abbate Muris præsentem adfuisse.

XVI. Dices præterea: Ex contextu non minus intelligi, Auctorem sub RONZELINO Abbate monachi vitam, quam postea egisse Abbatem; id enim Scriptorem ipsum satis luculenter testari per verba, plus simplici vice excitata: *continentur autem in ipso altari --- sicut ego ipse vidi & audivi* &c. & alibi de prædio quodam, ab ADELBERTO II. monasterio Murensi in pignus dato, agens, inter cetera ait: *Nos autem alacres vendidimus alia bona prædia, & ob hanc necessitatem acce-*

(a) pag. 73.
(b) pag. 78.
(c) pag. 21.

cepimus ad conversionem duas sorores, scilicet Trutilam & Guotam, ut aquireremus argentum anno Dominicæ Incarnationis MCXXVIII. *sub Abbate Roezelino.* Ex his quippe duobus locis Adversarius cum PEIRESKIO cap. VIII. contendit, Auctorem sub eodem RONZELINO Abbate in *Muris* præsentem fuisse, atque iam tum monachum induisse. Verum ibidem iam ostendimus, qua ratione priora illa verba capienda sint. Si enim tum temporis in *Muris* iam vixisset, atque solemnitati, eodem loco a se relatæ, adfuisset, superfluum sane fuerat dicere: ET AUDIVI. Actiones enim solemnes, ubi tuismet videris oculis, easdem transcripturus posteris, supervacaneum est, quoad fidem facias, adiicere, *te audivisse* a narrantibus, rem istam peractam fuisse, aut partem illius sic aut sic se habere. Quare tenendum est, quod ad citatum caput demonstravimus, Auctorem reliquias, in eo altari compositas *vidisse* postmodum, atque *audivisse* etiam, qua occasione & sub quo Abbate isthuc comparatæ fuerint. Eodem loco ex ipso Auctore nostro ostendimus, similes loquendi modos plurium numero, ipsi admodum familiarem esse; nec tamen consectarium inde fieri, ut ipse rebus a se narratis interfuerit; quippe cum plura eiusmodi loca extent alia, facta quædam referentia, quibus Auctorem haudquaquam interfuisse, in comperto habemus. Videatur omnino caput nostrum nonum.

Quo licet etiam admisso, nobis nihil derogatur.

XVII. Verum ponamus, Auctorem nostrum, & dictam solemnitatem oculis usurpasse, &, cum prædium ADELBERTI in pignus acceptum fuit, interfuisse etiam: hoc utique fieri potuit, quin tum monachum Murensem egerit. Ut enim magnum olim ac frequens commercium erat inter San-Blasianos, ut Acta testantur, & Murenses: necesse erat, ut & frequenter ultro citroque commearent. Cumque illi plures his dederint Abbates, haud dubie & monachi subinde privati postulati fuerint, qui in monasterio hoc vel illud muneris, ut Prioris, Præpositi, Oeconomi &c. gererent. Certe cum anno MLXXXII. monasterio Murensi constitutiones Fructuarienses inferrent San-Blasiani, eidemque Priorem RUPERTUM, monachum S. BLASII, iussu & consensu WERNHARII Comitis præponerent, solus ille haud advenit, sed cum eo OPRECHT,

HEIN-

HEINRAD & RIFRID, ut CONRADUS noster expresse memorat (a); quin immo & fratres Conversos, quos vocamus, de monasterio S. BLASII illuc vocatos fuisse, hisce verbis innuere videtur (b): *Quod autem hic sunt fratres, qui vocantur exteriores, de cella* S. BLASII *huc venit, ubi primum talis vita laicorum oriri cœpit.* Nullum ergo subest inconveniens, si CONRADUM nostrum nonnunquam ad *Muros* venisse, antequam ibidem Abbas crearetur, aut etiam subinde longiori tempore ibidem commoratum, aut denique muneri cuidam deputatum fuisse dicamus, cum & aliunde vix contingat, ut ignotus aut incognitus quispiam ab integra communitate ad Abbatiam vocetur, aut taliter postulatus, munus facile suscipiat. Hinc & multa ibi videre, & forte ipse gerere facile potuit.

Novum argumentum ex alia obiectione.

XVIII. Dices adhuc: CHUNONIS Abbatis mentionem fieri primum in appendice, unde consequens fiat, Acta præcedentia ante ipsius tempora conscripta fuisse. At ego ex hisce multo magis contrarium infero. Cum enim CHUNO noster clavum Murensem uno & viginti annis tenuerit, credibile vix est, ut duo tantum, aut ad summum tria negotia, memoratu digna, exequutus fuerit; maxime quia tum temporis cum donationes, tum emptiones penes monasteria multo frequentiores essent. Augmentum quoque census Ecclesiastici Abbatibus tum cordi fuisse, patet ex ipso Actuario, ubi p. 44. ait: *Quia anteriores nostri* (id est antecessores Abbates, cum privati monachi id, ad quod hic illos animat, facere haud queant) *semper studuerunt potius augmentare ecclesiasticum censum, quam minuere, ita & nos, & qui post nos venerunt* (venerint) *oportet augere.* Atqui tria duntaxat, aut, si mavis, unicum de eo notatur negotium: conventio quædam cum Episcopo Constantiensi HERMANNO, cuius rei Instrumentum ibidem affertur, & ideo eiusdem nomen ibi legitur, sicut & HERMANNI. Reliquas duas sectiones, ab eodem pariter adscriptas fuisse, inde coniicio, quod in fine successores suos adhortetur, ut exemplo sui, quæcunque Eccle-

 siæ

(a) pag. 22.
(b) pag. 54.

siæ illi novæ augmentationes accedant, diligenter adnotare pergant. *Nunc ergo sicut nos*, inquit, *substantiam istius sanctæ ecclesiæ, quæ vel ante nos, vel nostris temporibus huc collata est, descripsimus, sic faciant & illi, qui post nos veniant.* Quod hic rogat noster fieri a successoribus, id sane nonnulli diligenter præstiterunt; ut ex loco superius adducto (a), planum fit, ex quo iam & P. HERRGOTTUS, Auctorem Abbatem fuisse arguerat. Codicem porro iugiter in Abbatum manibus versatum fuisse, colligimus etiam exinde, quod confirmante Adversario refert P. HERRGOTTUS Proleg. III. §. III. *codicem nimirum hunc, de quo nobis sermo est, diu latuisse, ipsis quoque monachis ignotum, tandem vero in cubili Reverendissimi D. Abbatis, dum ædes monasterii restaurabant, inter parietem & coassationem fortuito casu codicem, qui ibidem absconditus erat, in terram prolapsum.* Qui ergo alios ad supplementa facienda multoties (nam id in unaquaque fere clausula agit) commonefacit, is haud dubie primus fuerit, qui pro re nata observaverit idem, sicut & eum observasse ex prima statim supplementi sectione conspicimus, cumque ut postulatus Abbas prodesse cupiens, proventuum rationes, ac multo magis monasterii origines ac emolumenta spiritualia conscribere haud distulisse videatur (utpote cum initia fervere soleant) mirum non est, pauca aliqua ipsi postea enata fuisse supplementa. Dixi tres priores ad summum sectiones ad ipsum pertinere; quæ enim sequuntur de CHUONRADO Cellerario, multo inferiora sunt, ut alibi vidimus.

Atque hæc quidem de vero & sincero Actorum Murensium Auctore, quem nobis dudum ignotum, & iamiam vindicatum atque restitutum esse, in sinum gaudemus: Adversario præterea gratias habentes non modicas, quod sua aggressione id effecerit, ut nos pro re nata Auctoris illius res diligentius ennucleantes, dignumque patella operculum invenientes, historiam litterario-San-Blasianam insigni prorsus accessione locupletatam videamus.

CA-

(a) Hoc cap. pag. 104. num. V.

CAPUT XIII.

Ventilatur paragraphus P. HERRGOTTI undecimus, quo ſchema Genealogiæ, Actis Murenſibus præfixæ, examinare parat.

I. HActenus ea fere tractavimus, quæ Auctorem cum Actorum Murenſium, tum Genealogiæ, iisdem præfixæ, nec non & codicem propius attingunt: nunc deducente nos Adverſario, ac P. HERRGOTTO præeunte, ad ipſum ſchema, quo de præcipue agi, alias innuimus, examinandum accedimus. Quanquam autem nihil minus in hoc paragrapho egerit P. HERRGOTTUS, quam ut Genealogum Murenſem notaret, aut eundem nova quadam obiectione impeteret, nihilo tamen ſecius cenſuram Adverſarii neque etiam hic evaſit; tantum nihil ut ſanum, nihil ut verum in toto Prolegomeno eius III. videretur. Dicenda.

II. En amice Lector P. HERRGOTTI verba, quæ hic præter morem integra adducam, ut ea de re iudicium facilius ferri queat: „ Sed age ipſum ſchema genealogicum, tam „ operoſe ab antiquitate ſibi commendationem expetens, di- „ ligentius nonnihil inſpiciamus, videamusque, an tantæ fi- „ dei, integritatisque illud ſit, ut ei res tanti, quanti eſt Ge- „ nealogiam Auguſtæ gentis Habsburgicæ condere, tuto in- „ niti & acquieſcere poſſit? Incipit illud propaginem Habs- „ burgicam ab ITA Comitiſſa DE HABSBURG, & per octo ge- „ nerationes continuas producit filum, ac deſinit in ALBER- „ TO V. & HARTMANNO, natis ALBERTI IV. & in GOTT- „ FRIDO & WERNHERO, filiis RUDOLFI, ſatoris lineæ Lauf- „ fenburgicæ. Mortua vero eſt ITA, filia FRIDERICI Ducis „ Lotharingici & Barrenſis, quæ RADEBOTONI Comiti nupta „ erat, GUILLIMANNO & ECCARDO teſtibus, anno MXXVI. „ Itaque ſchematis huius Auctor origines Habsburgenſes or- „ ditur circa initium ſeculi XI. In octava vero atque ultima „ generatione collocat ALBERTUM V. & HARTMANNUM, fratres

De methodo Genealogi ſententia P. H. generatim. Proleg. III. §. XI.

„ tres RUDOLPHI I. Rom. Regis, ex patre ALBERTO IV. proge-
„ nitos, de quibus chartæ noſtræ ab anno MCCXLII. uſque
„ ad annum MCCLX. mentionem ingerunt. In altera linea
„ Lauffenburgo-Habsburgica pervenit ad filios RUDOLPHI,
„ GOTTFRIDUM & WERNHERUM: quorum primus e vivis
„ exceſſit VI. Id. Iulii MCCLXXV. Continuat igitur ſeriem
„ genealogicam ab exordio ſeculi XI. ad medium circiter ſe-
„ culum XIII. Ex quo ipſius quoque Scriptoris ætas am-
„ plius conſtat, & ea, quæ hac in parte a nobis ſuperius aſ-
„ ſeruntur, magis, magisque confirmantur.

Immerito culpata ab Adverſario;

III. Hucuſque ſectio P. HERRGOTTI undecima, quæ etſi nihilo plus agat, quam ut methodum, abs Genealogo obſervatam, indicet & exponat, non tamen effugit acriorem Adverſarii cenſuram, idque ideo tantum, quod, de ætate Genealogi obiter ac revera iam aliud agens, in fine paragraphi denuo aliquid addiderit. Hoc enim non ferens Adverſarius, *Commendationem Anonymi Murenſis*, inquit, *ab antiquitate P.* HERRGOTTUS *adeo ſuſtinere non poteſt, ut hanc ipſi operoſius conetur adimere, quam ille expetere debeat. Ferendum id equidem, iuſtaque defenſionis titulo excuſandum eſſet, ſi Clar. P. Genealogiam ſuam ab antiquitate Scriptoris noſtri forte ſentiret impugnari, ab ætate autem recentiori præſidium exſpectaret. Illud timere non poteſt, hoc recuſat.*

pag. 74.

Cum præter illius errores nihil reprehenſum,

IV. Duo ergo hic regerit Adverſarius, primum: antiquitatem Genealogi Murenſis P. HERRGOTTO velut inviſam eſſe; alterum: id ipſum fieri immerito. Fallitur utrinque; nam eo ipſo, quod argumentum tractet Genealogus, P. HERRGOTTO alias valde opportunum, coniicere debuerat Adverſarius, Genealogi ætatem ab ipſo non ideo deprimi, quod illam ferre nequeat, ſed quod revera recentior ſit, quam cum nonnulli falſo ſunt arbitrati, ut nos quidem capite undecimo contra inanem rationem, ex prætenſa ſtili diverſitate deductam, oſtendimus. Quis enim Genealogiam tantorum Principum contexturus, iis non utatur, quæ e re ſua eſſe conſpexerit? Verum enimvero num errores, ab eo commiſſos, diſſimularet, ut alii, poſt ipſum venturi Scriptores, eos-

dem

dem primum detegerent, atque ædificium ipſius, infirmo conſtare talo, dicerent? adeoque elevarent auctoritatem tanti operis? Revera petit hic a P. Herrgotto Adverſarius, quod ipſe ſe facturum, negaret. Tanti pœnitere non emit P. Herrgottus.

V. Non minus autem iniuſte exigit ab illo Adverſarius, ut, talis cum ſit Genealogus, tamque mendoſus, eundem *ad rem tanti, quanta eſt, genealogiam Auguſtæ Gentis Habsburgicæ condere, ex ſe ſolo* idoneum atque aptum declaret, id quod Adverſarius hiſce verbis magis innuit, dicens: *Prodit nempe hoc loco haud obſcure, omnia, quæ hactenus contra ætatem dicti Scriptoris adduxerat, eo iam collimaſſe, ut hunc veluti minorennem, atque adeo teſtimonio, tantæ genealogiæ dicendo, imparem declaret.* Impar utique eſt tanto dicendo teſtimonio, qui falſitatis ac negligentiæ, oſcitantiæque, non ſemel convictus, fidem ſuam proſtituit. At exinde non conſequitur, ut homo omnino contemnendus, penitusque abiiciendus videatur; quippe qui illud haud dubie ex ignorantia potius, quam data opera, atque mala fide, animoque malo, fecit; id tantum iure meritoque nobis dari poſcimus, illum *ex ſe ſolo* non ſufficere, ſed tum duntaxat vim aliquam, atque probandi virtutem habere, dum quis ſit, qui eidem laboranti, ope diplomatum atque monumentorum coævorum, authenticorumque, ſubvenerit; id quod cum P. Herrgottus, conquiſitis undique Inſtrumentis authenticis, egregie præſtiterit, gratiam potius initurum ſperaſſemus, quam publicam reprehenſionem; nam *refert* certe, *quo fonte bibatur*, & cordati Scriptoris eſt, edicere, quos & quales teſtes afferat. Verum hoc ipſum reſponſionis argumentum erit libri noſtri II. quo Adverſarium unacum Lectore remittere liceat.

Quin eidem laboranti ſubventum fuerit. pag. 75.

VI. Adducit deinde Adverſarius ipſum ſchema genealogicum, quod etſi ad caput ſequens potius pertineat, nos tamen & ipſi hic loci, quod maius nobis ſuppetat ſpatium, adſcribemus, idque maioris claritatis gratia; cum per ſequentia capita identidem recurrat: tum vero maiori etiam titulo: cum illud in calce, ut fecit Adverſarius, edituri haud ſimus.

Adſcribitur ſchema Genealogi Mur. integrum.

Damus autem illud ſecundum editionem Adverſarii, exceptis duntaxat erroribus, ope ſupra laudati ſpeciminis, cura P. Herrgotti ære inciſi, expungendis. Sic vero habet:

„ Iſta eſt genealogia noſtrorum principum. Theodricus Dux „ Lotharingorum&Chouno Comes de Rinfelden fratres fuerunt; „ horum ſoror fuit Ita Comitiſſa de Habspurg reperatrix hu- „ ius Murenſis cenobii. Genuit autem Theodricus Gerhar- „ dum Ducem. Ille vero genuit Gerhardum de Egisheim „ patrem Uodelrici & Stephani. Chouno Comes de Rinfel- „ den genuit Ruodolſum Regem. Et ille genuit Agnetem „ matrem Cuonradi Ducis. Ita de Habspurg genuit Wern- „ herum Comitem & Richenzam ſororem eius de Lentzburg. „ Wernherus genuit Ottonem & Itam de Tierſtein. Otto „ genuit Wernherum & Adelheidem de Huneburg. Richen- „ za de Lentzburg genuit Arnoldum, Chouno Comitem, „ Wernherum de Baden. Rudolſus genuit Hunbertum, Uo- „ dalricum, Arnoldum, Ruodolſum & ſorores eorum. Ar- „ noldus etiam de Baden filius Richenze de Lentzburg ge- „ nuit Richenzam de Chiburg. Ita de Tierſtein ſive Hom- „ berg genuit Wernherum & Ruodolſum de Habspurg. Idem „ Wernherus genuit Adelberctum, Gerdrudem de Mumpel- „ gard, Richenzam de Fierrito. Alberctus per Itam Cometiſ- „ ſam de Pfullendorf filiam ſororis Ducis Welph genuit Ruo- „ dolſum & Comitiſſam de Liningen. Ruodolſus per Agne- „ ſam filiam Goetfridi de Stauffen, quod eſt inter Worma- „ ciam & Spiream, genuit Alberctum, Ruodolſum, Wern- „ herum, Helwigam, Gerdrudem, uxores Hermanni & Lu- „ dovici fratrum Comitum de Froburg. Alberctus per Heil- „ wigam filiam Uolrici Comitis de Chiburg genuit Alberctum „ Hartmannum. Sed Ruodolſus frater dicti Albercti per fi- „ liam Luitoldi de Regenſperg genuit Goetfridum, Wernhe- „ rum, & alios quamplures.

Quod, ipſo fatente Adverſario, omnibus numeris abſolu-

VII. Hæc integra eſt Genealogia, Actis Murenſibus, a Conrado de S. Blasio conſcriptis, præfixa: in autographo ſex & viginti admodum lineis abſoluta, quæ tantos hactenus excitavit clamores. Hac autem repetita, ſubiungit aliquid Adverſarius, quod ſibi haud dubie excidiſſe nollet, quum ſic pro-

proloquitur: *Antequam singulas huius genealogiæ progenies percurramus, iuvat hic monere,* SCRIPTOREM NOSTRUM *non voluisse arborem genealogicam erigere,* OMNIBUS NUMERIS ABSOLUTAM, *seu in singulos prorsus ramos extensam.* Hoc ut confirmaret Adversarius, testimonium quoque D. Abbatis *Dominici* TSCHUDII attulit, perinde ac si sibi suffragaretur; sed a quo tantum abest, ut eidem prorsus contravenire videatur. En eius verba: *Sciendum, in genealogia hac ex professo quidem Comitum de Habsburg originem & successionem deduci, una tamen etiam aliorum quorundam (quos nempe,* ut hic recte advertit Adversarius, *contracta per fœminas cognatio commendabat) lineam Gentilitiam insinuari.* Non hæc, inquam, pro Adversario faciunt, sed revera obsunt. Abbas enim affirmat: genealogia hac successionem Comitum de Habsburg *ex professo*, seu data opera, tradi, Adversarius contra, Auctorem id facere noluisse, seu *non voluisse arborem genealogicam erigere, omnibus numeris absolutam.* Hæc e diametro sibi opposita. Cui nunc magis fidendum?

tum haud est; pag. 77.

VIII. Sed acceptamus verba Adversarii, quicum nobis præcipue res est, atque una observamus, quod capite præcedenti advertimus, eundem hic P. HERRGOTTO egregie, ut ut haud consulto, velificare; maxime cum verba sequentia adiicit: *quin sufficiebat, in ipsius etiam Habsburgicæ Genealogiæ serie unum, solumque rectæ lineæ propagatorem adnotasse.* Quid enim? si absolutam genealogiam dare noluit, qui dici potest, illum rei tantæ, *quanta est Genealogiam Habsburgicam condere* EX SE SOLO *sufficere*, nullis ut indigeat adiumentis? Sed dicet Adversarius, se utique interponere copulam disiunctivam *seu;* verum illa tum tantum potestatem disiunctivam, ut cum *Basilio* FABRO docet GESNERUS, habet, *cum bis aut sæpius repetitur.* Deinde ponamus, disiunctionem habere locum, parum conducit, & adhuc verum manet, genealogiam hanc omnibus numeris absolutam haud esse; quia & *ramos* adnotasse oportuerat; si quidem per *ramos* hic Adversarius, ut ut valde improprie, filios quoque ceteros, non solos propagatores intelligit; nam si stirpes intelligeret, non video, ut res procederet; cum Genealogo Murensi nunquam obiectum fuerit,

Atque adeo ad texendam GenealogiamHabsburg. *ex se solo* insufficiens.

 rit,

rit, immo nec obiici potuerit, illum ſtirpes omiſiſſe; quandoquidem eius ætate Domus Habsburgica in ramos ſeu ſtirpes diviſa haud fuerit, niſi in Lauffenburgicam, cuius ſatorem æque ac progeniem ſatis accurate recenſet. At *ſufficiebat* ei, *unum, ſolumque rectæ lineæ propagatorem, adnotaſſe.* Sed neque hoc ex amuſſi ac fideliter exſequutus eſt; omiſit enim GUNTRAMNUM, KANCELINUM & RADEBOTONEM, a CONRADO de S. BLASIO in limine ſui operis memoratos, quos adeo nedum legere, ſed & olfacere potuerat Genealogus iſte, ſi naſum habuiſſet. Et ſi porro Adverſario etiam concedimus, omitti potuiſſe priores duos, tertius certe omitti nec potuit, nec debuit; utpote cum genealogiam ab eius uxore, ITA, exorſus ſit. Hos quippe coniungi oportere, agnovit etiam ipſe Adverſarius, dum magnificam illam inſcriptionem, Vindiciis ſuis præmiſſam, & a nobis cap. III. laudatam, ſic inchoavit: DIIS MANIBUS RADEBOTONIS HABSBURGICI ET ITÆ LOTHARINGÆ FELICISSIMORUM PROTO-PARENTUM AUGUSTÆ DOMUS HABSBURGO-AUSTRIACÆ. Cum ergo Adverſarius RADEBOTONEM Proto-parentem ipſe agnoſcat, inſimul confitetur, male egiſſe Genealogum, qui omnium primum *rectæ lineæ propagatorem,* immo ipſum apicem, aut per ignorantiam, aut per oſcitantiam prætermiſit. Quam confeſſionem, etſi non ſponte factam, eo tamen lubentius ſuſcipimus, quod Adverſarium a veritatis tramite propius abeſſe doceat. Habet enim hoc veritas, ut, preſſa licet omni ſtudio, opprimi tamen haud queat: & ſi aliquando prorſus denudata apparere nequit, partem tamen ſui, eamque pulcherrimam, honeſtiſſimamque, conſpiciendam præbet. Quod ut porro fiat, in ſequentibus magis, magisque nobis adnitendum erit.

CAPUT XIV.

Exquiritur prima Genealogi Murenſis progenies.

Triplex P. H. ad I. Geneal. Murenſis

I. TRia ſunt, quæ circa primam ſtatim generationem animadverſione digna cenſuit P. HERRGOTTUS: primum, quod genealogiam ſuam *more alias Genealogis* in-

insueto ac vere exotico ab Ita incipiat. Deinde, quod eam *non a sanguine Lotharingico, ex quo descendit* (loquitur ex mente Genealogi) appellet, sed *Comitissam de Habsburg;* cum tamen constet, Radebotonem Comitem fuisse *in pago Cleggowe*, non *Comitem de Habsburg*, ac præterea ex chartis & Diplomatibus, quæ magno numero producit, colligere sit: *Gentem Habsburgicam nomen suum non statim a noviter constructo castro Habsburg usurpare cœpisse. Quin a morte* Radebotonis *Comitis usque ad* Adalbertum *filium* Ottonis I. (lege Wernharii II.) *Comitis, id est ab anno* mxxvii. *ad an.* mcxiv. *nullum, quantum quidem ex Instrumentis*, ab illo adductis, *colligere licuerit, familiæ huius nomen Habsburgense sibi adscivisse.* Tertio monet: Itam Genealogo huic reparatricem *huius Murensis cœnobii dici, quum adiutrix potius fundationis ac vere auctrix dicti monasterii vocanda fuisset.* progeniem animadversio. Proleg. III. §. XII.

II. Omnia hæc in transversum agunt Adversarium; ideoque reponit ad primum: „ Præterquam quod antiquitas „ legibus nostris non teneatur, genealogiam illam scriptam „ esse a monacho Murensi pro monachis Murensibus, qui „ ex ipsa Actorum serie, immediate subnexa, Itæ *Lotharingicæ* maritum Radebotonem, Gentis *Habsburgicæ* pro- „ to-parentem, sicut & huius patrem & avum, ignorare „ haud poterant. Perinde ergo fuisse, Genealogiam Habs- „ burgicam ab Ita, an Radebotone auspicari, idque con- „ gruentius adhuc factum, quod Ita primaria fundationis „ Auctrix fuisset. Frustra excusatur ab Adversario. pag. 81.

Mira admodum responsio; nam utcunque res se habeat, sive antiquitas nostris legibus teneatur, sive iisdem soluta sit, semper tamen verum manet, exoticum quid, atque apud ceteros Genealogos, etiam veteres, insuetum esse, ut quis genealogiam Principum ab uxoribus eorundem auspicetur, maritorum nominibus silentio pressis. Certe Scriptor iste, quicunque is fuerit, *Genealogiam* se *Principum* scribere professus est, scriptiunculam suam ita incipiendo: *Ista est Genealogia nostrorum Principum*, quis ergo eum non ineptire dicat, cum, loco maritorum, fœminas recenseri viderit? Perperam etiam dicitur, *congruentius id factum* ideo fuisse, quod

Ita *primaria fundationis auctrix* fuerit, cum Genealogus eandem *reparatricem* duntaxat, non *auctricem* agnoscat (a). Deinde minori adhuc cum verisimilitudine, & nescio, qua fiducia, adstruitur, Genealogiam hanc pro monachis duntaxat scriptam fuisse. Quid enim monachi, ut monachi, ex illa addiscere vel proficere potuissent? Ego certe, &, ni fallor. quisque mecum, id omne in posterorum gratiam factum fuisse dixerim, non monachorum. Notum quippe est, quantum antiquis monachis, præsertim Ordinis nostri, debeat posteritas, quod tanto studio, atque diligentia, libros vel elucubrando, vel transcribendo, eidem cum in rebus historicis, tum reliquis omnis generis scientiis, consuluerint (b). Eorum igitur vestigia terere cupiebat Genealogus Murensis, sed uti-

(a) Vid. dicta cap. XI.

(b) Ex innumeris testimoniis apud Mabillonium, aliosque rerum nostrarum Scriptores, adducere iuvat, quæ Illustr. D. de Westphalen præfat. ad tom II. *Monument. inedit. rerum Germanic.* perite iuxta ac erudite admodum in laudem monachorum disputat; quippe quod eius testimonium eo sincerius sit, quo is a partium studio remotior est.
,, Qui monachis & cœnobitis, inquit, male precari solent, eosque
,, nunc delectabilis desidiæ, nunc ignorantiæ, multiplicis aberrationis
,, vel vitii incusant; ii vel ingrati in merita, invidique in fortunam
,, cœnobitarum existunt, vel re nondum ex utroque latere perspec-
,, ta, iudicis partes sibi considerate sumunt. Præstat, æqua lance
,, causam ponderare, suumque plane cuique distribuere, nec retice-
,, re virtutes & promeritas virorum, in ecclesiis & monasteriis Pon-
,, tificiis olim agentium, laudes & operas, quarum fructus hodie-
,, que percipiuntur, & perennabunt. Digna omnino elogio est sac-
,, rorum collegiorum, antistitum & monachorum auspicatissima cura,
,, quam in describendis vetustis codicibus, in consignandis & custo-
,, diendis rerum gestarum Germaniæ annalibus pertinaciter adeo de-
,, fixerunt, ut, quicquid fere cod cum anecdotorum, tabularum, bul-
,, larum, privilegiorum, epistolarum, donationum, annaliumque ex
,, ævo medio ad nostram ætatem, memoriamque, derivatum fuerit,
,, id tantum non omne acceptum referamus beneficio sacrorum col-
,, legiorum, assiduisque curis cœnobitarum. Notissima sunt nomina
,, Abbatum, Episcoporum & monachorum, a quibus, haud flocci
,, pendenda hereditate, accepimus rerum gestarum præsidia, iisque
,, rebus turbatis Ariadnes auxilia, in obscuris perspicuitatis, verique
,, in dissensu ordinem & rationes. Laudabimus saltim in præsenti
,, cœnobitarum adhibitam in servandis omnis ævi diplomatibus indus-
,, triam immortalem, ita, ut monasteria merito dixeris numina om-
,, nis rei litterariæ & historicæ tutelaria, monumentorumque rerum,
,, cum sacrarum tum civilium, cum privatarum tum publicarum,
,, viva

utinam tam feliciter, quam laudabiliter; quippe, qui per oscitantiam prætermisit, quod maxime dicendum fuerat, nomen videlicet Radebotonis, quod ex ipso Actuario addiscere poterat, si eundem legisset. Neque enim audiendus est Adversarius, cum tam Radebotonem, quam eius patrem & avum, sine culpa præteriri potuisse contendit ex eo, quod monachi Murenses, pro quibus id scriptum fuerit, eosdem ex subsequenti Actorum serie rescire potuerint; hoc enimvero gratis asseritur. Si enim illos impune negligere potuit, cur non etiam ceteros, de quibus in iisdem Actis similiter atque uberior etiam mentio fit, puta Wernharios, Adelbertos, reliquos? Valeat igitur hæc Adversarii hariolatio.

III. Maioris momenti est, quod is contra alterum huius sectionis membrum affert, ubi scilicet Radebotonem titulo *Comitis de Habsburg* nunquam usum fuisse, atque etiam constare asserit P. Herrgottus, ante annum MCXIV. nullum, *quantum quidem* (quod bene notandum) *ex Instrumentis colligere licuerit*, nomen Habsburgicum sibi adscivisse. *Siquidem* Otto I. (filius Radebotonis) *in charta anni* MXXV. 15. Iulii *non Comes Habsburgi*, *sed Comes in pago Suntgowe*, *scribatur*, quemadmodum & Radebotonem ipsum *Comitem in pago Cleggowe* audiisse, ante observaverat. Etenim tam multa hic, tamque varia carpenda invenit Adversarius, ut rerum exitum invenire difficile sit. Ante omnia autem prævie animadverto, me comprehendere haudquaquam posse, cur Adversarius hæc impugnanda sibi putaverit; quandoquidem nec clientem suum, Genealogum Murensem, nec Actuarium, Conradum iam nostrum de S. Blasio, ullo modo impetunt. Quod enim a Genealogo Murensi hic fieri dixit, quod nomen Habsburgicum coniugi Radebotonis inderet, id tantum non iisdem verbis, etiam in diplomatibus posterioris ævi fieri, asseverat. *Ceterum & ipse* Wern- HA-

Qui & in falso supposito versatur. loc. cit.

loc. cit.

„ viva conditoria. Quæso quis est, quem fugiant quantivis pretii „ cimelia diplomatica, e scriniis & penetralibus sacrorum collegiorum ab Auberto Miræo, Christoph. Besoldo, Meichelbecio, „ d'Achery, Mabillonio, Martene, Durando, Pezio, & novo „ primæ magnitudinis sidere Ordinis Benedictini Marquardo Herrgotto feliciter producta? &c.

HARIUS, inquit, *Strasburgensis Episcopus, supra nominatus, Comes de Habsburg dicitur, in chartis posterioris ævi.* Quemadmodum ergo nemo dicet, P. HERRGOTTUM per id chartas & instrumenta culpare, aut erroris insimulare voluisse: ita & id ipsum de monito, ad Genealogum nostrum dato, tenendum est. Scilicet occupare hic Lectorem, atque Scriptorem Murensem explicare voluit, ne quis putaret, nomen *Habsburgicum* tempore RADEBOTONIS iam invaluisse, atque a familia usurpatum fuisse; contra quod sequenti libro primo docere instituebat.

Accedit his omnibus, quod P. HERRGOTTUS non plus hic statuerit, quam quod subministrarunt instrumenta, a se collecta. *Quin immo a morte* RADEBOTONIS, inquit, *Comitis, usque ad --- annum* MCXIV. *nullus, quantum ex* INSTRUMENTIS NOSTRIS COLLIGERE LICUIT, *familiæ huius nomen Habsburgense sibi adsciverat.* Provocavit igitur ad contenta instrumentorum, a se collectorum, quæ cum nullum hoc nomine ante dictum annum MCXIV. ut Genealogiam Diplomaticam ipsam inspicienti manifestum fiet, prodant: rectissime illatum fuisse id, quod illatum fuit, nemo negabit, nisi forte, qui vitilitigare, quam verum sectari, potius habuerit. Hæc Adversario prævie.

Proleg. III. §. XIII.

IV. Iam tempus est, ut eidem quoque directe obviemus, videamusque, quæ vis, quæ virtus ipsius argumentis inesse deprehendatur. Hæc eo redeunt: quod etiamsi OTTO ille, de quo diximus, nomine *Habsburgico* usus haud fuerit, potuisse tamen spatio illo, quod inter annum MXXVII. & MCXIV. intercessit, alium ex eadem gente vixisse, qui a nomine Habsburgico haud abstinuerit. *An vero hic* OTTO *solus*, ait, *nec alius tempore illo intermedio, ab anno nimirum* MXXVII. *usque ad an.* MCXIV. *vixerat? At nullum P. Herrgotto sua Instrumenta sistunt, nomine Habsburgico insignem? Hinc more suo concludit, nomen illud ante dictum annum* MCXIV. *a nullo huius familiæ fuisse usurpatum.* Pergit deinde ulterius, cumque P. HERRGOTTO concedi adhuc posse, nec ADELBERTUM illum, WERNHARII II. filium, nec RADEBOTONEM in chartis eiusdem hoc nomine Habsburgico venire, inde tamen

De origine nominis Habsburgici, quæ sit P. Herrgot. mens.

pag. 82.

pag. 83.

men minime confici, nullum ex eorum descendentibus usque ad prædictum annum tali nomine fuisse insignitum. Probare rem nititur ex verbis ipsius P. HERRGOTTI, qui loco, mox citato, ait: *ex eo vero Comites ac Proceres a provinciis ac possessionibus, quas a proavis habebant, nomina sua mutuarunt, ad exemplum aliorum Principum, qui aucta domi potentia munimenta & arces extruere cœperunt, ope* WERNHARII *Episcopi, Germani sui*, RADEBOTO *Comes in pago Clegowe, castrum quoque in terra sua* ALLODIALI, *id est*, IN DEM EIGEN *in Argovia exædificavit, cui nomen Habsburg indere placuit.* Doceri hinc non obscure contendit Adversarius: Proceres a propriis possessionibus nomina sua mutuasse iam ante conditum Habsburgi castrum, nec obstare, ait, quod idem P. HERRGOTTUS *immediate* post prædicta verba subiungat: *verum qui huic castro primi dominabantur*, RADEBOTO *& huius filius--- titulum Comitis de Habsburg necdum assumpserant.* At hæc cur non obstent; quandoquidem, quæ P. HERRGOTTO hac de re animo sedeat sententia, clare explicant? mirari certe denuo subit, cur Adversarius, qui P. HERRGOTTI tantum non omnia execratur, eiusdem tamen verba hic in plenam probationem, quasi omni exceptione maiorem, assumat? Meminerit, quæso, res genealogicas non paralogismis, aliisque orationum meteoris, qualia fere in pulpitis nonnullorum scholasticorum sonant, agi, sed probationibus inconcussis, firmis, pragmaticis. Nonne vero ex verbis illis subiunctis satis superque intelligere poterat, quæ sit HERRGOTTI de nomine *Habsburgico* mens? ad quid igitur eiusmodi ambagibus ac circumlocutionibus in re seria, summosque orbis Principes attingente, opus erat? Ad hæc, etiamsi seculo XI. cognomina eiusmodi (quod tamen P. HERRGOTTUS nec dixit, nec Adversarius demonstrabit unquam) apud nonnullos Principes invaluissent, num ideo consequens est, RADEBOTONEM, eiusque descendentes, idem fecisse? Denique, quando dixit P. HERRGOTTUS, *Comites ac Proceres a provinciis ac possessionibus, quas a proavis habebant, nomina sua* RADEBOTONIS ævo mutuare cœpisse, num Comites, in provincia Burgundiæ degentes, intellexisse dicendus est? an non tum temporis Imperium in plures provincias distributum fuit? Certe res hæc

in Italia, ut videtur, & ut deinceps dicam, primum exorta, pededentim etiam in Germania obtinuit, non uno ictu, seu tentamine, uti certe res novæ velut serpere, ac mores gentium lento admodum gradu introduci solent.

Illud ante initia seculi XII. exortum haud fuisse demonstratur.

V. Iam vero nomen Habsburgicum ante initia seculi XII., quod quidem docuit P. HERRGOTTUS, non invaluisse, tam certum est, quam quod certissimum. Hoc ut mecum sentire cogatur Adversarius, reducam illum per eandem viam, per quam advenit, diplomata, inquam, & chartas, ex quibus sententiam suam colligere se dixit P. HERRGOTTUS. Evolvi studio omnia, prout in tomo Genealogiæ Diplomaticæ II. a pag. 107. ad 131. habentur. Sunt unum & viginti numero Instrumenta, occurruntque in iis Comitum nomina præter propter sex & triginta, quorum unicus a bonis aviaticis, ceteri omnes ab officio, seu Comitatu, cui præerant, nomen gerunt. Nam legimus inibi vg: *sitas videlicet in Alsatia & in Comitatibus* GISILBERTI *&* WEZILONIS *Comitum*: *in Comitatu* BERTHOLDI, *& in pago Brisichgowe* : *in pago Retia Curiensi in Comitatu* MARQUARDI, & sic de ceteris, ubi ad annum usque 1114. idem stilus Curiæ, ut sic dicam, observatur, qui ante centum & amplius annos observatus fuit. Nisi quod unicus ODALRICUS Comes de *Braganica* num. CXCI. anno primum 1095. occurrat: nec tamen ullus sese prodit, qui nomen *Comitis de Habsburg* gerat. Quis ergo, qui artem Diplomaticam vel extremis duntaxat labris degustavit, non continuo cum P. HERRGOTTO concludat, cognomina Procerum a possessionibus aviaticis orta, ante initia seculi XII. iis in regionibus, atque præsertim apud Habsburgenses Comites, *quantum quidem Instrumenta* a se collecta, *produnt*, non obtinuisse; quippe quod Instrumenta, ibidem adducta, contrarium potius evincant. Quare recte ait Adversarius, P. HERRGOTTUM hic *more suo concludere*, id est, si quid iudico, ex principiis veris, genuinis & indubitatis.

Adversarii de eodem argumento hario-

VI. Quod hic porro subiungit Adversarius, tam nullo nititur fundamento, ut minime verear, quod alicui fidem aut fecerit, aut facturus sit. Asseverat enim, quod nunquam

pro-

probaturus est, concedere se, *Comites illius ævi ab aviaticis bonis sese denominasse, in negotiis, officium illud concernentibus, chartisque desuper expeditis, non item in aliis, quæ familiam, propriumque dominium spectabant*: deinde, videri, ipsum WERNHARIUM, Argentinensem Episcopum, *dictasse Anonymo Murensi cognomen, quo gentem suam distinguere oporteret*, idque his verbis, ex Episcopi testamento eductis, evincere nititur, quas in hunc finem litteris pronis, seu Italicis distinguit: *posteritate, quæ præfato castro Habesburch dominetur --- progenie, qui in eodem sit castro Habesburch --- castro Habesburch hereditario iure præsideat --- Dominorum, qui castro Habesburch præsident.* Ego vero ex hisce verbis vel ipsum Apollinem exscindere non posse crediderim: Habsburgensibus iam WERNHARII ævo cognomen a castro eiusdem nominis adhæsisse; tantum abest, ut aliquid respondendum ducam. Quod vero distinctionem illam inter *negotia*, & *res familiæ* attinet, Adversarium itidem ad prælaudata diplomata & chartas remitto; ex quibus utique satis superque patet, prædictos Comites (uno solum, qui tamen, ut vidimus, nihil obstat, excepto) nullo cognomine appellari, cum contra post dictum annum 1114. in omni prorsus commercio, sive illud *negotia*, sive *res familiares* concernat, cognominibus usi fuerint. Antiquos mores & consuetudines sine ullo veterum monumentorum fulcimento aut eruere, aut exponere, mihi quidem idem videtur, ac cribro haurire velle aquam. Documenta postulamus. Qualia equidem non parca manu suppeditavit P. HERRGOTTUS, nulla contra Adversarius.

lationes breviter explosæ. pag. 84.

VII. Verum nondum satisfit Adversario, nondum omnia, quæ nobis obstare possint, in medium adduxit. Negat enim adhuc, RADEBOTONEM nunquam alio nomine venisse, quam *Comitis Cleggoviæ*, nec OTTONEM alio, quam Comitis in *pago Suntgowe.* Nam etsi duo genuina, & indubitata diplomata eosdem sic appellitent, puta: *in pago Cleggeuve, in Comitatu vero* RADEBOTONIS *Comitis*, item: *in pago Suntgowe in Comitatu* OTTONIS, hæc tamen illi haudquaquam sufficiunt. *Utroque allegato Diplomate*, inquit, *alind non significa-*

Eiusdem de usu subscriptionum paradoxum, tam argumento negativo, pag. 86.

 fica-

ficatur, quam bona prædictis monasteriis (Rhenoviensi puta atque Einsidlensi) *donata, in Comitatibus, quos uterque ille Comes administraverat, sita fuisse.* Ego vero hanc responsionem haud expectassem; si enim ex his duobus nihilo plus sequitur, quam ut bona, prædictis monasteriis donata, in Comitatibus, quos uterque ille Comes rexerant, sita fuisse discamus, consequens sane est, ut ex aliis quoque similibus subscriptionibus parum addiscamus; hincque magnam sane partem actum est de re Diplomatica antiquiori, ac prope abest, ut Germonii, aliorumque rei Diplomaticæ hostium, subscribamus placitis. Aliter iudicant, qui, quantam vel una subscriptio historiæ lucem affundere queat, norunt. Optassem igitur, ut quod hic, licet contra duo duntaxat Instrumenta, pronuntiavit Adversarius, idoneo quodam solidasset argumento. Sed nihil horum fit, quin potius hunc in modum pergit: *Verum dato etiam, illos non nisi a dictis Comitatibus sese scripsisse, atque denominasse; an inde sequatur, neque ab aliis tales iam tum fuisse scriptos atque denominatos, quales ex se ipsis fuere? Modo audivimus, titulum* de Habsburg *eos propterea non assumpsisse, quod alibi Comitatus Pagenses regendos suscepissent. Semoto igitur huiusmodi officio, præfatum titulum assumpsissent, imo etiam, stante tali officio, assumere potuissent.* Potuisset eodem tempore cœlum hiscere, atque castrum Habsburg, terræ motu concussum, ruere; potuisset in Radebotone stemma (Supremo Numini laudes eximiæ sint, quod factum non sit) nostrorum Principum extingui, & tunc omnis nostra cessaret disputatio: nunc vero cum diplomata hunc titulum Comitibus nostris haudquaquam attribuant, sed potius more, inde a Caroli *Magni* temporibus, & ultra, recepto, Comites a munere, quod gerebant, atque a pago, cui imperitabant, denominent; cum præterea ex viginti & amplius chartis & diplomatibus, de quibus paullo ante diximus, aperte constet, cognomina a bonis aviaticis tum nondum deduci consuevisse: quis amabo! dubitare queat, aliud obtinuisse apud nostros Principes? aut qua confidentia dici potest, utroque diplomate non plus significari, quam quod ea latifundia in Comitatibus illis sita fuerint, in quibus illi ius dicebant? nonne enim præterea intelligimus, eosdem titulo

Ibid.

Habs-

Habsburgico abstinuisse; quandoquidem illo non solum non mactantur, sed & alio, more, ut iam inculcavi, inde a CAROLI *Magni* temporibus deducto, & neque tunc adhuc immutato, afficiuntur, nempe Comitum in pago *Cleggeuwe*, & in pago *Suntgouwe.* Cum contra si nomen *Habsburgense* iamiam assumpsissent, haud dubie & illud additum fuisset, quemadmodum & Comiti de Braganica adiectum fuit in diplomate HENRICI IV. anno 1095. per hæc verba: *Fabariensem Abbatiam quæ sita est in* CURVALIA *in Comitatu* ODALRICI COMITIS DE BRAGANICA (a). Haud dubie, inquam; quis enim nescit, quanta diligentia, atque accuratione, tituli honorum descripti sint ab antiquis? Aliud fit in Diplomate cit. loc. mox sequenti, ubi nomen gentilitium adhuc nullum legimus; non alia certe ex caussa, quam quod nullum adhuc assumpserit, aut assumere ausus sit RODULFUS, quo de simpliciter mentio fit: *in pago Retia in Comitatu Rodulfi.* a

VIII. Hæc Adversario sufficere possent (& cui demum chartæ & diplomata fidem non faciant?) ut vero eidem discrimen, quod inter titulos honoris, qui seculo XI. & præcedentibus in usu fuerunt, ac eos, qui seculo sequenti usui esse cœperant, luculentius exponam, & veluti ante oculos reducam, iuvat nonnullos eiusmodi titulos excerpere, hicque in medium afferre. Atque prioris generis quosdam passim hic adduximus, quibus simillimi sunt, remotiori adhuc ævo occurrentes, ut vg. in charta anni 744. *anno* III. CAROLOMANNO *Maiorem Domo sub* CHANCHURONE *Comite* (b) b *regnante* HILDRIHHO *Rege* - - - & BABONE *Comite* (c). *Sub* c WARINO *Comite* &c. aut anno 889. *in pago Turgowe, in Comitatu* ADELBERTI (d). anno 891. *in pago Argowe, in Comi-* d *tatu* CHADALOHI (e), & sic de reliquis usque ad initia seculi e XII. tum enim stilus cum titulis immutatus est, Comitesque cognomina sibi ab arcibus & castellis indentes, alio modo

Quam positivo, eversum.

(a) Geneal. Dipl. tom. II. num. CXCI. pag. 130.
(b) Ibid. num. I. pag. 2.
(c) Ibid num. II.
(d) Ibid. num. XC. pag. 54.
(e) Ibid. num. XCIV. pag. 56.

a compellati sunt, seseque compellarunt, ut vg. anno 1114. (a) *Dicatum est a* WERNHARIO *Strasburgensi Episcopo, parente scilicet* WERNHARII COMITIS DE HABSBURG. *Comes* ARNOLFUS *de Lenzburg*, ADALBERO *Comes de Froburg*, ADALBERTUS *Comes de Habsburg*, & sic de ceteris. Iam quid apertius, quid luculentius hisce chartis & diplomatibus? ubi siquidem dictum seculum in hisce provinciis omnes a Comitatibus, quibus ex officio praeerant, sub initium vero seculi XII. plerique (nam aliquos adhuc sine eiusmodi cognominibus comparere, planum fiet, laudata diplomata inspicienti) a bonis aviticis sese nominarunt, & tamen adhuc dubitat, ac de re tam clara disputat Adversarius. Nihil ergo eundem iuvat, cum de
pag. 82. P. HERRGOTTO dicit: *Acceptare possemus hanc argumentandi rationem ab eo, qui omnia in chartas publicas relata, hasque omnes ad se pervenisse incolumes nos certos redderet.* Neque enim omnibus chartis opus est, cum plures, idem testantes, adsunt, nec omnia in chartas publicas relata fuisse existimat, cui de titulis Principum, qui in iisdem chartis deesse nunquam possunt, sermo est. Quod si Adversarius hisce omnibus solide contraire aut voluisset, aut potuisset, res non tam verbis quam fundamentis, id est chartis & diplomatibus, in quibus Comitis cuiusdam nomen, adiecto titulo DE HABSBURG, legeretur, exsequenda fuisset.

Cui rei nihil obstant incertae aetatis litterae.

IX. At ego quid dico? Adducit utique Instrumentum prorsus insigne, atque Romae ab Eminentissimis Cardinalibus sub finem seculi XI. confectum, ubi WERNHARIUS *Egregius Comes* DE HABSBURG appellatur. Restat igitur Adversarii Achilles, quem nobis armatum sistit. Imprimis Diploma, quod aliunde nota Chronologica destitutum est, quodque STUMPFIUS ad annum 1089., GUILLIMANNUS & TSCHUDIUS ad annum 1091. reposuerunt, ante mortem WERNHARII an. 1096. defuncti, datum esse fuse, & operose contendit Ad-
pag. 88. seqq. versarius; contra ac P. HERRGOTTUS sensit, illud ad annum 1099. consignans. Secundo ex eodem Diplomate consectarium vult, titulum *Comitis de Habsburg* iam ante tempus, a P. HERRGOTTO definitum, in usu fuisse; quippe quod illud iam an. 1096. datum fuerit. An

(a) Ibid. num. CXCIII. pag. 131.

An citatæ litteræ, Actis Murensibus insertæ, anno 1096. an vero an. 1099. exaratæ sint, nolim contendere; quippe cuius rei tam parum interest, ut nos verborum pœniteat. Sicubi enim cetera paria sunt, tantillum temporis prorsus nihili faciendum est. Et quo tandem devenirent rei Diplomaticæ periti, si ob unam epocham restituendam, integra tria folia, quod quidem Adversarius facit, implenda forent? Ubi tamen dolendum quam maxime est, tanto labore nihilo plus effectum, quam quod forte credibilius nunc sit, dictum diploma ante obitum WERNHARII emanasse; ceterum, quo anno, incertum adhuc maneat.

X. Quare rem omnem, ut quæ aliunde nullum trahit momentum, in medio relinquo, atque Adversarium id unum adhuc volo, quo fine P. HERRGOTTO tertium obiiciat, quasi circa dictum instrumentum calculum male duxisset? existimans, quod quia in eo legitur: *absente Pontifice*, id eo defuncto, anno scilicet 1099. inter 29. Iulii & 14. Augusti esse datum? Nam haud secus, ac si sol ideo defecisset, reponit Adversarius: *Attenta itaque facti huius specie, quis dubitet,* EGHARDUM *a* WERNHARIO *Comite, adhuc inter vivos agente, Romam ablegatum esse? quem etiam ipsæ Cardinalium literæ illuc appulisse referunt,* ABSENTE *non* DEFUNCTO *Pontifice. An vero hic Roma nunquam* ABSENS *nisi* DEFUNCTUS? --- *Demum Cardinales omnibus huic rei faventibus beati Petri & Papæ (utique* VIVENTIS *non* MORTUI) *Apostolicam benedictionem mandant.* Fateor, defuncto Pontifice diploma datum coniecerat P. HERRGOTTUS, nec tamen caussam addidit; se illud ideo facere, quod ibi *absente Pontifice* legat: *In litteris Cardinalium S. R. E.* inquit, *pro immunitate Murensis cœnobii tempore sedis Romæ vacantis hoc est inter* 29. *Iulii &* 14. *Augusti* 1099. Sumitur ergo ab Adversario incertum pro certo. Sed quid, si ideo etiam factum esset? vocabulum certe *absens* pro *mortuus* tralatitie usurpavit VIRGILIUS teste CALEPINO (a): *Sequar atris ignibus absens.*

Frustranea in P. H. obiectatio.

pag. 90.

XI. Mittamus ergo hæc, & modo, qualem vim probandi litteræ illæ habeant, inspiciamus. Datæ sunt Romæ, quo

Litteræ illæ, cur vim probandi non habeant?

(a) Æneid. lib. IV. ỽ. 389.

quo die & anno, ignoratur. Certum eſt tamen, nec ipſe Adverſarius diffitetur, ſeculo undecimo labente primum datas: quo poſito, facile videmus, quam nulla eisdem virtus inſit probationis. Quæritur enim de ITA & RADEBOTONE, utrum videlicet nomen Habsburgicum unquam geſſerint, nec ne? Illa anno 1026. hic an. 1027. e vivis exceſſerunt; nec non de OTTONE, eorum filio, in flore iuventutis extincto; & Adverſarius tamen chartam adducit, anno primum 1096. vel 99. concinnatam, quæ WERNHARIUM, illius fratrem, nomine Habsburgico mactatum fuiſſe doceat. Quæ convenientia? Advertere debuerat præterea Adverſarius, litteras illas in Italia, ut diximus, fuiſſe exaratas, in *Italia* inquam, ubi tum temporis moribus propriis inhærere magis, quam ſuos ad Germanorum mores componere uſu veniebat. Et recte quidem, cum id Romæ, mundi capiti, ut eam CONRADUS noſter recte appellat, non minus, quam hodie congrueret; tum vero, quod ea tempeſtate Italia Germaniam tam quoad artes & ſcientias, quam quoad civilitatem morum longis poſt ſe relinqueret intervallis. Facile itaque contigit, ut quemadmodum in Italia cognomina Principum a bonis & poſſeſſionibus aviaticis aſſumpta, pridem invaluerant (a), ita & in Germania, quum petitionem ſuam in caſtro Habsburg datam viderent, rem aliter iam ſe habere non poſſe, vel perſuaſi fuerint Cardinales, vel WERNHARIUM humanitatis ac benevolentiæ cauſſa ſic appellaverint, vel certe WERNHARIUS ipſe erga Cardinales maioris tum auctoritatis conciliandæ gratia, ita ſeſe ſubſcripſerit. Quidquid ſit, chartas, ab Italis in Italia confectas, tot tantisque Germanicis, ad quas ſolum provocandum putavit P. HERRGOTTUS, derogare haud debere exiſtimaverim, & ſi derogarent etiam, quindecim aut duodeviginti anni tanti non ſunt, ut aſſerto P. HERRGOTTI, qui aliunde, ut diximus, ad Inſtrumenta, a ſe adducta, duntaxat provocavit, quicquam obeſſe queant.

XII.

(a) Docet id ſingulari diſſertatione Celeb. MURATORIUS tom. III. antiq. med. ævi. col. 771. ita pronuntians: *Hoc ergo ſtatuo, ſeculo Chriſti X. & latius XI. latiſſime tandem XII. cognomina ab Italis uſurpari cœpta.*

XII. Idem porro mentem suam hisce verbis clarius adhuc expressit (a): *Ex quibus infertur; circa initium seculi* XII. *destructa sede* RORE, *atque in eius locum propugnaculo* LENZBURG, *vel (ut* GUILLIMANNO *placet) mutato nomine* RORE *in vocabulum* ARAU (*siquidem eodem teste* ARGOVIÆ NOMEN RECENS, ANTIQUI RORE DIXERUNT) *titulum quoque Comitatus* RORE *seu* RORENSIS *interiisse, atque eius vicem tres* BURGUNDIÆ *Proceres, qui prius in dicto Comitatu bona aviatica possidebant, in totidem distinctos Comitatus divisisse*, HABSBURGENSEM, LENZBURGENSEM *&* BADENSEM, *qui Comitatus, ut modo audivimus, per ipsa Regum Romanorum diplomata pro talibus agnoscebantur.* Habes hic veram & genuinam P. HERRGOTTI mentem. *Circa initium seculi XII.* ait, cui proinde tres aut quatuor anni nihil obsunt, quin potius hisce verbis una concluduntur; *circiter* enim dixit, & adhuc dicit; tantum abest, ut certum definiverit annum.

Quæ & ex alio titulo haud obsunt.

a

XIII. Ceterum ex iisdem verbis Adversario scrupulum eximi posse confido, quoad titulum WERNHARII, tertii RADEBOTONIS filii, motum. *Vel quæso, quonam titulo* WERNHARIUM, ait, *dum viveret, usum existimemus? an nullo? Sed fatetur ipse P.* HERRGOTTUS, *Comites ac Proceres a provinciis & possessionibus, quas a Proavis habebant, nomina sua mutasse. --- Hunc ergo titulum filio* RADEBOTONIS, *saltem natu maiori, sed patri & fratribus diutissime superstiti, atque unico Habsburgi hæredi*, WERNHARIO *nostro concedat.* Viguit enim adhucdum nomen *Rore*, Habsburgo vicinius, ut tam ex mox allatis HERRGOTTI verbis, quam & ex diplomatibus patet; legimus enim in diplomate HENRICI V. an. 1114. loc. cit. *quod in regno nostro monasterium quoddam situm est, in provincia scilicet Burgundia, in Episcopatu Constantiensi, in pago Argowe dicto, in Comitatu* RORE, *quod Mure nuncupatum est.* Eundem ergo rexisse potuit WERNHARIUS, si *a potentia ad actum bona est argumentatio*, ut nonnemo visus est philosophari: at non ita disputamus. Quærimus tantum, num necesse fuerit, ut munus Imperii quoddam publicum, ac præcipue quidem prima ætate, gesserit WERNHARIUS?

WERNHARIUS, quo cognomine venerit? pag. 91.

S quot

(a) Cit. lib. I. cap. IV. §. II. pag. 27.

quot olim, quot hodie ſunt Principum, Comitumque filii, qui ad regimen nunquam pervenerunt? Ecquis enim omnibus & ſingulis de Comitatibus proſpicere potuiſſet? Sufficit ergo diplomata & chartas nihil de eiusmodi cognominibus memorare, immo ex iisdem uſum contrarium evinci, & res in tuto conſiſtet. Nam & GUNTRAMNUS, RADEBOTONIS avus, & LANCELINUS eius pater, & ipſe RADEBOTO Comites fuerunt, ac Gentis Habsburgicæ ſatores, nec tamen inde conſectarium eſt, nec auditum, quod nomen *Habsburgicum* unquam geſſerint.

Errat porro Genealogus, ITAM *reparatricem* vocitando. pag. 92.

XIV. Extrema huius capitis Genealogum Murenſem, quod ITAM Habsburgicam *Reparatricem* Murenſis cœnobii, contra ſubſequentium *Actorum* fidem, appellaverit, concernunt; qua in re apprime falſus eſt. Neque enim Adverſarii excuſatio, qua vocabulum iſthoc, *ſenſu non tam ſtricte Grammaticali*, accipiendum opinatur, locum habet. Quippe cum *reparatrix*, qualis, ipſo fatente Adverſario, ITA non fuit, & *Auctrix*, qualis, eodem ſuffragante, fuit, tantum inter ſe diſtent, quantum *ens* a *non ente*. Qui enim reparari dici poſſit, quod primum extruitur? & quis Grammaticorum reparare dixit pro conſtruere? Verum hac omni de re iam alibi
a ſatis ſuperque (a).

Udalricus Lenzburgicus num Beronis mon. fundator recte appellatus a P. H. Ibid.

XV. Ceterum, quam parum benigne etiam hic cum P. HERRGOTTO agat Adverſarius, cum ex multis huius capitis locis, tum vero vel maxime & ex hiſce etiam verbis, amicus Lector intelliget. *Si paciſci liceret*, inquit, *mutuare equidem hinc poſſet vocabulum reparatricis*, *idque*, *ſexui accomodatum*, ULRICO *Comiti Lenzburgenſi tribuere* (b), *quem fundatorem monaſterii Beronenſis nominat*, *cum huius reſtaurator tantum*, *ſeu reparator agnoſcatur*; *recipiet ab eo nomen fun-*
b *datoris Scriptor Murenſis*, ITÆ *ſuæ applicandum: quam quidem commutationem eo minus recuſabit*, *ac nomen fundatoris reſtauratori attribuendo*, *contra ſe ipſum in ſententia confirmet*
c *Pezium*, *quem redarguit* (c), *quod* WERNHERUM *Epiſcopum Argentinenſem pari ſenſu caſtri Habsburg fundatorem intellexit.*

XIV.

(a) Cap. XI. §. XII. pag. 97. ſeqq.
(b) Tom. I. lib. I. c. VIII. §. VI.
(c) Ibid. cap. VI. §. IV.

XVI. Quis, hæc legens, non continuo dicat, grande peccatum a P. Herrgotto commissum fuisse, monasterii *fundatorem* constituendo illum, qui *restaurator* duntaxat fuerit? & tamen totum, si quid erratum fuisse dici posset (nam, recte locutum fuisse P. Herrgottum, statim apparebit) in transpositione duorum verborum, non tam incuria P. Herrgotti, quam vel amanuensis vel typographi facta, consistit. Ea enim, loco ab Adversario citato, sic habent: *In monumentis autem nostris primus se offert* Odalricus *Comes, pater* Arnoldi *an.* 972. *num.* CXLI. *huiusce* Arnoldi *iam supra meminimus. Huic filium* Arnoldum *idem instrumentum vindicat patronum Ecclesiæ Skenninges: quem excipit* Udalricus, *fundator monasterii* Beronis 1045. *Tom. II. num.* CLXXVII. *qui pater* Henrici, *avus dicitur* Arnolfi, *quem etiam ipsum præfato monasterio* Beronis *advocatum dedit an.* 1036. *num.* CLXXIII. In his, inquam, verbis mendum esse videtur, non a P. Herrgotto, sed vel errore typographiæ, vel amanuensis profectum, atque a quovis æquo ac cordato Lectore facile vel animadvertendum, vel emendandum. Substitue namque in locum *Beronis*, *Skenninges*, & omnia prono fluent alveo. At enim id quidem factu facillimum esse dices, sed num sufficienti ratione nitatur, id esse, quo de quæri possit? sed ratio ex ipso contextu elucet; provocatur enim ad diploma tom. II. num. CLXXVII. productum, *quem excipit*, inquit, Udalricus *fundator monasterii* Beronis *tom. II. num.* CLXXVII. ubi cum de monasterio *Beronensi* mentio nulla, larga vero de fundatore monasterii *Skenninges* ingeratur, signum evidentissimum est, P. Herrgottum, dum hæc scribebat, dictum monasterium *Skenninges* in mente & calamo habuisse, non monasterium *Beronis*. Legimus enim eo in loco verbis expressissimis: *Quapropter omnium - - - noverit industria, qualiter fidelis noster* Udalricus *Comes, pietatis nostræ clementiam adiens, humiliter rogavit, ut monasterium, quod* Skennines *dicitur, a parentibus suis &* a se fundetenus constructum, - - - *in nostrum mundiburdium, tuitionem, defensionemque susciperemus.* Ecce locum, ad quem provocavit P. Herrgottus, ecce fundatorem! Facile fuisset, æquo rerum arbitro, & vel rigidissimo censori, advertere, men-

An vero id verbis quibusdam luxatis adscribendum?

mendum non ab Auctore, sed ab oscitante amanuensi profectum fuisse: & quemadmodum Iuris Canonici Consulti *rubro* non fidunt, nisi in quantum respondet *nigro*, ita & hoc loco circumspectius agendum fuisse, nemo non videt; cum nulla propemodum opera omne id, quod laudato in loco luxatum est, ope diplomatis, ab ipsomet P. HERRGOTTO adducti, nullo novo addito, vel aliunde mutuato verbo, hunc in modum restitui potuisset: *quem excipit* UDALRICUS FUNDATOR PRÆFATI MONASTERII SKENNINGES 1045. *tom. II. num.* CLXXVII. *qui pater* HENRICI, *avus dicitur* ARNOLFI, *quem etiam ipsum* MONASTERIO BERONIS *advocatum dedit an.* 1036. *num.* CLXXIII. Hanc porro emendationem res ipsa exigit. Nam nisi monasterium *Skenninges* indigitare voluisset, ad dictum Instrumentum neutiquam appellare potuisset P. HERRGOTTUS, & tum citationem ipsam in mendo cubare, dicendum fuisset, quod tamen suspicari ideo nequimus; quia Instrumentum, in quo idem UDALRICUS monasterium, a suis parentibus fundatum, dotasse legitur, mox etiam excitatur per ultima recitatorum versuum verba. Adde, quod quali prædicato tam respectu monasterii BERONIS, quam SKENNINGES dignus fuerit UDALRICUS, haudquaquam ignorare potuerit P. HERRGOTTUS, ut qui utriusque chartas, cum dotationis tum fundationis, produxit, alterique hunc titulum: ULRICUS, *Comes de* LENZBURG BERONIS *monasterium largiter dotat* (a), præfixit. *Dotatorem* igitur expresse vocat, non *fundatorem*, qui id insuper ex contextu eiusdem chartæ didicit, ubi habetur: *canonica mea, quæ est in loco, quæ dicitur* BERONIS *monasterium, a parentibus meis primitus, postmodum a me Sancti* MICHAELIS *honori attributum.*

Adversarii eadem de re insignis hallucinatio.

XVII. Atque his quidem aquiescere posset Adversarius, posset & æquus rerum arbiter, Lector; sed videamus tamen adhuc, quam ille feliciter in omni hac disputatione versatus fuerit. Mutuare potuisse P. HERRGOTTUM vocabulum *reparatricis*, at *sexui accomodatum*, a Genealogo Murensi, illudque ULRICO Comiti Lenzburgensi tribuere, recepturumque pro eo eundem Murensem Scriptorem nomen *fundatoris*,

(a) loc. cit. pag. 112.

ris, Itæ suæ applicandum. Acute profecto, nisi aculeate. Sit venia verbo. Ego certe id tam parum fieri posse existimo, quam falso laudata Ita ab oscitante Murensi Genealogo *reparatrix* Murensis Monasterii appellata fuit; nisi forte in Calepino partis adversæ *dotare* idem prorsus sit, ac *reparare:* quod non puto. Atqui ex verbis chartæ, mox adductæ, seu testamenti Ulrici, monasterium illud ab eo *dotatum* non *reparatum* fuisse, legimus; quo igitur fundamento dici potuit ab Adversario, titulum *reparatoris* eidem convenire?

XVIII. Quid multa? Ulricum hunc, quod amplius est, omni iure monasterii *Beronensis fundatorem* dici posse, tam mihi quidem indubium est, quam quod neminem deinceps dubitaturum confido, qui chartam illam, unacum diplomate Henrici Rom. Regis, quod monasterio *Skenninges* amplissima privilegia largitur, a P. Herrgotto p. 117. adductum, contendere voluerit. Etsi enim posterioris huiusce, non minus, quam prioris illius, parentes Ulrici Auctores in utroque Testamento dicuntur, id tamen non obstat, quin se idem Ulricus filius, monasterii *Skenningensis* una fundatorem non obscure appellitet per verba: Udalricus *Comes --- rogavit, ut monasterium, quod Skenninges dicitur, a* PARENTIBUS *suis* ET A SE *fundetenus constructum --- susciperemus.* Si parentes eius fundatores dici possunt, quod monasterium illud construxerint, Udalricus certe non minus sibi attribuit, qui idem ET A SE factum fuisse Imperatori significavit. Eodem modo loquitur in charta præcedenti: *a parentibus*, inquit, *meis, primitus, postmodum* A ME *Sancti Michaelis honori attributum.* Ecce fundatores monasterium *Beronense* S. Michaeli Archangelo dedicarunt: idem fecit & filius eorum. Et sane integrum adhuc monasterium in sua potestate habuisse, contextus Instrumenti docet, unde non nulla excerpere iuvat: *Tradidi enim*, ait, *supradictum locum*, id est Beronis monasterium, *cum omnibus ad illud pertinentibus prædiis & mancipiis nepoti meo Arnolfo.* Tum, assignatis eidem Arnolfo, ceu Advocato, bonis & prædiis, quibus ipse frueretur: *cetera*, pergit, *omnia, id est, possessio fratrum in ipso loco, circa canonicam --- sint canonicorum* &c. Quod igitur parentes Ulrici

Udalricum *fundatorem* recte potuisse vocari, cum ex diplomatibus,

RICI inceperunt *primitus*, abſolvit ipſe poſtmodum, utrumque monaſterium deducens ad perfectionem.

Tum ex vera & genuina eius vocabuli notione monſtratur.

XIX. His omnibus accedit vera & genuina notio vocabuli *fundator*, quam nos pererudite docent Benedictini e Congregatione S. MAURI in nova editione Gloſſarii mediæ & infimæ Latinitatis *Cangiani*, ubi ad verbum *fundare* hæc addiderunt: *haud abs re fuerit hic obſervare, non eos ſolum Eccleſiæ vel monaſterii dici fundatores, qui primum Eccleſiam aut monaſterium exſtruunt, dotantve ex proprio fundo* (quanto ergo rectius ULRICUS iſte fundator audit, qui dotavit etiam) *ſed etiam illos, qui inſtaurant vel augent maxime. Huius rei plura ſuppetunt in veteribus tabulis argumenta. Vide Mabillonium in Actis SS. Ord. S. Benedicti ſec. 3. part. I. pag. 404. & ſec. 4. part. I. pag. 209. Eodem præterea donati titulo monaſteriorum Advocati.* Atqui ULRICUM & Advocatum fuiſſe, & ARNOLFUM nepotem ſuum eodem munere decoraſſe, nec non & monaſterium *Beronis* dotaſſe, in confeſſo eſt (a). Sed eligat Adverſarius quod voluerit, nobis haud licet eſſe longioribus.

Differuntur cetera

XX. Reliquum nunc eſſet, ut & aliud Adverſarii dubium, quod hic pag. 87. movet, num ſcilicet RADEBOTO Comes in pago *Cleggoviæ* idem fuerit cum ITÆ marito, de quo CONRADUS de S. BLASIO pluribus memorat? ſed cum ipſe Adverſarius rem hanc alium in locum differat, lubenter eundem præſtolabimur, dum venerit. Hic etenim ſat prata biberunt.

CAPUT XV.

Demonſtrantur ſphalmata, a Genealogo Murenſi in II. progenie commiſſa.

Peccata Genealogi Mur. circa II. progeniem.

I. CIrca ſecundam Genealogi Murenſis progeniem duo pariter animadvertenda habuit P. HERRGOTTUS, cuius verba, utpote non admodum diffuſa, exſcribere iuvat: „ In ſecunda progenie præter WERNHARIUM Comitem, „ &

(a) Vid. charta citata, ſeu eiusdem Teſtament.

„ & RICHENZAM neminem adponit genealogiæ ſcriptor Mu- Proleg. III. §. XIII.
„ renſis; cum tamen OTTO I. & ADELBERTUS I. a RADEBO-
„ TONE ex ITA pariter deſcenderint, prout docebimus lib. II.
„ cap. II. §. III. item cap. VII. §. V. Quod vero de filiis
„ RICHENZÆ Lenzburgenſis, filiæ ſcilicet RADEBOTONIS Co-
„ mitis, adnotavit, utcunque illud chartis noſtris reſpondeat,
„ ſi CHUNONEM & WERNERUM ex Comite Badenſi, forte
„ OLDARICO, RUDOLFUM vero & ARNOLDUM ex Comite
„ UDALRICO *de Lenzburg* progenitos dicamus; genealogia
„ tamen iſta incompleta manet; chronologia item male ſe ha-
„ bet; ut ex tabulis noſtris de *Badenſi* & *Lenzburgenſi* fami-
„ liis ad oculum patet. Quin & falſum eſt, ARNOLDUM pat-
„ rem RICHENZÆ *de Chiburg*, Comitem *de Baden* fuiſſe.
„ RICHENZA enim illa ULRICI Comitis *de Kiburg*, qui in
„ chartis noſtris annorum MCCXVIII., MCCXXIII. 25. Maii,
„ MCCXXVII. num. CCXXIII. & an. MCCXXIX. num. CCLXXXIX.
„ occurrit, uxor erat, atque adeo hac ipſa ætate vivebat:
„ teſtante vero charta an. MCCVII. die 4. Sept. familia Comi-
„ tum *Badenſium* iam iam extincta exceſſit.

II. Arripit hic Adverſarius ſolitum ſuum effugium, dicens: *Sufficiſſe intentioni Genealogi --- per ſingulas progenies ſolum propagatorem lineæ rectæ adnotaſſe, cum alioquin præfatos Ottonem & Adelbertum non omiſiſſet, in Actis nominatiſſimos.* Sed iterum, iterumque reponimus, gratis id, ac præter omnem veri ſpeciem, adſtrui. Si enim hæc Genealogo mens fuerat, cur id non ubique obſervavit? Annon in generatione ſeptima, præter duas filias, tres filios enumerat, ALBERCTUM, RUDOLFUM, WERNHERUM? num hi omnes lineæ rectæ propagatores ſunt? aut num in hac, quam agitamus, progenie, RICHENZA genus maſculinum propagavit? Denique, ſi ubique, ſeu per ſingulas generationes rectæ lineæ propagatorem indicare voluit Genealogus, cur, quæſo, in prima ſtatim omiſit præcipuum, videlicet RADEBOTONEM? Toto ergo cœlo aberrat Adverſarius, cum iam denuo hac nulla ſubnixus ratione, componit excuſationem, cum potius dicendum ſit, quod iam ſemel inculcavimus, mancas eiuſmodi progenies, Genealogi incuriæ, imperitiæque, adſcribendas eſſe, non conſilio, aut, ut Adverſarius loquitur, intentioni. Hic primus miſſus.

Quæ eius imperitiæ, non conſilio adſcribenda. Pag. 95.

III.

Cum revera ob omissum Ottonem mancus sit. pag. 96.

III. Negat deinde Adversarius, satis demonstratum fuisse a P. Herrgotto, Ottonem illum, qui in charta anni 1025. Comes in pago *Suntgouve* scribitur, eundem esse cum filio Radebotonis, sanguine Habsburgico cretum, sed tres illos filios, Ottonem nempe, Albertum & Wernharium, Radebotonis filios fuisse, *non ex illa charta* Conradi, *sed ex Actis duntaxat Murensibus doceri.* Sed nullum datur effugium; sive enim Radebotonis & Itæ sobolem ex Actis Murensibus, sive aliunde discamus, semper tamen cum liquida veritate obiici potest Genealogo Murensi, Ottonem hunc fuisse omissum, adeoque in hac parte mancum esse; nihilque amplius ex his omnibus consequitur, quam ut sententia nostra, quam de hoc Genealogo superius tulimus, magis magisque confirmetur; quippe qui iam iterum adeo oscitanter scripsisse deprehenditur, ut plurimos in Actis subsequentibus nominatissimos, atque inter eos ipsum Genealogiæ suæ, prout a se contexta est, apicem omiserit, neglexeritque. Ceterum quid de Ottonis Comitis *Suntgoviæ* progenie sentiendum, alibi dicemus; cum id proprie huc non pertineat, videaturque ab Adversario dicis duntaxat caussa motum.

Verbum P. H. male expositum obiter restituitur.

IV. Hic tamen obiter adhuc advertimus, P. Herrgottum ab Adversario vel male intellectum fuisse, vel secus interpretatum. Dixerat ille (a), Ottonem *hunc Habsburgi Comitem* Radebotonis *filium esse*, Eccardo *stipulante tenemus.* Adducens hunc versum Adversarius, continuo subiungit: Eccardo suspicante *oportuisset dicere.* Quare? quia de hoc eodem Ottone (b) solummodo dicit Eccardus: *quem ego unum eundemque cum nostro Comite Habsburgensi fuisse* suspicor. Suspicatur Eccardus, quod tenet, & NB. etiam ex chartis ibidem probat P. Herrgottus, ergo & adstipulatur. Suspicari enim apud Grammaticos non modo suspicionem habere significat, sed etiam pro verbis cogito & reputo, adsciscitur.

a loc. cit.

b

Lenzburgicam familiam qua ratione

V. Invitat me nunc Adversarius ad stirpem *Lenzburgicam*, quam & mancam, seu incompletam esse, ac male cum tem-

(a) Lib. II. cap. II. §. III.
(b) Orig. Habsb. lib. II. cap. III.

temporis ratione cohærere, contendit P. HERRGOTTUS verbis, paullo superius adductis. Prius illud parum referre obtendit Adversarius; quod cliens suus *secundaria* tantum *intentione* eiusdem meminerit; cui quidem gratuitæ responsioni iam plus simplici vice obviavimus. Incompletam autem censeri a P. HERRGOTTO, ait, *ex vana hypothesi*, quod scilicet RICHENZAM, uxorem ULRICI *Prædivitis*, atque adeo matrem CONRADI Episcopi & HENRICI constituat, quod tamen nulla queat ratione admitti. Quare de eo nunc videndum est, atque ante omnia notandum: nihil eorum, quæ hoc loco attulit P. HERRGOTTUS, quasi pro re nota, ac indubitata, quamque ipse ex suis, aut monumentis, aut principiis, deducere ac probare nitatur, afferri; sed ex hypothesi duntaxat: si RICHENZA, RADEBOTONIS filia, primo connubio WERNHARIO Comiti Badensi (& quidem *ex unanimi* STUMPFII, *Gerardi de* RHOO, nec non FUGGERI sententia) elocata fuerit, atque tum etiam hæc non animo quidquam probandi, aut demonstrandi, quod e re sua esset, protulit; sed in gratiam Genealogi Murensis, cuius doctrinam chartis suis *utcunque respondere* animadvertit, *si nempe Chounonem & Wernherum ex Comite Badensi forte Oldarico*, *Rudolfum vero & Arnoldum ex Comite Udalrico* (sic) *de Lenzburg progenitos dicamus*; quippe quod de hisce chartæ & diplomata mentionem quidem faciant; sed, ut mox addidit, non congruente temporis ratione. Ut enim tabulæ P. HERRGOTTI ostendunt, priores duo Lenzburgenses Comites anno 1140. & 1155. occurrunt, posteriores an. 1114-1144. & 1125-1158. (a). Quis autem in animum inducere possit, ut credat, filiam RADEBOTONIS, hominis sub initia seculi XI. defuncti, matrem esse filiorum, medio seculo XII. adhuc superstitum? Manca etiam esset Genealogia; eo quod chartæ & diplomata RUDOLFUM quoque addant, quem Genealogus Murensis alto premit silentio. Atque hæc est P. HERRGOTTI de progenie Genealogi istius secunda animadversio, quæ tanto melius procedit, quod ad eundem excusandum, si fieri potuisset, etsi chronologia repugnante, tendebat; quod cum fieri nequierit, omnis culpa in Genealogum, non P. HERRGOTTUM, reiicienda est.

mancam esse dixerit P. H. pag. 97.

T VI.

(a) Geneal. Dipl. T. I. lib. VI. cap. III. p. 274. num. II. & III.

RICHENZAM, ITÆ Habsburgicæ filiam an. 1036. aviam esse potuisse monstratur. pag. 99.

VI. Verum inspiciamus iam, quibus artibus, quo consilio, quibusque armis clientem suum contra tam horribilem, quo de postea dicemus, anachronismum defendere conetur Adversarius. Negat ante omnia, ut vidimus, RICHENZAM ULRICO *Prædiviti*, Comiti de Lenzburg, nuptam, matrem fuisse CONRADI Episcopi & HENRICI. „ Qui autem „ quæso, ait, ULRICUS ille RICHENZÆ nostræ maritus esse po„ terat, iam anno 1036. avus ARNOLFI, ex HENRICO filio „ nepotis adulti? ULRICUS, inquam, ille, qui etiam in te„ stamento suo ad dictum annum filiis se orbatum ingemuit, „ dicendo: *Cum omne patrimonium meum non in filios,* „ *quoniam his orbatus sum, sed in nepotes meos sit transiturum.* „ Econtra testantur Acta Murensia pag. IX. filios RICHEN„ ZÆ, & quidem ex thoro Lenzburgico, diutius adhuc su„ pervixisse, atque WERNHARIUM avunculum inter, & dictos „ eius nepotes de Lenzburg, bellum exarsisse circa annum „ 1085. „ Impossibile ergo putat, ut RICHENZA, RADEBOTONIS ex ITA filia, an. 1036. avia esse potuerit, secundo præsertim matrimonio. At ego, &, ni fallor, quisque mecum, nullam hac in re impossibilitatem, quin magnam ubique congruentiam reperio. Obiit RADEBOTO anno 1027. teste Necrologio Murensi, subscribentibusque (ut ut id Adversarius; quippe quod e re sua haud esse animadvertit, incertum esse dicat) ECCARDO, CALMETO & aliis. Huic si ætatis annos sexaginta ad septuaginta tribuimus, iustas humanæ vitæ metas haud excedimus. Potuit ergo RICHENZA illa nasci anno 977., aut aliquando serius. Quid ergo præter communem hominum sortem adstruitur, si RICHENZA etiam secundo matrimonio, anno ætatis suæ 59. aut citius avia dicatur? Novimus homines, quibus hæc dignatio anno ætatis sexto & tricesimo obtigit, nec impossibile esset, ut contingeret etiam maturius. WERNHARII quoque ætas, anno 1096. ut habent Acta Murensia, defuncti, huic calculo non obest. Præterquam enim, quod natu minimus fuerit, vitam quoque multo longius producere poterat, quam RICHENZA nostra; hoc enim si non admittatur, in Actuarium Murensem mendum irrepsisse necesse est; cum vix fieri potuerit, nec nisi ut singulare quid considerandum sit, ut extrema RADEBOTONIS

at-

atque ITÆ ætate natus fuisse dicatur. ITA enim an. 1026. RADEBOTO anno subsecuto obiit, hinc temporis ratio exigit, ut eundem ad multam usque senectutem pervenisse dicamus.

VII. Patet iam impossibile non esse, ut RICHENZA laudato UDALRICO seu ULRICO nupserit; adeoque hypothesis P. HERRGOTTI plane sibi constet: videamus nunc, quomodo systema Adversarii subsistat. Contendit ille, RICHENZAM, de qua quærimus, non ULRICO *Prædiviti*, sed uni ex nepotibus eiusdem elocatam fuisse, parumque abest, ut opinioni *Ægidii* TSCHUDII adstipuletur, existimantis, eam anno 1027. *quo pater Radeboto obiit, biennem Ulrico, sæpe dicti* ULRICI, *Comitis Lenzburgici*, *ex filio* ARNOLDO *nepoti*, *demum an.* 1051. *nupsisse*: id vero cum tam facile haud procedere animadverteret, obiectis primum P. HERRGOTTO non nullis erroribus, de quibus postea, mentem demum suam hunc in modum aperit: *Quidquid sit*, *exigente chronologia nepotum* ULRICI, *aliquem maritum agnoscamus* RICHENZÆ *Habsburgicæ*, *quæ iuxta Genealogum Murensem genuit* ARNOLFUM *etiam de* BADEN *dictum*, *patrem* RICHENZÆ *de* CHIBURG: *adde &* CHOUNO *Comitem* WERNHERUM *de Baden*. Qua in re nemo non videt, subesse hic *petitionem*, quam vocant, *principii*; quæritur enim, num locus hic Genealogi sanus sit & integer: at nihilominus integritatem loci ex ipso loco ostendere nititur Adversarius, perinde, ac si impossibile fuisset, ut mendosissimus Genealogus errare in ulla re potuisset? Maritum præterea RICHENZÆ quærit Adversarius, nec invenire potest; cum eundem nec ex auctore etiam pessimæ notæ, multo minus ex documento aliquo, quod ætatem tulerit, ostendere queat.

Cum contra systema Adversarii, id negantis, impossibile sit.

pag. 101.

pag. 103.

VIII. At, *exigente chronologia*, inquit, id ipsum statui oportere. Ego vero ratione temporum vel maxime refragante, ac invita prorsus Minerva, tale quid constitui, non ex vano existimaverim. Posito enim, sæpe laudatam RICHENZAM secundum diligentissimi *Ægidii* TSCHUDII calculum anno primum 1051. nupsisse, sequeretur, filios eius omnes, sive tres, ut Genealogus vult, sive quatuor fuerint, ut membra-

Refragante cumprimis ratione temporum.

nacea docent lipſana, poſt centum fere, & forte amplius annos, fuiſſe ſuperſtites, quod quam incredibile ſit, nemo non videt. Quod ut planum faciam, multis haud opus eſt; occurrit enim WERNHERUS *Comes de Badin* in diplomate CONRADI III. Rom. Regis an. 1140. 15. Nov. (a), itemque in
charta anni 1155. 8. Decembris (b), *præſente Comite & Advocato* WARNHERO *de Baden*, *& fratre ſuo* CHOUNONE. Idem conſtat de ARNOLFO *Lenzburgenſi*, & fratre eius RUDOLPHO, ex quibus ille in chartis an. 1114. num. CXCIII. *Comes* ARNOLFUS *de Lenzburg*, RUDOLFUS *frater eius*. an. 1127. 1141. 1144. 8. Iulii: hic vero an. 1125. 8. Ian. & 7. Apr. 28. Decembr. 1150. 1127. 11. Aug. 1141. 10. Apr. ac demum 1158. memorantur. Reſpondebit haud dubie Adverſarius, horum ætatem equidem ex adductis chartis certiſſimam ac penitus indubitatam eſſe, ſed negari, hos ipſos RICHENZÆ fuiſſe filios; monumenta enim, quotquot hactenus producta fuerunt, hac de re altum ſilere. At multo magis ſilent de Comitibus ſynonimis, mox anteriori tempore viventibus, qui tamen ſecundum Genealogum Murenſem mox antea vixiſſent. Nam etſi ſeries Comitum tam Badenſium, quam Lenzburgenſium, adhuc imperfecta & manca ſit, credibile tamen non eſt, hos tres RICHENZÆ filios tam infelices fuiſſe, ut, poſt tam diligentem omnium forulorum, tam in Bibliothecis, quam Archivis, excuſſionem, nulla amplius eorum memoria ſuperſit. Eſſet etiam ſingulariſſimum quid, ſi WERNHERUM, CHUNONEM & ARNOLFUM Comites, tres alii proxime anteceſſiſſent, qui non ſolum ex RICHENZA quadam nati fuiſſent, ſed & tres numero filii haud ſecus ac poſteriores, idem nomen gerentes, ſimiliter ad ætatem adultam, adeoque regendos Comitatus perveniſſent. Vidit hæc omnia Adverſarius, hincque RICHENZAM multo iuniorem, quam oportuerat, faciens, UDALRICI Lenzburgenſis nepoti, quamvis hunc nuſpiam invenire poterat, quam UDALRICO ipſi, elocare maluit, id quod eidem infeliciter ſucceſſit.

Nec non & ipſius Adverſarii hypotheſi.

IX. Confirmantur hæc ſingula egregie ex ipſa Adverſarii hypotheſi. Contendit ille, ut cap. III. vidimus & expen-

(a) Geneal. Dipl. tom. II. num. CCXIX.
(b) Ibid. pag. 178.

pendimus, ITAM, RADEBOTONIS coniugem, filiam fuisse FRIDERICI I. Ducis superioris Lotharingiæ, ex BEATRICE, HUGONIS CAPETI sorore, prognatam. Hæc hypothesis, etsi eam, excitato loco, satis superque sufflaminaverimus, egregie ostendit, in quantas sese angustias hic loci coniecerit Adversarius, quantumque sibi ipsi non constet. BEATRIX illa, prætensa ITÆ mater, Ducissa vocabatur iam tum anno 938. teste charta Archivi Senonensis apud Reverendiss. CALMETUM (a). Ponamus ergo, quod ITAM hanc circa annum 958. effuderit: qua in re equidem satis liberalis sum; nam quæ anno 938. sub *Ducissæ* nomine nota fuit, an. 958. procreandæ soboli non apta solum, sed & ætate iam aliquantulum progressa fuerit, necesse est. Congruit etiam ætas cum mariti, tum fratris. Ille enim castrum Barrense construxit an. 951. Dux Barrensis constitutus est an. 958. & superioris Lotharingiæ anno insecuto, obiitque an. 990. vel 984. secundum veriorem epocham (b). Hic autem, HUGO videlicet CAPETUS, Francorum Dux creatur an. 959. ungitur in Regem an. 987. ad plures abiit 24. Octobr. an. 996. ITA ergo Lotharingica, prætensa, inquam, ITA, an. 958. orta, RICHENZAM suam saltem anno ætatis 40. aut 45. genuerit, adeoque anno 990. aut 95, qua in re iterum plurimum largior. Potuisset enim anno ætatis 15. aut 16. generare, tumque RICHENZA nostra primam lucem anno 974. aspexisse dicenda foret: sed simus tamen liberales, ut qui maxime, dicamusque, filiam hanc RADEBOTONI an. 998., aut, si maioris solemnitatis gratia mavis, anno seculari 1000. fuisse prognatam. His enim omnibus ultro ac largiter prorsus admissis, Adversarii omnia ita corruent, ac si nihil unquam statuisset. Cui enim, quæso! persuadebit, RICHENZAM, laudatæ ITÆ filiam, nepoti UDALRICI, nepoti inquam, Comitis de Lenzburg nupsisse, viri, cuius memoria in Instrumento anni 1045. adhuc occurrit (c)? aut quis sibi persuaderi sinat, ve-

(a) Loc. cit. col. CCLXXXV. edit. II. & CXCIII. edit. I.
(b) Ibid. col. CCLXXXIV. & CCLXXV. edit. II.
(c) Quin exploratum est, eum an. 1077. adhucdum superstitem fuisse. Ut enim BERTHOLDUS *Constantiensis* apud URSTIS. rer. Germ. tom. I. pag. 347. ad dictum annum refert, BERNHARDUS quidam Abbas a Rege Rom. RUDOLPHO Romam directus, *ab* UDALRICO, *Comite de Lentzburg*, HENRICI (IV. Imp.) *complice, captus & prædatus fuit.*

vetulam illam anno ætatis (ſecundum ſuperiorem calculum) tertio & quinquageſimo ad minimum nuptam, tres aut quatuor adhuc filios, ac tales quidem filios effudiſſe, qui omnes poſt centum & amplius annos vixerint, valuerintque, atque uſque adeo valuerint, ut itinerantes, etiam publicis tractationibus præſentes, ſubſcripſerint? Videat ergo Lector amicus denuo, ut nulla Genealogo Murenſi conducat medicina: videat & Adverſarius, quam ſibi, medici in hac parte munus profeſſus, male conſuluerit, agnoſcatque, licet ſero admodum, vel dimittendam ſuam ſibi hypotheſin, pro figendo prætenſæ Itæ Lotharingicæ ſtemmate, atque ætate aſſumptam; vel concedendum ſane P. Herrgotto, Genealogum Murenſem etiam hoc loco progeniem incompletam, atque rationi temporum ſumme contrariam, nobis obtruſiſſe. Verum confido vel maxime, me utraque ab eodem haud difficulter obtenturum. Quemadmodum enim priori loco, id eſt capite huius ſcriptionis tertio, perſpicue oſtendimus, ingentem ab eodem Genealogo, dum laudatam Itam Theodorici Ducis Lotharingiæ ſororem conſtituit, anachroniſmum fuiſſe commiſſum, immo inſigne, contra omnem fidem hiſtoricam, atque genealogicam, peccatum; ita & hic quoque argumentis, ut opinor, non minoribus, oſtenſum fuit, quam nullam in adſtruendis ſuis commentis temporum rationem habuerit, atque adeo utrobique extra orbitam quam longiſſime ſaltaverit. Hinc quoque recte concludimus, ſtemma Radebotonis, quem nec nominat quidem, nec non & Itæ, uxoris eius, Genealogo Murenſi prorſus fuiſſe incognitum; ut qui non minus circa filiam Richenzam, quam & eius matrem, egregie omnino fallit & fallitur.

Arnoldus *Kiburgius* falſo Comes de *Baden* appellatus a Geneal. Murenſi.

X. Tertium in hoc capite aſſultum facit Adverſarius cum Arnoldo, patre Richenzæ de Chiburg, cui Genealogus Murenſis titulum *Comitis de Baden* fidenter quidem, ſed falſo indidit, merito caſtigatus a P. Herrgotto, ut paullo ante audivimus.

Multus hic eſt Adverſarius, atque copioſus, ubi tamen omnia, quæ adverſus Herrgottum congeſſit, vana atque inutilia eſſe, vel ipſe haud ægre fatebitur, ſi advertere velit, quod, quæcunque hoc loco adverſus Genealogum Muren-

renſem protulit P. HERRGOTTUS, fide Scriptorum rerum Helveticarum inniti, ac velut rem, quam ex ſe & per ſe examinare nec voluit, nec debuit, protuliſſe. *Quin & falſum eſt*, inquit, ARNOLDUM *patrem* RICHENZÆ *de Chiburg*, *Comitem de Baden fuiſſe.* Quare? quia RICHENZA *illa*, ULRICI *Comitis de Kiburg* uxor, poſt medium circiter ſeculi XIII. *vivebat*: *teſtante vero charta anni* MCCVII. *die* 4. *Septembris*, *familia Comitum Badenſium circa illud tempus iam iam extincta exceſſit.* Proleg. III. §. XIII. iam cir. Probandum igitur ſolummodo erat MARQUARDO, RICHENZAM, ULRICI Comitis de Kiburg uxorem fuiſſe, & tum tutum ſe ſe præſtitiſſe ab Adverſarii cenſura, perſuaſus eſſe poterat; nam ULRICUM *de Kiburg* poſt initia ſeculi XIII. floruiſſe ex chartis HERRGOTTI annorum MCCXVIII. MCCXXIII. 25. Maii, & MCCXXVII. ſatis ſuperque iam conſtabat: ſed & illud non fide quidem Inſtrumentorum, ſed Scriptorum rerum Helveticarum adſtruxit, quorum plerisque, etſi recentioribus, res tamen ſuas veterum monumentis firmantibus, maiorem fidem, quam mendoſo Murenſi Genealogo habendam eſſe, pauci forte dubitabunt, præſertim in loco obſcuriſſimo, qualis hic eſt, & cuius magnam partem falſam eſſe, mox quidem oſtendimus. *Non deſunt*, inquit P. HERRGOTTUS (a), *rerum Helveticarum Scriptores*, *qui tradunt*, *extincta Badenſi familia*, *Lenzburgicæ obveniſſe hunc Comitatum*, *cui itidem deficienti Kiburgica ſucceſſit*, *iure connubiorum* RICHENZÆ, *ultimi Comitis Lenzburgenſis patruelis*, *cum Hartmanno Kiburgico anno Domini* 1172. *ſeu potius cum* ULRICO *Kiburgi Comite*, *ut proxime ſequenti* §. *dicemus.* Sequenti ergo §. ſic ſtatuit: *Maſculo demum hærede deficiente*, *ſub finem eiusdem ſeculi XII. idem Comitatus unacum Richenza*, *filia Arnolfi*, *patrui ultimi Comitis de Lenzburg*, *& uxore Hartmanni (vel potius Ulrici; tempora enim alias non congruerent) Comitis de Kiburg*, *a familia Lenzburgenſi ad Kiburgicos fuit devolutus.* Hæc MARQUARDUS loco citato, ex quibus plane conficitur, omnem hanc eius diſputationem rite procedere; ea namque compendio reddita, hæc redit: RICHENZA, ULRICI Comitis *de Kiburg* uxor, vixit ſub initia ſeculi tertii decimi: ergo falſum eſt, ARNOLDUM, patrem eius, Co-

(a) Lib. I. cap. VII. §. III.

Comitem de *Baden* fuisse; utpote, quod ea familia iam anno MCCVII. extincta fuerit. Prius illud partim fide diplomatum nititur, partim fide Scriptorum, ut nihil supersit, quam conclusionem dicere legitimam, donec Adversarius laudatos Scriptores errasse, immo & diplomata in mendo cubare, ostendat, id quod nunquam fiet.

Unde & aliud inconveniens enatum. pag. 104

XI. Etsi ergo iam ex hisce plus satis evictum videatur, quam immerito & hæc P. HERRGOTTI propositio impugnata fuerit: operæ tamen pretium erit, argumenta Adversarii etiam singillatim ponderare. Exclamat is igitur ante omnia: *Ergone quod familia Badensis circa, immo multo ante dictum tempus defecerit, Arnoldus, filius Richenzæ Lenzburgicæ, nepos Radebotonis annis retro actis Comes de Baden esse nequibat? Si ratio hæc quidquam ponderis haberet, ea Arnoldum nec nomine Lenzburgico donari pateretur, quandoquidem stemma Lenzburgicum iam anno circiter 1172. defecerit.* Recte equidem, at hoc ipsum mendis Genealogi Murensis tribuendum est. Paullo enim superius demonstravimus, ARNOLDUM illum, nec filium RICHENZÆ *Habsburgicæ*, ex prætensa ITA *Lotharingica* natæ, nec adeo nepotem RADEBOTONIS esse potuisse. Mirum ergo non est, si, qui in texenda genealogia ARNOLDI tam aperte, quam turpiter, erravit Genealogus Murensis, etiam in genealogia filiæ deceptus est. Error enim ex errore consequitur, &, ubi a recto tramite semel declinaveris, aut nunquam aut difficulter saltem redibis. Apposite

Ibid.

igitur denuo animadvertit Adversarius, quod P. HERRGOTTUS *ipsum, de quo hic agimus, Arnoldum filium Richenzæ Lenzburgicæ, patrem Richenzæ Kiburgicæ omnino negare, aliumque pro eo in hoc paternitatis ius sufficere intendat. Cum enim Richenzam Kiburgicam annis prænotatis vixisse teneat, huius patrem haud queat agnoscere Arnoldum nostrum; quippe qui Richenza Lenzburgica progenitus, filiam utique habere non poterat in seculum XIII. superstitem.* Ita omnino est; cum enim P. HERRGOTTUS probe animadverteret, non minorem anachronismum a Scriptore Murensi hic, quam in altero præcedenti, a nobis iam exagitato, commate, commissum fuisse, necessarium prorsus erat, RICHENZÆ *Kiburgicæ* alium omnino

nino quærere patrem, alium maritum, quem quidem ſuffragantibus Scriptoribus Helveticis invenit, licet patrem nulla adhibita diligentia reperire potuerit: haud ſecus, ac ITÆ maritus ab omnibus RADEBOTO agnoſcitur, licet eius patrem hactenus detegere nemo quiverit, ut nos quidem tam contra Genealogum, quam & contra Adverſarium, ſæpius laudato capite III. invicte demonſtravimus.

Hinc ſtandum fide Scriptorum rerum Helveticarum potius, pag. 105.

XII. Fruſtra igitur eſt Adverſarius, cum a P. HERRGOTTO ulterius exigit, ut hoc ULRICI *Kiburgici* cum RICHENZA matrimonium veteri aliqua charta confirmet. Neque enim P. MARQUARDO animus unquam erat, perfectam, ſuisque firmatam monumentis, genealogiam Kiburgicam dare, cum eiusmodi talia, ut acceſſoria duntaxat, & quia non nullæ chartæ & diplômata eundem eo deducebant, tractabat (a). Hinc licet *Genealogiam Diplomaticam Auguſtæ Domus Habsburgicæ* ſcripſerit, exinde tamen non conſequitur, ut etiam in genealogia Kiburgica, acceſſoria quippe, omnia diplomatibus ſtatuminaret. Et quid demum prohibeat Scriptoribus Helveticis, atque præcipuis quidem, STUMPFIO, puta GULERO, SIMLERO, MUNSTERO (b), quorum opinionem Clar. quoque ISELIUS adoptavit, quosque in medium adduxit HERRGOTTUS, tantiſper, dum certiora eruimus, adhibere fidem? num illi cœci aut luſci fuerunt, ſolo vidente vel Adverſario, vel eius cliente?

Quam Genealogi Mur. omnia confundentis.

XIII. Ego ſane Doctiſſimis hiſce atque Celeberrimis quatuorviris fidem habebo, donec aſſerti falſitas ab Adverſario idoneo quodam teſte oſtendatur, fruſtra ringente Genealogo ſuo, cui omnis omnino confuſio adſcribenda eſt; unus etiam plus negare poteſt, quam centum affirmare. Redit præ-

U terea

(a) *Quid iuvat*, inquit Geneal. Diplom. lib. I. cap. XVIII. num. XIX. *vetuſtiſſimorum iſtorum Gentis* HABSBURGICÆ *Maiorum familias illas nobiliſſimas, quæ maximis vinculis propinquitatis vel affinitatis iisdem fuere coniunctæ, cuiusmodi ſunt* LOTHARINGICA *&* ZARINGENSIS (quanto minus KIBURGICA & LENZBURGICA?) *quid, inquam, iuvat, hac ſtilo proſequi in Genealogia Habsburgica?*

(b) STUMPF. lib. VI. c. 24. & lib. VIII. c. 37. GULER. Hiſt. Rhet. lib. 14. apud SIMLER. noviſſ. edit. lib. I. p. 333. MUNSTER. lib. III. c. 93. p. 564.

terea crimen in eundem Genealogum, cum Adversarius inter ætatem Richenzæ, atque Ulrici, ultimi Comitis de *Kiburg*, tantam reperire sibi visus est disconvenientiam, atque ideo in hæc verba prorupit: *Et hinc, si iuxta dicta P.* Herrgotti *Richenza illa Ulrici Comitis de Kiburg, qui in chartis annorum* 1218. 1223. 1227. & 1229. *occurrit, uxor erat, atque adeo hac ipsa ætate vivebat, vah! hac ipsa ætate quanta non anus illa? Quare Richenzæ Kiburgicæ vel alium parentem, vel maritum alium tribuat necesse est.* Invertamus potius stilum, dicamusque e contrario, si Richenza in hypothesi Genealogi decrepitæ atque grandis adeo ætatis mulier foret, quare is, aliunde mendosissimus, non etiam hac in parte deseritur? Quare res, quæ nulla ratione subsistere potest, tanto studio, invita licet Minerva, agitatur? Profecto hæc omnia accedunt ad cumulum iis, quæ paullo ante de Richenza, Radebotonis, ac prætensæ Itæ *Lotharingicæ* filia, protulimus, atque Genealogiam Murensem adeo obscuram, atque ineptam probant, ut si eam hoc in loco sequi vellemus, optimis Principibus non nisi confectas ætate, atque adeo decrepitissimas anus, in matrimonium collocare deberemus. Quod æque absurdum ac impossibile est.

pag. 107.

Badenses & Lenzburgenses Comites haud unius familiæ fuisse ostenditur. pag. 108.

XIV. Quæ Adversarius, ad aliud parandum effugium, de stemmate Comitum Badensium atque Lenzburgensium subiungit, hos Comitatus (contra ac P. Herrgottus alibi statuit) uni familiæ paruisse, ficulnea omnino, pace eius dixerim, esse noscuntur. Neque enim coniecturæ inanes documentis indubitatis, qualia affert P. Herrgottus, præstare possunt. Ubi enim nomina gentilitia maxime diversa sunt, ibi & diversas familias constituendas esse, non video, cur quis prudenter dubitet. *Ex monumentis* autem, abs P. Herrgotto productis (a), *præsertim annorum* 1130. 1140. & 1155. *apparet, plures Comites Badenses, istis annis adhucdum superstites, Lenzburgicis, cum quibus simul nominantur, fuisse coætaneos.* Iuvat inde unicum adducere de anno 1140. ubi testes scribuntur Wernharius *Comes de Badin*, atque subsequenti loco Udalricus *Comes de Lenziburg.* Quis vero non

a

(a) Lib. I. cap. VII. §. IV.

non videat, diverſarum ſtirpium Comites hicce prodi, in Inſtrumento nempe, eo tempore conſcripto, quo nomina gentilitia pridem invaluerant? Adde præterea, quod inſignia utriusque familiæ toto cœlo inter ſe diſtincta ſint (a), qua ergo ratione dici poteſt, eſſe unam eandemque Gentem? Niſi enim per nomina & inſignia, non video, quibus adminiculis Nobilium familias inter ſe diſcrimines. Secus enim PETRUM dixeris eſſe PAULUM, BERTAM cum SEMPRONIA iugiter confundes.

Secus, ac Adverſarius ex P. H. verbis contrarium fruſtra evincere ſtudet. pag. 108.

XV. Sed recurrit tamen Adverſarius, more ſolito, ad ſuas coniecturas. Atque cumprimis P. HERRGOTTUM ſugillat, quaſi ille quid ſcripſerit, quod ſibi hac in parte plurimum faveat. *Quo minus enim hinc* (puta quod in Inſtrumentis P. HERRGOTTI duo diverſi utriusque nominis Comites occurrant) *diverſitatem etiam ſtirpium inferamus, vetat ipſa*, inquit P. HERRGOTTI *obſervatio:* „ Illuſtria porro exempla „ habemus, in omni fere genealogia, quod ſæpe filius natu „ maior, facta diviſione paternorum bonorum, vel avitum „ ac gentilitium nomen conſervaverit, vel amiſerit, huius „ vero fratres a regionibus, terris, caſtris, quæ eisdem obti„ gerant, nomina aſſumpſerint (b). „ Fruſtra hæc ſane ab Adverſario in rem ſuam aſſumuntur; nam ut quid probarent, neceſſe eſſet, ut id ipſum etiam in familia Lenzburgica factum fuiſſe oſtenderetur; nam a ſingularibus ad generalia malam eſſe argumentationem docent Logici, adeoque nec argumentum vg: procedit: contigit hoc vel illud in hac vel illa familia: ergo etiam in familia Lenzburgica. Cautius omnino hac in re egit P. HERRGOTTUS, cuius verba eodem loco ſtatim ſubiecta, ſi attentius perlegere voluiſſet Adverſarius, atque penitius inſpicere, hunc forte paralogiſmum, quod equidem in ipſius gratiam optarem, non commiſiſſet. *Quamobrem* (ſapientiſſime monet P. HERRGOTTUS) *in eiusmodi æquivocationibus ac ambiguitatibus, in quibus latens veritas vel ex collatione ſigillorum, quæ uni genti ſimilia, immo ipſiſſima eſſe ſolent (etſi no-*

(a) Vid. STUMPF. lib. VII. c. XXXVII. p. m. 244. adverſa. Adde & ipſum Adverſar. p. 257. ubi Lenzburgenſia inſignia exhibet, a Badenſibus prorſus diverſa.

(b) Proleg. I. §. XIII. not. V.

mina ceteroqui ab ædibus aut caſtris deducta, ſint diverſiſſima) vel ex chartis aliunde petitis erui tuto non poteſt, inter dubias familias huiusmodi nomina Comitum, Nobiliumque collocanda erunt; ne novæ Comitum gentes citra veritatem ex re diplomatica fingantur potius, quam probentur. Ecce quem in finem ſuperiora illa dicta fuerint abs HERRGOTTO, quaque ſollicitudine Lectorem, in re diplomatica minus, ſi quis forte futurus erat, verſatum, admonet, quibus modis nos ab eiusmodi æquivocationibus extricare poſſimus; tantum abeſt, ut cum Adverſario ex diviſione, uti mox audiemus, bonorum, continuo diverſa nomina gentilitia in una eademque familia obtigiſſe exiſtimaverit; *quia ſigilla, quæ uni genti ſimilia, immo ipſiſſima eſſe ſolent*, præcipuum criterium eſſe, erudite ponit, unde vel identitatem, vel diverſitatem familiarum arguamus, quæ inſignia, cum inter Lenzburgenſes & Badenſes, ut oſtendimus, Comites, diverſa ſint, etiam hic loci, præter agnitionem veritatis, nihil reliqui eſſe exiſtimaverim.

Cui neque alterum argumentum, longius quæſitum, conducit. pag. 109.

XVII. Ex his porro facilis eſt reſponſio ad Adverſarii reliqua. Is ex adductis P. HERRGOTTI verſibus *facta diviſione paternorum bonorum* &c. *ſimile quid* in familia *Lenzburgica contigiſſe*, exinde coniicit, quod ex eodem P. HERRGOTTO didicerit, donationem quandam bonorum monaſterio Schœnis anno 1036. & 1045. ab ARNOLDO Comite de Baden & UDALRICO Comite *Lenzburgico* factam fuiſſe, quæ bona, cum eidem *loco contigua & uno veluti ſepto concluſa* ſint, *non facile credendum* putat Adverſarius, *ad diverſas familias, easque tantopere diſtantes ſpectare.* Sed inprimis falſum eſt, Comitatum Lenzburgenſem & Badenſem tanto inter ſe diſtare intervallo, ut incredibile ſit, aut fieri non potuerit, ut Comites Badenſes ulla in eo tractu latifundia poſſederint. Videatur, obſecro, mappa geographica P. HERRGOTTI, nec non Genealogiæ Diglomaticæ libri I. cap. VII. & VIII. ubi certe utrumque Comitatum ſeſe invicem contingere animadvertimus. Et quid demum prohibeat, ut homo primæ nobilitatis, alterius in ditione prædia quædam ne habuerit? Quæ lex, quæ conſtitutio aut conſuetudo veterum contraria, hac de re exhiberi quiverit? Ad hæc, bona iſtiusmodi monaſterio *Schœninges*, ſeu

ſeu *Schœnis* collata ac donata ſunt, non occaſione familiæ herciſcundæ diviſa: cui igitur bono P. Herrgotti obſervatio in ſubſidium vocari poterat; quandoquidem ille non de qualibet tractatione circa bona & latifundia loquitur, ſed de *diviſione bonorum paternorum*, quam Principes ipſi inter ſe ſuſceperint, *hincque avitum & gentilitium nomen* filius natu maior *conſervaverit vel amiſerit*: quis vero ob donationes, monaſterio cuidam factas, talia quædam obtigiſſe exiſtimet, vel inde unitatem familiæ inferre audeat? Conferantur tantum verba P. Herrgotti cum verbis Adverſarii, & ſine ullo negotio utrobique patebit diſcrimen.

XVIII. Denique dato, non conceſſo, Comitatus cum *Lenzburgenſem*, tum *Badenſem* uni familiæ paruiſſe: nullum tamen exinde commodum Adverſario accedere putaverim. Ex ipſius enim mente Richenza, filia Radebotonis, nepoti Ulrici Comitis de *Lenzburg* nupſit, qui Ulricus anno 1077. adhuc, ut diximus, ſuperſtes fuit. Si igitur nepoti iuncta: conſequens eſt, ut filius iſtius nepotis bonam ſeculi XII. partem attigerit. Quæ igitur convenientia factæ diviſionis, ſi quæ eſſet, anni 1036. ad ſeculum duodecimum? Oſtendat Adverſarius, eiusmodi rem contigiſſe cum Arnoldo, & tum demum aliqua, licet exigua, veri ſpecies adeſſet: quam tamen, ut hoc addam, diverſitas teſſerarum, iterum, iterumque ſufflaminaret. Conſtat enimvero ex dictis, cognomina a bonis aviaticis, caſtrisque deducta, prædicto primum ſeculo invaluiſſe. Præterea ex diplomate (a) anni 1150. abunde docemur, genti Lenzburgenſi morem haud fuiſſe, ut Comites alieno Comitatui, ab aviatico diſtincto, dominantes, nomen ſibi aliud quam aviaticum adſciſcerent. Legimus enim inibi verbis clariſſimis; *qualiter contentio & controverſia, quæ fuit inter Eccleſiam S. Blaſii, & cœnobium Schafhuſen de monte quodam, qui Stouphen dicitur, coram nobis ſæpius ventilata, tandem in præſentia advocatorum prædictarum Eccleſiarum, videlicet Ducis Cunradi & Euerhardi Comitis de Nellinburch, præſente quoque Comite* illius provinciæ Rudolfo *de Lenzeburch, iuſſu noſtro terminata eſt.* Mons & villa *Stouphen* diſ-

Immo extra hypotheſin vagari, palam fit.

U 3

(a) Ibid. num. CCXXVII. p. 174.

diſtant a S. Blasio præter propter ſeſqui milliari: provincia, qua de mentio fit, pagus eſt Alpegowe; planum eſt ergo, Rudolfum nomen ſuum ſecundum genium eius ſeculi, qui & hodiedum obtinet, non a Comitatu, quem regebat, ſed a bonis aviaticis aſſumptum geſſiſſe, ac retinuiſſe, Comitatu videlicet Lenzburgensi, etſi eidem non ipſemet, ſed frater eius Arnoldus, ut ex tabulis P. Herrgotti conſtat, præeſſet. Quod ſi ergo eo tempore Comes quidam ex familia *Lenzburgenſi* Comitatum *Badenſem* obtinuiſſet, nihilo minus Comes de *Lenzburg*, non de *Baden*, ſalutatus fuiſſet.

CAPUT XVI.

Paralipomena capitis præcedentis.

Cauſſa huius capitis.

I. ETſi in præcedenti capite ſatis diu hæſitantes, Adverſario non unum ſolverimus dubium; ſuperſunt tamen adhuc non nulla obiecta, quæ nobis inter ſcribendum vel exciderunt, vel certe hunc in locum commodius reiici poſſe, viſa fuerunt. Ut ut ſit, prætervehenda haud ſunt, ne tacentes conſentire videamur, aut Adverſario vel latum hic cedere unguem.

Diluitur I. obiectio, ex ætate & Comitatu Ottonis deducta. pag. 95.

II. Itaque ſub initium huius capitis, ſeu antilegomeni, P. Herrgottum arguit, quod in Inſtrumento anni mxxv. Ottonem *quemdam inſinuari advertens, hunc illico Comitem Habsburgi, eumque* Radebotonis *filium creare non dubitet, quamvis de proſapia huius* Ottonis *nullam in charta illa mentionem reperiſſet; & præterea* Ottonem, *filium* Radebotonis, *etſi inter fratres natu maiorem, eo tempore adhuc minorennem, tantæque provinciæ necdum parem credere debuiſſet, attenta ætate fratris* Wernharii, *qui anno 1096. obiit.*

Hæc ibi. Sed præterquam, quod in conſequentibus demonſtraturi ſimus, uti quidem iam dedimus fidem, P. Herrgotto longe aliam, eamque ſatis gravem rationem fuiſſe, id ſtatuendi, quam quæ hic fingitur: ætas ſane Wernharii aſſerto non obſtat. Primo enim certum eſt, Wernharium fuiſſe natu-minimum. Secundo Radeboto obiit plenus dierum

rum

rum anno 1027. Quæ igitur implicantia, ut OTTO post obitum patris quinque & viginti aut triginta annos natus, Comitatum in *Suntgovia* rexerit? Deinde, etsi ipse P. HERRGOTTUS alicubi dicat (a), *Comites plerumque ex senioribus Nobilium & Optimatum* electos fuisse, exinde tamen non consequitur, ut id semper (aliud enim *tò plerumque*, aliud *tò semper* innuit) & ubique factum fuerit, maxime ubi parentes eadem dignitate pridem pollebant. Nec etiam dicitur, ex decrepitis electos, sed senioribus, id est, talibus, qui sufficienti iudicio præditi fuerant. Ad quod sufficiunt quinque & viginti, aut triginta anni. Quod si hæc negaveris, vah! quantæ ætatis WERNHARIUS fuerit, qui anno primum (nisi ab amanuensi Murensi mendum, ut diximus, commissum fuerit) 1096. obiens, post patris saltem mortem, Comitatum, ut Adversarius supra pag. 137. num. XIII. contendit, rexit, iam tum ex senioribus unus. His si addideris, quæ paullo ante pag. 136. secundum Adversarii hypothesin de ITÆ & RADEBOTONIS ætate diximus, haud gravate intelliges, in quantum Adversarius, hæc adstruendo, inciderit paralogismum.

Itemque II. contra tabulam Geneal. Comitum *Lenzburgicorum* formata.

III. Alio loco stemma Comitum Lenzburgicorum a P. HERRGOTTO contextum (b), impetit, illudque incompletum asserens, filios RICHENZÆ alibi, quam in hac tabula, aut chartis P. HERRGOTTI quærendos esse pronuntiat, etsi eos vel ipse Adversarius nuspiam reperire possit. Fingit ergo alios, quam quos in citata tabula (quæ in una duntaxat generatione imperfecta esse videtur) conspexit, quique haud dubie ipsissimi sunt, quos Genealogus Murensis indicare voluit, sed temporum rationem habens nullam, alios, quam oportuerat, parentes affinxit. Si hoc licet, nescio, quid non liceat. Videatur, obsecro, stemma Lenzburgense, mox adducendum.

Non fallitur P. H. UDALRICO *Lenzburg.* ARNOL-

IV. Ulterius pergens Adversarius, *insigniter falli P. Herrgottum*, ait, ULRICO ARNOLPHUM *ex* HENRICO *filio*, *tanquam sub hoc tempus iam defuncto, nepotem assignando, cum tamen in Instrumento*, eundem in finem laudato, HENRICUS di-

(a) Lib. II. c. IX §. I.
(b) Geneal. Dipl. lib. VI. cap. II. pag. 274. num. III.

phum nepotem ex Henrico filio tribuens. pag. 103.

diſertiſſime adhuc inter vivos adnumeretur. Negat præterea, eundem Henricum patrem Arnolphi eſſe potuiſſe, cauſſam interferens, quod alias Ulricus de orbitate filiorum nec iure conqueri, nec *ex patrimonii ſui in nepotes tranſitu*, *multum moveri* potuiſſet, ſi Henrico filii fuiſſent. Illum ergo improlem fuiſſe exiſtimat, *Ægidio* Tschudio eum *Clericum*, & ipſius Eccleſiæ Beronenſis *Præpoſitum* conſtituente, quemadmodum & Conradum Epiſcopum fuiſſe, aliunde exploratum eſt. Hæc ut remittam, quo pertinent, ante omnia tabulam genealogicam Comitum Lenzburgenſium prout abs Herrgotto, quoad priores generationes contexta, atque ab Adverſario etiam in opus ſuum tranſumta fuit, Lectori ante oculos reducam. Eſt autem huiusmodi:

Ulricus, *Udalricus* Comes 1036.

Conradus Epiſcopus 1036. Heinricus 1036.

Arnolphus, *Arnoldus* 1036.

Omnia, ut vides, ad fidem Inſtrumenti an. 1036., ab ipſo Udalrico conditi, exacta ſunt, eaque nituntur. Oporteret ergo ipſum Udalrici teſtamentum in medium proferre, ſed
a quia id, ex parte ſaltem, ab Adverſario (a), & ante ipſum
b a P. Herrgotto (b) factum iam eſt, excerpta duntaxat dabimus.

Quod ex Inſtrumento ipſo monſtratur.

V. Verum quidem eſt, Ulricus eo in Inſtrumento de Henrico, quaſi etiamnum vivo, loquitur; quippe qui conſtituit, ut is monaſterium Beronis habeat, *quamdiu in hoc ſeculo vivat*: At ſi tam ſubſequentia, quam antecedentia una contendamus, rem paullo aliter ſe habere comperiemus. Niſi enim Conradus & Henricus ille eo tempore, quo teſtamentum hoc confectum eſt, ad plures iam abiiſſent, quo pacto in antecedentibus dicere poterat: *cum omne patrimonium meum, non in filios* (quoniam his orbatus sum) *ſed in nepotes meos ſit tranſiturum?* Nunquid non ſibi ipſi contradixiſſet?

VI.

(a) Vindic. pag. 101.
(b) Tom. II. num. clxxiii. ad an. 1036.

VI. Sed putat Adversarius, hoc ideo fieri, quod uterque statui Ecclesiastico addictus fuerit, HENRICUS nempe Praepositus Beronensis, & CONRADUS Episcopus, ubinam? incognitum. Sed num ideo filiis quis orbatus dici possit, quod illi statum amplexum fuerint Ecclesiasticum, aliis diiudicandum defero. Matres saltem ipsae aliter plerumque sentire videntur. Sed hoc illis relinquamus: ego Adversario alio occurram itinere. Si HENRICUS ille in statu clericali constitutus fuit, quo iure a patre Ecclesiae *Beronensi* advocatus designari potuit? nam ante advocatum designatum fuisse intelligimus, quod ei locum, seu monasterium eo modo atque iure tradiderit, quo deinceps tradidit nepoti suo ARNOLPHO, cui quidem eundem advocatiae iure dedit. Quod utrumque ex sequentibus testamenti verbis planum fit: TRADIDI *enim* --- BERONIS MONASTERIUM *nepoti meo* ARNOLPHO *ea pactione, ut ego habeam eundem locum ad dies vitae meae, & filius meus* HENRICUS *habeat praefatum locum, quamdiu in hoc seculo vivat.* Et nonnullis interiectis: *Notate tam praesentes quam futuri: unus, non omnes, & unus semper heredum praedicti* ARNOLPHI, *qui scilicet de stirpe mea generetur, teneat, atque possideat, ut sit iustus & pius* ADVOCATUS. Habuit ergo HENRICUS filius, aut eidem saltem adpromissus fuit locus ut advocato, quod munus cum eo tempore laicis, non autem viris, in dignitate Ecclesiastica constitutis, competeret (a), consequens est, ut HENRICUS statui clericali minime addictus fuerit, atque adeo ante conditum hoc Instrumentum iam iam obierit. At cur ergo de eodem, perinde ac si viveret, mentio fit in testamento? Quaero & ego, si HENRICUS adhucdum superstes fuit, cur pater statim sub initio conqueritur, se filiis *orbatum* esse?

Nec dici potest, HENRICUM statui clericali addictum fuisse. loc. cit.

VII. Verum enimvero directa quoque responsio difficilis non erit, si modo tempora rite distinguamus. Concluduntur nimirum laudato testamento duae constitutiones, vetus & nova: prima est, qua filius HENRICUS, dum viveret, monasterii & Dominus & Advocatus constitutus fuit, secunda, qua, eodem HENRICO defuncto, ARNOLPHUS, eiusdem filius

Hinc ad Instrumentum recte intelligendum, tempora sunt distinguenda.

(a) Vid. DU CANGE in Glossar. voc. *Advocatus*, ubi hanc rem egregie exponit.

lius, & Ulrici nepos, in locum defuncti plenius atque ex testamento fuit subrogatus. Hinc est, quod Ulricus Testator in antecedentibus tempore præterito utatur, dicens: tradidi *enim supra dictum locum, id est Beronis monasterium* &c. at ubi eandem constitutionem renovat, præsenti sane utitur tempore, præmissa simul formula, quam novæ constitutionis initium esse facile colligimus. Nec enim frustra incipit: *Notate tam præsentes, quam futuri* &c. Subiungit etiam tum primum enumerationem eorundem locorum, quos aut advocatus, aut Canonici possideant, itemque alia, quæ post mortem suam quoad dictum monasterium, servari cupiebat. Ex quibus patet, priora de advocatia filii &c. historice duntaxat referri, nimirum, quod in antea rem quidem cum filio ac nepote sic & sic constitueret; nunc autem eodem fatis defuncto, novam adesse constitutionem, quæ Arnolphum nepotem solummodo contingat. Certe de filio Henrico nihil porro memoratur, nisi de die obitus eius, eo modo, quo deinceps dicemus, totumque Instrumentum ad solum Arnolphum dirigitur, ut quando inter cetera ait: *Si autem ipse Arnolphus, vel aliquis heredum eius, quod absit, locum prædictum, in quantum voluerit, non bene defendat.* Solum NB. appellat Arnolphum, cum tamen ea admonitio pro filio, si vixisset, non minus, quam pro nepote quadrasset; quorum quippe alter altero non minus homo erat. Hanc igitur interpretationem, quum ratio æque ac contextus exigat, facile intelliget amicus Lector, quisnam in laudato Instrumento exponendo felicior fuerit, Herrgottus, an Adversarius? Fallitur hic certe, non ille, & quidem dupliciter: primo, quod tempora Instrumenti accuratius non distinxerit, deinde, quod Henricum statui clericali adscripserit, cum fuerit secularis.

Nec dici potest, Udalrico fuisse tertium aut quartum filium. Ibid.

VIII. Inaniter præterea obtenditur: Arnolphum *ceterosque Ulrici nepotes ex altero quopiam eius filio vel etiam filiis (ut dicto Tschudio hic placet) prædefunctis, esse procreatos;* nam præterea, quod nulla prorsus subsit necessitas, illud adstruendi, etiam nullum prorsus adest aut Instrumentum, aut Auctoris cuiuspiam testimonium, quod commento huic vel mi-

minimum ſuffragetur, quin ipſum etiam ULRICI teſtamentum eidem plane obeſt. Petit enim ibidem ab advocato, *ut in anniverſariis quibusdam, id eſt in die obitus* ſui, *& filii* ſui CONRADI *Epiſcopi, & filii* ſui HENRICI, *pauperes & Canonicos eiusdem loci charitative reficiat.* Quod ſi ergo & alios filios, & quidem defunctos, habuiſſet, an illos hoc in præcepto, pro animarum ſalute dato, præteriiſſet? Si ex hypotheſi Adverſarii, reliqui filii iam defuncti erant, cur non eorum potius, quam vivorum meminiſſet? quandoquidem mortui ſuffragiis Eccleſiæ multo magis indigent, quam vivi. Denique admitte ſemel eiusmodi hariolationes, & antiquus orbis inenarrabili Principum caterva ditabitur.

IX. Eadem pagina, & quidem ſtatim a principio hæc verba profert Adverſarius: *Præter ea, quæ in fidem huius Inſtrumenti* (illius puta, quod mox diſceptavimus) *iam iam præmiſimus:* quæ quidem omitti poterant; legi enim priora non ſupervacanee, at nec iotam, nec apicem inveni, quæ in huius inſtrumenti fidem attulerit Adverſarius: nec etiam eius editorem P. HERRGOTTUM, nec alium quempiam de fide eius unquam dubitaſſe memini. Sed abundet ſuo ſenſu. Brevis alia emendatio.

CAPUT XVII.

Manca & incompleta probatur tertia Genealogi Murenſis progenies.

I. IN tertia progenie duo advertit P. HERRGOTTUS: primum, quod Genealogus Murenſis ex Habsburgicis unicum OTTONEM & ITAM, RUDOLPHO *de Tierſtein nuptam*, prodat, *prætermiſſo* ALBERTO II. *filio* OTTONIS I. Secundo, quod confundat familias de *Tierſtein & Homberg*, dicens: ITA de *Tierſtein, ſive Homberg, genuit* WERNHERUM & RUDOLPHUM, conſtet autem ex chartis ipſius *luce meridiana clarius, Hombergenſem familiam a Tierſteiniana longe diverſam.* Hæc MARQUARDUS. Mancam etiam eſſe tertiam progeniem, oſtendit P. H. Proleg. III. §. XIV.

 II.

Cuius memoriæ lapsus facile removetur.

pag. 112.

II. Notat hic Adverſarius lapſum memoriæ, in quem hic noſter inciderit, OTTONEM I. pro ADELBERTO, WERNHARII II. filio, adſcribens: quemadmodum eidem ſimile quid §. XII. præcedenti, itemque lib. I. cap. IV. §. V. feliciter eveniſſe ait. Hæc emendatio gratiam meretur non modicam, arguitque inter cetera, Adverſarium lectioni Genealogiæ Diplomaticæ incredibili cum induſtria incubuiſſe, id quod non ſolum ex hoc coniicimus loco, ſed & ex pluribus aliis, per integra tria volumina ſparſis, atque in Vindiciarum opus congeſtis. Dolendum duntaxat, quod ut plurimum operam dederit, colligendi ea, quæ vel ſpeciem, ſi quæ ſunt, vel umbram ſaltem erroris præferunt. Facilis autem eſt in opere longiſſimo lapſus, nec ignotum litteratorum axioma: *magnus liber, magni errores.* Sed inde laudi Auctorum nihil decedit, præſertim vero & hic P. MARQUARDO; cum quod de ADELBERTO hoc tenet, ſuo loco, id eſt ibi prodiderit, ubi de progenie illius data opera, non ut hic loci velut aliud agens, tractavit (a), ibidemque ſphalma nullum commiſit. Tantundem dicendum de errore §. XII. commiſſo, ut adeo utrinque lapſum memoriæ eſſe per ſe pateat.

Cum contra Genealogus Mur. purgari haud queat.

III. Iam ut ad rem ipſam veniamus: Adverſarius quoad primum membrum brevibus ſeſe expedit, obtendens, cauſſam, cur Genealogus Murenſis ALBERTUM hunc tam ſicco veſtigio præterierit, dictam iam eſſe. Cum ergo & nos eandem cauſſam nullam eſſe cap. XV. pag. 143. iam iam oſtenderimus, nihil fere ſupereſſe credimus, quam ut amicum Lectorem illuc, ſiquidem rem tanti eſſe exiſtimat, remittamus. Quod vero

pag. 113.

ulterius hic dicit Adverſarius: *culpari nemo poteſt ex arbitraria omiſſione, ſtat ſæpe ſcriptoribus pro ratione voluntas; feruntque ipſi ſibi legem, ultra quam non obligantur; ut adeo ab iis exigere nequeas, quod velis, ſed quod ipſi debeant*, eiusmodi eſt, ut illud nullo cum eiusdem Genealogi commodo dici potuiſſe exiſtimem. Legem utique is ipſe ſtatuit, dandi genealogiam Principum Habsburgicorum; *Iſta eſt*, inquit, *Genealogia noſtrorum Principum*, ſed fidem datam ita negligenter abſolvit, ut, pluribus omiſſis, plures etiam immiſcuerit,

(a) Lib. II. cap. V. & VI. Vid. etiam Indices.

rit, qui ad institutum minus pertinebant, ut vg: filios & nepotes RICHENZÆ *de Lenzburg*, qui utique ex familia aliena propagati, non potuissent modo, sed & debuissent ex toto negligi. Legisset, utinam! accuratius *Actuarium*, CONRADUM (dico) de S. BLASIO, forte utrumque nostrum magno levasset labore. Culpari certe meretur, qui genealogiam tantorum scripturus Principum, huius progeniei recenset omnes, alterius præterit, uti citato loco iam iam monuimus; hinc quævis etiam levis omissio ægre ferri potest, maxime filiorum adultorum. Sed demus Genealogum istum innocentiorem esse METELLO, eo ipso tamen, quod nonnullos, quo demum cunque id titulo factum fuerit, omiserit, non omne tulit punctum, sequiturque, eundem, vel ideo, quod mancus & imperfectus sit, subsidiis, adminiculisque, aliunde petitis, puta Diplomaticis, indigere; partim, ut, quæ vera dixit, elucescant; partim ut fidem & authentiam, propria culpa amissam, recuperet. Hinc semper redit, quod volumus, eum ex se & per se ad rem tanti, *quanti est Genealogiam Habsburgicam condere*, non sufficere.

IV. Alterum huius paragraphi membrum maioris momenti iudicat Adversarius, & est etiam; inde enim exemplum denuo locupletissimum videmus obscuritatis, quam Genealogus iste, fatente GENDERIO (a), licet alioquin eiusdem defensore ardentissimo, fere ubique præfert. Quis enim vg: intelligi cupiens, unquam sic locutus est: ITA *de Tierstein sive Homberg, genuit Wernherum & Rudolfum de Habsburg?* Idem enim est, ac si dicerem: MARIA THERESIA *Habsburgica*, sive *Lotharingica*, genuit LUDOVICUM XIV. Regem Francorum, quanquam id minus adhuc claudicet; quum MARIA THERESIA, PHILIPPI III. Regis Hisp. filia, revera etiam ab ATHICONE, qui utriusque Domus, tam *Habsburgicæ*, quam *Lotharingicæ*, apex erat, descendat. Quidquid ergo excuset GUILLIMANNUS (b), qui ob vicinitatem castrorum utriusque nominis denominationem ab utraque familia desumi obtendit: quidquid reclamet Adversarius, æquivocatio nulla ratione tolli potest.

Qui familiam Hombergensem cum Tiersteiniana confundens, obscurissimus sit.

X 3 V.

(a) Apud Adversar. P. I. c. II. p. 14. & apud nos pag. 17. seqq.
(b) In Habsburg. p. 206.

Quæ obscuritas nulla ratione tolli potest. pag. 113.

V. Contendit quidem idem Adversarius, ex tabulis genealogicis, ad quas hic provocat P. HERRGOTTUS, haud consequi, quod voluerit, nempe *Hombergensem familiam a Tiersteiniana longe diversam esse.* Adducit hunc in finem genealogicas tabulas, a P. HERRGOTTO confectas, *Hombergensem* scilicet & *Tiersteinianam*, ubi cum observasset, in priori illa primum locum dari WERNHARIO & RUDOLFO, ex chartis annorum 1125. 1141. & 1144., in posteriori vero vetustiorem non occurrere RUDOLFO *de Tierstein* ex charta anni 1212., continuo subinfert, ex iis tabulis non confici, alteram familiam diversam fuisse ab altera eo tempore, quo ITA nostra *de Tierstein* floruit. Nam easdem tabulas non obstare, quin huius ætate una eademque familia modo de *Tierstein*, modo de *Homberg* cognominata fuerit, fierique potuisse, ut *ævo demum posteriori* in duas familias abierint, *a suo quamque dominio distinctas.* Hoc effugium cum non satis patere animadverteret, ad aliud statim recurrit, ac Genealogum suum apte explicari putat: si ITAM *primis nuptiis Thiersteinio, secundis autem Hombergensi Comitibus iunctam dicamus;* hac quippe ratione eam sine errore de *Thierstein* sive *Homberg* recte vocatam. Vel dici posse: ITAM hanc, ex stemmate *Thiersteinianam*, ex primis autem nuptiis *Hombergicam* fuisse, aut vice versa. Hæc sunt Adversarii hac de re meditata. Poterat autem & tertium parari effugium, dicendo: ITAM hanc utriusque castri ac dynastiæ Dominam fuisse, atque modo ITAM *de Thierstein*, modo *de Homberg*, appellari se passam. Una enim semel admissa, eodem iure & secundæ & tertiæ, & fortasse pluribus quoque aliis locus dandus est excusationibus. Verum hoc idem etiam signum est infallibile, locum ingenti circumfusum esse obscuritate, ita, ut, quo studiosius eidem lucem affundere conamur, eo maioribus identidem palpitemus in tenebris, adeoque Ariadneo filo opus esset, ut evaderemus. At hoc totum id est, quod volumus, Genealogum nempe non posse intelligi.

pag. 114.

Cum certum sit, familias esse diversas.

VI. Ut vero Adversario directe respondeam, ex tabulis P. HERRGOTTI Genealogicis omnino consectarium esse contendo, *Hombergensem* & *Thiersteinianam* familias omnino diver-

verſas eſſe. Redit autem hoc loco idem argumentum, quod ſuperius ad demonſtrandam diverſitatem familiarum *Badenſis* & *Lenzburgenſis*, non ſine felici, ut puto, eventu, impendimus (a). Ubi enim diverſa occurrunt familiarum nomina; a diverſas quoque familias eſſe tamdiu tenemus, quamdiu non probatur contrarium: ut alia, ibidem adducta, taceam. Porro familiam *de Dierſtein* (T. in D. & vice verſa ſæpius commutatum fuiſſe ab antiquis, conſtare puto) ſeculo iam undecimo, id eſt circa annum MLXXXII. (& quis ſcit, an non longe antea?) floruiſſe, ex Actuario noſtro diſcimus (b). b *Venit huc*, ait (WERNHERUS Comes) *in vigilia S.* MARTINI *unacum* GISILBERTO, *Abbate de cella Sancti* BLASII --- *aliis quoque Principibus*, *id eſt* RUODOLFO DE DIERSTEIN, *nec non* BURKARDO *Comite de Nellenburg* &c. Subiungit autem pluribus interiectis: *Hæc autem omnia facta ſunt anno* MLXXXII. Compertum itaque eſt, familias haſce diſtinctas fuiſſe; ut adeo iam nihil egerit Adverſarius argumento ſuo primo.

Incertum contra intervenisse matrimonium.

VII. Eodem fere modo reſpondendum ducimus ad ſecundum: ſcilicet matrimonia illa probanda primum fuiſſe, & tum forte excuſatio locum inveniſſet, ſecus ſentiendum, ubi meræ indulgetur hariolationi.

Infirmitas argumenti adverſi aliunde monſtrata;

VIII. Quod ſi porro omnia Adverſarii hæc ultro admitteremus, non tamen video, quid Genealogum iuvarent. Damus enim, non duas, ſed unam fuiſſe familiam, aut nuptias dicto modo eveniſſe; ſemper tamen verum manebit: Genealogum hoc loco ita obſcurum eſſe, ut a nemine poſſit intelligi; idque eo ipſo, quod eiusmodi coniecturis & hariolationibus opus ſit, ad eum interpretandum: cum contra, ſi Scriptor perſpicuus atque luculentus fuiſſet, additione unius, aut paucarum vocularum, totam hanc diſputationem pulcherrime occupare potuiſſet, dicendo vg: ITA *de Tierſtein vidua NN. Comitis de Homberg genuit* &c. Sed id cum non fecerit, tenendum omnino, eundem perturbationis eſſe auctorem.

IX.

(a) Cap. XV. pag. 154. ſeqq.
(b) Pag. 23. autogr. p. 8.

Ut adeo Adversario lætitiæ caussa nulla superfit. pag. 115.

IX. Quod superest, non satis percipio, quid sibi ultima huius capitis velint, ubi Adversarius: „ *Ceterum*, inquit, *gaudemus*, *P.* Herrgotto, qui *tantum obscuritatis & tenebrarum* hic *stemmati Habsburgico allatum* causatur, „ hunc luminis defectum suppleri lib. II. cap. IV. §. I. ubi, „ non obstante prætensa illa familiarum confusione, fatetur „ ipse: *Si Actorum Murensium auctoritati fidem hic arbitramur, gradus iste genealogicus maiorem adhuc claritatem adquiret; siquidem tabula genealogiæ, Actis Murensibus præfixa, adserit: quod* Ita *de Thierstein sive Homberg genuit* Adelbertum, Gertrudem *de Mumpelgard*, Richenzam „ *de Fierrito.* „ Hæc, inquam, quo tendant, non satis intelligo, nisi forte gaudium isthuc inde enatum sit, quod P. Herrgottus fortassis non satis constanter locutus videatur, hic quasi emendans, quod alibi affirmaverit. Verum enimvero illud nequaquam sufficientem lætitiæ caussam existimamus; cum, hisce non obstantibus, Genealogum Murensem neque hic, neque alibi, ab obscuritate atque familiarum confusione absolvat, uti mox videbimus. Alia tripudiandi caussa si subest, eam, ut dixi, nulla potui assequi diligentia.

Dicta cap. IX. obiter confirmata. pag. 113.

X. Paene exciderat, quod Adversarius non longe post initium huius sui capitis XIV. his verbis prodidit: *Nobis Clar. P. vix persuadeat Genealogum contemporaneum ignorasse, quo cognomine venerit* Ita, *mater hic dicta* Wernheri *&* Rudolfi. Paene, inquam, hæc exciderant, etsi recte & apposite dicta sint; egregie quippe confirmantia id, quod cap. XI. de ætate Genealogi Murensis diximus; hoc ipso enim, quod in multis rebus continuo, ut videmus, fallit & fallitur, consequens est, ut personis, quarum genealogiam contexit, longe inferior sit. Cum ergo Adversario, haud fieri posse, persuasum sit, ut Genealogus quispiam contemperaneus, res & stemmata sui temporis ignoret: persuaderi sibi e contrario sinat, necesse est, Genealogum suum Murensem Itæ de *Thierstein* sive *Homberg* non fuisse *contemporaneum*, sed adeo remotum, ut nec ipse, nec alius sibi coætaneus, amplius rescire potuerit, utrum hæc Ita ex familia de *Homberg*, vel *Thierstein*, prognata fuerit.

CA-

CAPUT XVIII.

Quid de quarta Genealogi Murensis progenie sentiendum, disquiritur.

„ I. QUarta progenies ortum ducit, ait P. HERRGOTTUS, „ a WERNHERO, cui iungit ADELHEIDEM uxorem „ EMICONIS *de Hunneburg*: aliam porro, illamque „ lineam constituit. ITA, inquit, *de Thierstein, sive Hom-* „ *berg, genuit* WERNHERUM, & RUDOLFUM *de Habsburg.* „ Atenim res hæc in manifesto errore deprehenditur; nam ITA, „ filia Comitis WERNHERI *de Habsburg*, *Thiersteinio* nupta, „ seu, ut loquitur Scriptor, *Ita de Thierstein, sive Homberg*, „ utique non genuit *Wernherum & Rudolfum de Habsburg*; „ quandoquidem monumentum nostrum anni MCXLV. num. „ CCXXV. solummodo de WERNHERO, filio OTTONIS, lo- „ quitur, qui WERNHERUS unicus quoque propagator stir- „ pis Habsburgicæ existit; uti rem istam clare ostendam lib. „ II. cap. IV. „ Hucusque P. HERRGOTTUS.

I. error Genealogi Mur. de stirpe WERNHERI II. Proleg. III. §. XV. in IV. progenie.

II. Quod in hac recensione Adversarium nostrum præcipue ac unice offendit, illud est, quod Genealogum Murensem, WERNHERO II. duos filios assignando, manifeste errasse dicat: *Interpretem*, ait, *non recusant hæc verba, sed neque iudicem admittunt præcipitem.* Sententiam itaque abs P. HERRGOTTO præcipitatam existimans, ex eodem quærendum monet; „ quænam ipsi ex mente Genealogi Murensis sit ITA „ *de Thierstein*, sive *Homberg*, mater quidem WERNHERI „ & RUDOLFI *de Habsburg* hic dicta? secundo: quemnam „ WERNHERUM, stemmatis Habsburgici propagatorem, illud „ huius quæstionis pronomen decisivum IDEM appellet? an „ WERNHERUM proxime antecedentem, modo dictæ ITÆ fi- „ lium? „ Adducit deinde verba ECCARDI, a P. HERRGOTTO adoptata, quibus declaratur, Genealogum Murensem hoc modo interpretandum: ITA *de Homberg genuit* WERNHERUM & RUDOLFUM (scilicet ex WERNHERO) *idem* WERNHERUS

Quem licet Adversarius, præeunte ECCARDO, recte interpretetur, pag. 117. pag. 118.

HERUS (ex alia coniuge) *genuit* ADELBERTUM, GERDRUDEM
a *de Mumpelgard*, RICHENZAM *de Fierrito* (a).

Obſcuritatem tamen tollere nequit;

III. Acceptamus hæc: at ex ipſa illa interpretatione clariſſime videmus, quam vere paragrapho præcedenti dictum ſit a P. HERRGOTTO: *quin ex aliis duobus locis* (hæc ipſa intelligit) *liquido apparet, quantum obſcuritatis & tenebrarum is attulerit Habsburgico ſtemmati, qui merum lumen ei ſe adhibiturum ſpoponderat.* Huic enim effato, ut aſſenſum præbeat æquus rerum æſtimator, nulla alia re opus eſt, quam mox allegata Cl. ECCARDI verba rite perpendere. Neque enim is lucem Genealogo affundere opus habuiſſet, ſi ille aliunde intelligi poterat. Et reipſa ſic eſt. Adducamus duntaxat integrum Genealogi ſyſtema, prout Actuario præfigitur, & res, quam dico, manifeſta erit: *Ita de Habspurg genuit Wernherum II. Comitem, & Richenzam de Lentzburg. Wernherus II. genuit Ottonem II. & Itam de Tierſtein. Otto II. genuit Wernherum III. & Adelheidem de Hunneburg. Richenza de Lentzburg genuit Arnoldum, Couno Comitem, Wernherum de Baden. Rudolfus genuit Hunbertum, Uodalricum, Arnoldum, Ruodolfum & ſorores eorum. Arnoldus etiam de Baden filius Richenze de Lentzburg genuit Richenzam de Chiburg. Ita de Tierſtein ſive Homberg genuit Wernherum IV. & Ruodolfum de Habspurg.* IDEM *Wernherus III. genuit Adelberctum, Gerdrudem de Mumpelgard, Richenzam de Fierrito.* Hæc Genealogus Murenſis; ubi id ſolum notandum: numeros tribus hiſce WERNHERIS, nec non OTTONI II. in Genealogo ipſo non reperiundos, a me ipſo maioris claritatis ergo, ex mente cum ECCARDI, tum Adverſarii, quin & ipſius P. HERRGOTTI, adiectos eſſe; quos qui legerit, in ultimo plane verſu mendum irrepſiſſe, proque *idem* WERNHERUS III. legendum eſſe WERNHERUS IV. putabit; quippe quod is proxime præceſſerit. Sed erras tota re, quisquis ita iudicas. Hic enim ex mente Adverſarii, aliorumque, ad reſtituendum genealogiæ ordinem, non WERNHERUM proxime antecedentem, hoc nomine quartum, ſed illum, qui dudum præceſſerat, WERNHERUM tertium, filium OTTONIS II., ac

ITÆ

(a) ECCARD. Orig. Habsb. lib. II, cap. VI.

ITÆ *de Tierstein*, fratrem uterinum accipere debes; etsi id contra omnes regulas Grammatices adeo pugnet, ut quod maxime. Præterea per ITAM *de Tierstein* sive *Homberg*, quæ in antepenultima stropha nominatur, cave intelligas ITAM, hoc nomine primam, superiori loco ante OTTONEM II. nominatam; sed aliam omnino, ex sanguine vel *Tiersteiniano* vel *Hombergico* cretam. Nam etsi utramque simili ac eodem appellet cognomine *de Tierstein*, ad hoc tamen, ut Genealogum Murensem ab errore absolvas, necessarium est, ut statuas, alteram, eamque priorem illam, ex sanguine *Habsburgico*, alteram ex *Hombergico* vel *Tiersteinensi* descendere; quanquam, qua ratione hoc ultimum explicari debeat, nondum, ut paullo ante vidimus, in comperto sit. Illam autem explicationem Genealogi evincit hæc tabula stemmatica, ab ECCARDO concinnata, atque ab Adversario hunc in finem demum producta:

WERNHERUS II.		RICHENZA de Lenzburg.
OTTO II.		ITA de Tierstein.
WERNHERUS III.		ADELHEIDIS de Hunneburg.
Ex ITA de Homberg		Ex GERTRUDE
WERNHERUS IV.	RUDOLFUS.	ADELBERTUS III.

IV. Hoc modo Genealogum interpretatur Cl. ECCARDUS. At ego æquos rerum æstimatores obtestor, ut edicant, quid de hac interpretatione sentiant? Quis unquam in Auctore veteri, vel novo, ut ut longe ineptissimo, legit, τὸ IDEM hoc modo adhiberi posse, vel unquam adhibitum fuisse, ut quam longissime ad superiora referatur? ego saltem talem nondum vidi, nec, credo, me visurum, præter hunc unicum Murensem Genealogum. Idem dicendum est de ITA *de Tierstein*; si enim clarus & perspicuus esse voluisset vel potuisset, aut superior, Tiersteiniano licet nupta, ITA Habsburgica appellanda fuisset, aut inferior, Habsburgico elocata, Tiersteiniana, vel Homburgica vocari haud poterat. Sane nisi chartæ & diplomata, atque Instrumenta, aliunde accersita, viam ostenderent,

Nec exoticum scribendi modum regere.

derent, lyncei oculi haudquaquam perviderent: Itam de *Tierstein* sive *Homberg*, ex Wernero, qui longe superius memoratus est, Wernerum itidem & Rudolfum genuisse. Animadvertit hæc omnia Cl. Eccardus, etsi eum Adversarius pro re sua excitare non dubitaverit. *Si notes saltem*, inquit, *Genealogum* confudisse Itam *de* Tierstein, *sive* Rudolfo *Thiersteinensi Comiti nuptam*, *&* Wernero II. *Habsburgico natam*, *cum* Ita *Hombergensi*, Wernero III. Werneri II.
a *nepoti coniuncta*, *omnia se bene habent* (a). Confudisse, ait, quod error est insignis, atque supremæ obscuritatis signum est. Quare & id dicendum, fatendumque: adhibitam ab Eccardo fuisse medicinam Genealogo Murensi ultimam, nec non & ab adoptante eiusdem verba, P. Herrgotto, ita quidem, ut Prisciani, castæque Latinitatis regulis insuper habitis, ab artis salutaris legibus haud parum abscesserint; quod quidem cum hominibus conclamatæ valetudinis tentari possit, secus ubi solita via salus parari posse speratur. Neque tamen & id licuisset, nec cordatis viris fidem fecissent, nisi monumenta, aliunde conquisita, monstrassent, ut alibi dicemus, viam; & nisi uterque artis criticæ regulis imbutus, medium invenisset, eidem subveniendi. Frustra er-
pag. 115. go gaudet in fine capitis præcedentis Adversarius, cum videt, quod P. Herrgottus alibi, id est in decursu libri secundi, Genealogum Murensem benignius habet; quam in prolegomeno III. Hic enim examinandus erat, prout merebatur, interpretandus, prout loquebatur, & id quidem citra dispendium veritatis: alibi vero, ubi locus erat, eundem illustrandi magis, quam sub incudem revocandi: gratia eidem summa facta est, quod, monumentis viam monstrantibus, curatus sit, & quomodo demum benigne interpretari posset, ostensum. Verum hac de re alibi uberius.

Non iuvat porro particula disiunctiva sive. pag. 121.

V. Eadem via occurrendum ducimus Adversario, cum hic missum, priori capite iam illatum, denuo affert. *Quod si Clariss. viri*, inquit (Eccardum atque Herrgottum intelligens) *æque expendissent sensum coniunctionis* sive, *quæ certa quadam ratione disiunctiva est*, *haud sane voluissent*, *a Ge-*

(a) Loco mox citato.

Genealogo Murensi Itam *Habsburgicam*, *Thiersteinio nuptam*, *cum* Ita *Hombergensi diversa confusam*. Enimvero hæc tum demum locum habere viderentur, si de nuptiis huius Itæ, quam Adversarius, ex familia *de Thierstein* exortam, primum *Hombergico* cuidam Comiti, deinde vero Wernhero *Habsburgico* iunctam: aut vice versa, ex familia *Habsburgica* natam, primum *Thiersteinio*, dein *Habsburgico* elocatam auguratur, constaret. Secus enim quis particulam hanc pro coniunctiva agnoscat, cui disiunctivæ vim & virtutem ubique inesse tam certum est, quam quod certissimum? (a) a

Nec exemplum, a P. Herrgotto mutuatum.

VI. Exemplum, quod hic porro ex P. Herrgotto de duplici matrimonio Richenzæ *Lenzburgicæ* producit Adversarius, parum ad rem facit; ut enim hoc statueret ille, verba ipsius Genealogi (ut de chartis huic rei si non suffragantibus, non contravenientibus saltem, nihil dicam) exigebant, ita sonantia: *Richenza de Lenzburg genuit Arnoldum*, *Chouno Comitem*, *Wernherum de Baden*. Priores duo sine addito Comites dicuntur; sicubi vero tertius *Comes de Baden* vocatur, signum est vix non infallibile, illos ex priori coniugio Comitis, nempe Udalrici *Lenzburgici*, prognatos, hunc ex Comite quodam *de Baden;* maxime cum Lenzburgica, ac Badensis diversæ familiæ fuerint, ut alibi ostendimus. Nihil horum in præsentia. Sed de Richenza illa satis superque dictum est in præcedentibus. Iudicent nunc, quibus iudicare lubet, an non recte dictum sit a P. Herrgotto: *res hæc in manifesto errore deprehenditur.*

CAPUT XIX.

Inspicitur V. & VI. Genealogi Murensis progenies.

De V. progenie censura P. H.

I. Coniungimus hic duas P. Herrgotti sectiones, atque adeo duo Adversarii capita. Cum enim parum contra hasce progenies, prout a Genealogo propositas, excipiat ille: parum etiam opponere placuit huic. Brevibus

(a) Vid. Borrich. Vindic. p. 233.

Proleg. §. XVI. in V. progenie.

expeditur quinta progenies a P. HERRGOTTO, dicente: *Quinto loco Adelbertus proavus Rudolfi Rom. Regis, item Gertrudis & Richenza collocantur; nostra monumenta solum Adelbertum produnt, ut citato lib. II. cap. III. videbimus.* Ut ut hæc, quemadmodum & pleraque alia, recte & sine alicuius præiudicio dicta sunt a P. HERRGOTTO, habere tamen sibi visus est Adversarius, quod vel per coniecturam etiam carperet.

Itemque Adversarii, pag. 124.

II. *Quamvis ergo, quod contra progeniem istam positive opponat*, ait, *non habeat* P. HERRGOTTUS, *ægrius tamen in consortium fratris admittere videtur, quas Genealogus Murensis illi sorores iungit, Gerdrudem & Richenzam.* Et, nonnullis interiectis: *Nolit utique* P. HERRGOTTUS *ex defectu suorum diplomatum abundare Genealogiam nostram; cum alioquin fœminas inde excludere oporteret omnes, ad unam & alteram usque, ne ipsa quidem* ITA *Lotharingica, augusti stemmatis protogenitrice, excepta.*

Quomodo accipiendæ?

III. Sic omnino res se habet: Nec sorores has ADELBERTI, nec alias quoque fœminas, Genealogo vestro memoratas, stemmate Habsburgico exclusas vult P. HERRGOTTUS. Licuerit tamen Lectorem docuisse, quid chartæ prodant, quid Genealogus, cui hanc additionem tantum abest, ut exprobret, ut potius sectione XVIII. eius rei rationem in ipsas chartas reiiciat, monendo: *raro enim uxores ac filiæ Comitum Habsburgensium in chartis occurrunt, cum econtra fratres ac filios eorundem passim nominatos habeamus.* Reliqua huius capitis in refellendo GUILLIMANNO, præeuntibus ECCARDO & HERRGOTTO, immo ex parte etiam Abbate *Dominico* TSCHUDIO, absolvuntur, quæ cum nihil ad nos, nolumus etiam nostram immittere falcem.

Septima progenies iam expedita.

IV. Ampliora nonnihil sunt, quæ capite sequenti XVII. afferuntur; nam licet P. HERRGOTTUS contra ipsam progeniem sextam, qua de ibidem agitur, nihil moveat, quin potius eandem *bene se habere* dicat; quia tamen, occasione ita ferente, nonnulla ad PEIRESKII commentarium animadverterat, excitavit in se Adversarii *Vindicias.* Denuo nempe

hic

hic redit quæstio illa de diversitate stili, quam laudatus PEIRESKIUS in Genealogia, Actis Murensibus præfixa, deprehendere sibi visus est; quam coniecturam cum ficulneo, immo nullo prorsus fundamento, niti, iam alibi dictum sit (a): tum vero pretium atque robur argumenti, a P. HERRGOTTO hoc loco producti, eadem opera ostenderimus, rem hanc modo intactam relinquimus. Unum tamen adhuc levi brachio attingere liceat. a

V. Terminavit P. HERRGOTTUS paragraphum hunc XVII. hisce verbis: *Nobis quoque videtur, operæ pretium non esse, hoc* PEIRESKII *placitum, seu verius* COMMENTUM, *pluribus refellere.* Offenderunt hæc Adversarium. *Quare attentis*, inquit, *tam* PEIRESKII *observationibus, quam notionibus nostris, quas nuper pro eius sententia adduximus, æquiori submittimus iudicio, num hoc* PEIRESKII *placitum tanquam commentum, vacuique cerebri partus, iure exsibilari mereatur?* Ego vero non video, quo pacto verba HERRGOTTI Adversarium adeo irritare potuerint. Si enim notionem vocabuli *commentum* recte accipiamus, videbimus, nullo modo tam malum esse. ut tam parum benigna interpretatione exaggerari meruerit. Scimus quidem, *commentum* & *figmentum* sibi ut plurimum affinia esse: at prius illud etiam pro *invento laudabili* recte accipi posse, ac subinde debere, æque notum est; quam in rem insignis locus extat apud FLORUM (b): *Apud* REGILLI *lacum*, inquit, *dimicatur, diu Marte vario, donec* POSTHUMIUS *ipse Dictator signum in hostes iaculatus est* (NOVUM ET INSIGNE COMMENTUM) *uti peteretur cursu.* Eodem fere modo BACHUM, vini inventorem, *commentorem* appellavit OVIDIUS. *Luce sua ludos uvæ commentor habebat* (c). Puto autem ad eiusmodi inventa *vacua cerebra* haudquaquam apta esse, sed quibus maxime pulchra insideat anima, nec crasso sub cœlo nata sint. Eo igitur sensu recte dici potuit: hoc esse PEIRESKII *commentum*, cum revera primus fuerit, qui diversitatem stili animadvertisse sibi visus est. Quod si vero etiam

Vocabuli *commentum* notio.

pag. 130.

b

c

(a) Hic supra cap. XI. num. VII. pag. 93. seqq.
(b) Lib. I. cap. XI.
(c) Fastor. III. v. 758.

etiam hic pro mero figmento vocabulum illud usurpatum fuisset, graviter ideo peccatum haud fuisse existimaverim; cum id etiam sine culpa fieri potuerit. Nam aliquando etiam bonus dormitat HOMERUS, ac facile sit, ut quis IUNONEM tenere ratus, nubem amplectatur.

Anonymus Mur. ex solo veritatis amore exagitatus. pag. 131.

VI. Ultima huius capitis verba sic habent: *Sed neque primarii nostri Scriptoris lucubrationes ad medium circiter seculum XII. reponendo, prævidere poterat* (PEIRESKIUS) *fore, quorum tantum intersit, hanc Actorum Murensium ætatem, cum fide & auctoritate eorum diminutum iri.* Cum de fide & authentia Genealogiæ & Actorum Murensium tractatum est, nemini adhuc in mentem venit, eorundem Auctorem ad incitas demittere: id duntaxat dignum & iustum fuit, ut quo loco habendus sit, demonstraretur. Etenim *refert*, *quo fonte bibatur*; quare ad *gradum* & *locum* suum restituendus erat. Nos certe cum primum has *Vindicias* accepimus, mirari satis non potuimus, unius aut duorum Auctorum tentatam, aut labefactatam nonnihil fidem, tantos excitasse clamores: cum nos contra in similem seculi XIII. aut XIV. Scriptorem, *Libri Constructionis*, id est, *Originum San-Blasianarum* auctorem, id iuris exercere nulli ducamus religioni: certatim eius errores, aut umbras etiam errorum insectando; eo duntaxat fine, ut aliquando veram & sinceram monasterii nostri condamus historiam. Quanto ergo magis id agendum est in genealogia summorum in terris Principum? Litandum veritati ubique est, cumque Neoterico illo (a) canendum:

a

Te, VERUM, *in magnis rebus, pariterque minutis,*
Nocte dieque mihi quaerere dulce fuit.

Etsi ergo feliciter detexerim, atque modo persuasissimus sim, Actuarium illum origine, atque solemni votorum nuncupatione, fuisse San-Blasianum; id tamen non efficiet, ut a proposito, atque invento semel veritatis tramite, vel latum unguem discedam: errasse eum in iis, quæ de ITÆ *Lotharingicæ* prosapia memoriæ prodidit, constantissime, dum contrarium non probabitur, tenens. Nostra itaque nunquam interfuit, ut ostenderemus, Scriptorem hunc in multis tam enormiter

(a) Cl. C. A. HEUMANNO Conspect. Reipub. lit. p. m. 32.

miter peccasse; quin potius, ut factum non fuisset, optaremus; ne tanti viri cieremus *Vindicias*. Nec Blasiani, aut Blasianus P. HERRGOTTUS primus fuit, qui id susciperet; præventus quippe ab aliis, ac præsertim Reverendiss. Abbate CALMETO, ut cap. I. & III. vidimus.

CAPUT XX.

In scenam producitur septima & octava Genealogi Murensis progenies.

„ I. IN progenie VII. hæc expedita sunt, inquit P. HERRGOTTUS, & ab Auctore schematis haud male notata: nempe ALBERTUS IV., RUDOLPHUS iunior, WERNERUS, HELWIGA, & GERTRUDIS, a RUDOLFO III. Comite de *Habsburg* ex AGNESA de *Stouffen* descendentes. Ubi tamen adnotare placet, quæ Auctor huius Genealogiæ de prole fœminea, earumque nuptiis cum *Frobergensibus*, *Lenzburgensibus & Liningensibus* Comitibus retulit, ex Instrumentis nostris non impugnari quidem, at ex iisdem neque confirmari; raro enim uxores ac filiæ Comitum Habsburgensium in chartis occurrunt, cum econtra fratres ac filios eorundem passim nominatos habeamus. Nostra quidem monumentorum collectio duos solum prodit, ADELBERTUM, patrem RUDOLPHI Rom. Regis, & RUDOLPHUM *Taciturnum*.

Iudicium P. H. de septima Gen. Mur. progenie ut ut benignum, Proleg. §. XVIII. in VII. progenie.

II. Hæc P. HERRGOTTI verba quis non innocua, neminique gravia reputaret? sed placuit tamen Adversario varia ad ea reponere; ac primo quidem loco, eo ipso, quod hæc P. HERRGOTTO expedita videantur, eundem agnoscere iubet, *inde defectum chartarum suarum suppleri, atque adeo subsistere etiam ea, quæ ex suorum collectione monumentorum non confirmantur; utpote in quibus non modo de Helwiga & Gerdrude, harumque matre Agnesa, verum etiam de tertio huius Rudolfi filio Wernhero altum habetur silentium.* Adducit deinde & alium locum, ubi P. HERRGOTTUS lib. IV. de RUDOLPHO seni-

Non tamen effugit Adversarii censuram. pag. 132.

ſeniore agens, oſtenſis ope chartarum ADALBERTO, ac alibi RUDOLPHO iuniore, eius filio, nullam pergendi moram retardare aſſerit, etiamſi dictum WERNHERUM, nec non ſorores eius HELWIGAM & GERTRUDEM in monumentis ſuis oſtendere haud queat. His enim auctoribus ſententiam ſuam
pag. 133. probandam ſe relinquere. Reprobat Adverſarius & hoc, cauſſam interponens, quod quemadmodum P. HERRGOTTUS dubitet: „ prædictam trinam RUDOLPHI ſenioris prolem ſtemmati Habsburgico inſerere atque calculo reſoluto ſubſcribe„ re ſententiæ, quam tenent alii, Auctorem quantumvis Ac„ torum Murenſium ſecuti: ita & eodem titulo alibi quoque „ GUNTRAMNUM, KANZELINUM & RADEBOTONEM omitten„ dum fuiſſe, quod de iis non aliunde, quam ex Actis Mu-
pag. 134. „ renſibus conſtet. „ Idem dicendum eſſe de OTTONE I. & ADELBERTO I. quos P. HERRGOTTUS ſuperius §. XIII. a Genealogo Murenſi omiſſos exprobret," cum tamen & ipſe eorundem ſtemma ex Actuario ſolummodo Murenſi petere lib. II. neceſſe habuerit: *ut adeo iſtorum auctoritate maiorem neque ab aliis Scriptoribus requirere debeat, ad probandam, quam illi, Auctorem eorundem Actorum ſecuti, profitentur ſententiam, de numero prolium Rudolfi noſtri.*

Defectum chartarum necquiquam cauſſantis;

III. Duplici, aut, ſi mavis, triplici huic obiectioni perfacile occurritur; quod antequam faciam, non poſſum non ingenue prodere, quod admirationi mihi ſit, cur Adverſarius nec laudem nec vituperium, a P. HERRGOTTO Genealogo Murenſi tributum, ferre queat? *Mancum* & hiulcum eſſe dicit, indigne fertur: *ſeptimam progeniem* ab eodem *haud male notatam* aſſerit, fertur itidem indigne, ſicque nec paci nec bello locus eſt. Iam vero ut recto gradu procedam, quo-
cit. pag. 132. ad primum nego & pernego, ex verbis P. HERRGOTTI conſectaneum eſſe, ac inferri potuiſſe: *defectum chartarum ſuarum inde*, id eſt, ex Genealogo Murenſi *ſuppleri, atque adeo ſubſiſtere etiam ea, quæ ex ſuorum collectione monumentorum non confirmantur.* Certum eſt namque, & ipſa P. HERRGOTTI verba evincunt, quod cum ſeptimam progeniem expeditam eſſe dixit, id non niſi de iis perſonis intelligi voluiſſe, quam quarum in monumentis eiusdem ſit mentio. Nonne enim,

enim, cum illam a Genealogo bene notatam pronuntiasset; contra fœminas, eodem versu memoratas, excipit hisce verbis: *ubi tamen adnotare placet, quæ Auctor huius genealogiæ de prole fœminea?* &c. & reliqua ut supra. Similiter cum in chartis suis WERNHERUM haud occurrere animadverteret, expresse subiunxit, in monumentis suis præter ADALBERTUM & RUDOLPHUM *Taciturnum* neminem unum memorari. Quod quid est aliud, quam dicere, expeditam quidem esse progeniem septimam, ita, ut eidem, quod, exigentibus chartis & diplomatibus, opponat, non habeat quidem; cum iisdem haud impugnentur, at nec confirmentur etiam? Quare recte quoque alibi (a) ex eadem ratione reliquos RUDOLPHI II. liberos in medio relinquens, auctoribus, qui eos, fide & auctoritate Genealogi Murensis subnixi, illi adscribunt, probandam permittit. Quo dicto quid clarius, quid luculentius? Genealogiam *Diplomaticam* sistere in se recepit P. HERRGOTTUS, hisce ergo de una, alterave persona penitus mutis, quid consequentius, quam ut de iis quicquam nec affirmaret, nec negaret? *Est itaque mera genuini sensus verborum* P. HERRGOTTI (id quod eidem Adversarius alibi obiicit (b) *inversio*, cum hæc asseruntur. Tolle lusum verborum, atque argutias, & una omnes circa hæc difficultates sustuleris.

a

b

IV. At enim, hocce subsistente principio, de Comitibus GUNTRAMNO, LANZELINO, RADEBOTONE, immo OTTONE & ADELBERTO, æque nihil dici poterat. Quare? quia neque de iis aliunde constat, quam ex eodem Scriptore Murensi. Crediderit hoc, qui Genealogiam Diplomaticam P. HERRGOTTI nunquam aut vidit, aut legit, secus ubi videris, eiusdem diplomata Actuario nostro testimonium dicere gravissimum, uti vg: de GUNTRAMNO monumenta annorum 952. Geneal. Dipl. tom. II. num CXXXI. 959. num. CXXXIV. 973. num. CXLII. ac de eodem iam defuncto, an. 997. num. CLI. an. 1003. num. CLVI. an. 1004. num. CLVII. LANTHOLDUM seu LANZELINUM confirmant Instrumenta, ex Archivo San-Gallensi educta, annorum 976. tom. II. num. CXLIV. & 981.

Quas quidem larga manu attulit P. H. pag. 133.

 num.

(a) Lib. II. cap. II. §. V. p. 134.
(b) Cap. VIII. p. 52.

num. CXLV. Similem confirmationem accipit RADEBOTO ex præcepto HENRICI II. Imp. anni 1023. num. CLXVI. ut de aliis argumentis a P. HERRGOTTO lib. II. cap. VII. VIII. & IX. productis, interim nihil dicam. De ADELBERTO I. & OTTONE I. chartæ quidem nihil, at de iisdem pariter nihil, excepto OTTONE (a), ſtatuit P. HERRGOTTUS. Simpliciter enim *prolem Radebotonis ſi quæris*, ait, *in Actis Murenſibus integra ſerie recenſitam habes* (b). Quod autem Genealogum Murenſem nihilo minus propter omiſſos hos Principes carpſerit, rationem alibi reddidimus (c). Atque, his ita ſe habentibus, nemo non videt, præter veritatem aſſertum fuiſſe, laudatos triumviros aliunde non innoteſcere, quam ex Scriptore Murenſi. Magnum denique diſcrimen obverſari puto inter nullam de iis notitiam, ac tot inter chartas, quas modo, data opera, allegavimus. Scio equidem, quid hoc loco obiici poſſet : ſed cum Adverſario ipſi rem hanc ad partem ſecundam differre placuerit, eidem merito lubentes obſecundabimus, loco viſuri ſuo, quid opponat.

Hinc Genealogus deficit, non P. H. pag. 134.

V. Hic vero non poſſumus non advertere, immerito carpi P. HERRGOTTUM ab Adverſario, hunc in modum fante: „ Revolvamus, quæ P. HERRGOTTUS ſuperiori §. XIII. „ Scriptori Murenſi obiecerat: *in ſecunda progenie*, inquiebat, *præter* WERNHERUM *Comitem*, & RICHENZAM *neminem adponit genealogiæ Scriptor Murenſis ; quum tamen* „ OTTO I. & ADELBERTUS I. *a* RADEBOTONE *ex* ITA *pariter* „ *deſcenderint, ut docebimus lib. II.* &c. Qua porro auctoritate ſuffultus, Genealogum Murenſem imputatæ omiſſionis hic convicerit, atque docuerit illam OTTONIS I. & „ ADELBERTI I. a RADEBOTONE & ITA deſcendentiam, ibidem ex ipſomet didicimus, candide demum affirmante, „ illam non aliunde a ſe hauſtam, quam ex Actis Murenſibus. Culpavit P. HERRGOTTUS Genealogum Murenſem, verum eſt, aut potius monuit Lectorem, ab eodem ADELBERTUM & OTTONEM omiſſos eſſe ; illosque deinde, ut ſupra vidimus,

(a) Vid. lib. II. cap. II. §. III. ubi tamen & aliam eius rei cauſſam allegat.
(b) Ibid. cap. VII. §. V.
(c) Hic ſupra cap. XIV. num. II. pag. 125. & cap. XV. num. II. pag. 143.

mus, restituit; non, quod bene notandum, ex Genealogo, sed ex Actuario ipso, quos Auctores toto cœlo diversos esse, in præcedentibus abunde ostendimus. Sive autem duo, sive unicus Auctor fuerit (nam isthoc secundum systema tam P. HERRGOTTI, quam Adversarii, largiendum est) ab eo certe non omittendi erant, qui Genealogiam Habsburgicam prævie exponere in se recepit. Quare iure, meritoque auctor ex auctore emendari potuit, haud secus, ac si quis hodie historiam Augustæ Gentis Habsburgicæ, aut aliud quid, ubi frequens de iisdem Principibus mentio fieret, scripturus, operi suo tabulam genealogicam præfigens, plurimos, non dico filios, filiasque, secundo & tertio, aut remotiori adhuc loco genitos, sed & ipsum quoque apicem (quod quidem Genealogo isti in RADEBOTONE contigit) omitteret, negligeretque, quos tamen in subsequenti opere data occasione, atque exigente ipsa serie genealogica, larga manu proderet. Recte enim de tali diceretur: aut eum tabulæ præfixæ non esse Auctorem (id quod nos alibi ostendimus, quodque a veritate proxime abest) aut eam oscitanter, negligenterque, nullaque cum cura factam, adeoque nec magni faciendam. Ut igitur Adversarii argumentum procederet, demonstrandum esset, prædictos Comites a Genealogo prætermissos, ex ipso Genealogo restitutos fuisse, secus cum id factum sit ex Actuario, seu CONRADO de S. BLASIO.

VI. Ceterum non multum moramur hic Adversarium, dum in calce huius capitis, non sine sibilo, præterire se non posse ait, quod P. HERRGOTTUS de coniuge quoque huius nostri RUDOLFI loquens, atque altum de ea chartas & diplomata silere animadvertens, dicat: *Unicus, quantum scio, Scriptor Actorum Murensium asseverat, eam fuisse Agnesam filiam Gottfridi de Stoufen, quod est inter Wormatiam & Spiream* (a). Hic enim, nescio, quo de iure, vehementissimis, ne quid aliud dicam, verbis subiungit: *Unicus, quem cana fides commendat, sufficiat: sine hoc Unico sæpe nullus Clar. noster Genealogus Diplomaticus; cui tamen neque Unicus semper nullus.* Ergone viri docti, deque Augustissima Gente Habs-

Quem proinde in genealogia Habsburgica UNICUM, pag. 134.

a pag. 135.

 bur-

(a) Loc. cit. cap. II. §. VI. p. 134.

burgica, ne dicam tota Germania (de quo tamen litteræ virorum eruditorum, quæ in manibus ſunt, teſtantur) bene meriti, adeo indigne habendi, atque fere ludendi ſunt? Verum tacere præſtat, quam loqui. Iudicent ea de re Senatores Reipubl. litterariæ. Id unum memorare iuvat: Primum & ante omnia probandum fuiſſe, ubinam & quibus in locis *Genealogus Diplomaticus nullus ſit*, & tum dici potuiſſet: *ſine hoc unico* &c. quod cum demonſtratum non fuerit, nihil præter inania verba nos audiiſſe, pace Adverſarii dixerim. Denique ſuis locis oſtendemus, quanti pretii ſint P. HERRGOTTI diplomata, quantumque iis *unicus* ille, idemque *mendoſiſſimus* Genealogus Murenſis debeat. Grandis fiducia! grandis & gloria! habere Scriptorem, aut ſi mavis Scriptores (nam duos Genealogiæ præfixæ operas ſuas accomodaſſe contenditur ab aliis) ſex & viginti linearum, illumque adeo intricatum, mancum & obſcurum, ut alibi deſerendus ſit omnino, ſupplendus alibi, alibi denique, dum intelligatur, vel ipſis Grammatices legibus (ut hæc ſingula paſſim demonſtravimus) vis inferenda. Valeat ergo hic UNICUS.

Aut ei ſine chartis fidendum eſſe, merito negamus.

VII. Eiusdem commatis eſt alia Adverſarii commentatio, quam in ſequentia P. HERRGOTTI verba procudit: „ Quantumvis enim huius Scriptoris fidem & auctoritatem, „ qua antiquiora facta, nec non rationem temporum reſpicit, „ nonnihil labefactatam cenſuimus, in hiſce tamen aliquid valere non dubitamus; hic quippe res agitur, quæ ſub vel „ poſt initium ſeculi XIII. contigit, Auctorque memoratus „ adulto eodem ſeculo floruit, quo pacto pro Scriptore ſuppari, aut proxime coævo haberi poterit. „ Brevia quidem ſunt, quæ in hæc commentatur Adverſarius, ſed illud tamen UNICUM quartùm repetit: *Valet*, infit, *hic ergo Clar. Patri* UNICUS *ſaltem aliquid, mox vero minus, in ſequenti nempe progenie.* Vult igitur haud obſcure, P. HERRGOTTUM non ſatis ſibi conſtare; ut qui in hac progenie, quantum ad AGNESAM, filiam GOTTFRIDI *de Stouffen*, aliquid tribuerit, mox tamen in ſequenti progenie eidem tria admodum exprobrans, nullo fere habeat loco; cum tamen, ſi prior ratio, quod nempe ſuppar, aut fere coævus fuerit, aliquid valuerit,

mul-

multo magis in posteriori generatione locum habere debeat. Sed ingens obversatur discrimen. In sequentibus enim fidei Scriptoris nihil prorsus detrahitur, culpatur duntaxat, eundem ea in progenie mancum & incompletum esse, quam tamen maxime optimeque scire poterat, uti mox videbimus. Secus se res habet in progenie præsenti, ubi Genealogo ut coævo aut suppari fides haberi debet: cum contra in sequenti progenie non de fide, sed de eodem ex Instrumentis supplendo agitur.

CAPUT XXI.

Expenditur octava & ultima Genealogi Murensis progenies.

I. ULtima Genealogi Murensis progenies sic se habet: *Albertus per Heilwigam, filiam Uolrici Comitis de Chiburg, genuit Albertum, Hartmannum. Sed Ruodolfus, frater dicti Alberti, per filiam Luitoldi de Regensperg genuit Goetfridum, Wernherum, & alios quamplures.* Cl. P. HERRGOTTUS defectus non leves hic detexit. Primo, quod ALBERTO duos tantum filios, ALBERTUM V. & HARTMANNUM assignet; cum tamen ante omnes RUDOLPHUS IV. postea Rom. Rex, nominandus fuisset; qui namque ALBERTI primogenitus erat. Secundo, quod nomina item filiarum ALBERTI, nempe ELISABETHÆ & BERCHTÆ, quæ GUILLIMANNUS, aliique Genealogi attulerunt, omissa reticentur. Tertio denique *non maiori felicitate prosecutus est alterius* RUDOLFI, *satoris Kiburgicorum posterorum, progeniem; siquidem præter* GOTTFRIDUM *solum* WERNHERUM *memorat, ubi* RUDOLFUM, EBERHARDUM, OTTONEM, & HARTMANNUM *eadem serie addere debuisset.* Genealogi Mur. in ultima progenie defectus haud exigui. Proleg. III. §. XIX. in VIII. progenie.

II. Videamus, quid ad hæc Adversarius. Totidem is occurrit negationibus, adoptansque denuo vanas PEIRESKII coniecturas, a P. HERRGOTTO hoc loco explosas, iisdem novam lucem addere conatur. Excusare nempe nititur PEIRES- Ad quos palliandos PEIRESKII coniecturas adop-

KIUS

rat Adversarius. KIUS hanc Genealogi incuriam per hoc; quod RUDOLPHUS ille, tertius ALBERTI filius, tum, cum scripsit Anonymus, *vel natus nondum fuerat, vel inter huius* (Murensis) *ecclesiæ benefactores nondum referri meruerat; aut saltem monachis nondum innotuerat* (a). Has PEIRESKII hariolationes cum fusius attulisset Adversarius, sic demum concludit: *Quamobrem paullo ante annum* 1240. (*priusquam videlicet* RUDOLPHUS *passim esset celebratus*. NB. quæ uncinis includuntur, addidit Adversarius) *adscriptum fuisse huiusmodi stemmatis supplementum, non immerito coniicere licebit.* His dictis novam coniecturam addit, quod scilicet Genelogo huic *forsan Rudolphus vel inde etiam minus innotuerit, aut occurrerit memoriæ, quia testante* FUGGERO, *aliisque, aulam* FRIDERICI *Imp. a puero secutus fuerit.* Hucusque Adversarius.

a pag. 138.

pag. 139.

Quæ, quam inanes sint, ostenditur: III. Ferenda quidem esset hæc *Peireskiana* apologia, si Adversarius caussam, ob quam eiusdem augurationes acceptari non posse dixerat P. HERRGOTTUS, amovere quivisset: iam vero cum id minime factum sit, nescio, quo pacto etiam hic loci se se tueri queat. Ratio autem quam attulit P. HERRGOTTUS, eo redit: quod RUDOLPHUS IV. ALBERTO IV. primo loco genitus sit; *cum econtra* RUDOLFUS *ex* HEILWIGE inquit, *seu* HEDWIGE *Kiburgensi primogenitus* ALBERTI *fuerit, ut innumera collectionis nostræ monumenta testantur.* Hinc ergo aperte consequitur, futiles omnino esse PEIRESKII divinationes. Neque enim nondum natus esse poterat, cuius fratres post ipsum nati memorantur! neque etiam ideo prætermissus est, quod inter Ecclesiæ Murensis benefactores nondum connumerari potuerit; nam fratres eius natu minores, eo ipso, quod minores fuerint, Ecclesiæ Murensi multo minus benefacere poterant. Est etiam plane ineptum dicere, aliquem in genealogica integræ Augustæ Gentis ideo omissum fuisse; quia tum temporis Auctori eiusdem, aut communitati, in qua Auctor ille degebat, nullum adhuc beneficium præstiterit? Anne ergo omnes Illustres illæ personæ, quæ in sæpius dicta schedula, vel tabula genealogica recensentur, monasterium Murense benefacto aliquo affecerunt? aut num de fratri-

(a) In fine præfat. Actis Murens. præfixæ.

fratribus minoribus conſtat, eos in prima ſua iuventute, atque ante fratrem RUDOLPHUM, in laudatum monaſterium fuiſſe benignos? Aut num denique Scriptor ille mercenarius fuit, ut eorum ſolum memoriam conſervare vellet, qui ſibi, ſuoque monaſterio benefeciſſent? Simus, obſecro, in Scriptores antiquos nonnihil æquiores. Neque demum tertio valet coniectura, RUDOLPHUM tum nondum monachis innotuiſſe; ſi enim natu minores innotuerunt, cur non & primogenitus?

IV. Eiusdem fere valoris eſt, quod Adverſarius quarto loco addidit: RUDOLPHUM quidem tempore Genealogi finientis natum iam fuiſſe, ſed quod ſtemma illud porro proſequendum non eſſet, *non admodum attendiſſe præſentium ſurculorum ſeriem & numerum*. Sed hoc idem eſt, quod eidem exprobramus, eum ſcilicet negligenter, oſcitanterque ſcripſiſſe. Nonne enim, ſi ſapuiſſet, ante omnia primogenitus recenſendus fuiſſet? Quis enim, genealogiam ſcribens, aliquos, & tales quidem, iure merito præterire poteſt? Sed addit ulterius: RUDOLPHUM Genealogo Murenſi forte ideo non innotuiſſe, quia teſtante FUGGERO, aliiſque: *aulam* FRIDERICI *Imp. a puero ſecutus fuerit*. Hoc enim ſicut & prius effugium, Genealogum tantum abeſt, ut excuſet, ut eum grandis etiam peccati reum agat. Si enim neſcivit, quid ſuo tempore geratur, ſi Princeps hereditarius eius gentis, cuius genealogiam ſe daturum ſpoponderat, eidem ignotus erat: quomodo reſcire poterat, quæ longiſſimo ante ſe tempore geſta ſunt? Sane hoc rationem præbet iuſtiſſimam, talem Scriptorem, ut teſtem rei tantæ, quanta eſt genealogiam Habsburgicam texere, non admittendi, niſi prævio examine, & in quantum antiquis monumentis, chartis puta atque diplomatibus, aut ſtabilitur, firmaturque, aut illa ſaltem non contradicunt, id quod idipſum eſt, quo de hucuſque diſputavimus, & in quo omnis rei verſatur cardo. Porro hoc vel ſolum ac unicum argumentum mihi tanti videtur, ut ſi cetera omnia abeſſent, ſi progenies illæ a prima ad ultimam, omnes recte haberent, eo tamen ſolo titulo; quod in rebus ſui temporis accuratus haud ſit, adeoque vel oſcitanter, vel imperite ſcripſerit, neceſſe ſit cordatis Genealogis, ut eundem ſub ſeverius examen

Sicut & novæ, ab Adverſario additæ. pag. 139.

revocent, nec ulla in re temere fidant, nisi ubi prius suffragium monumentorum, Auctorumve idoneorum, aut ceterarum saltem rerum circumstantium viderint. Et talis quidem est Genealogus Murensis.

Risus, Adversario obortus.

V. Iam subridet Adversarius ad alterum P. HERRGOTTI, quod pro eadem re hic immiscuit; quæ res ut ne etiam in cachinnos erumpat, mihi quidem integra referenda est: „ Ceterum, ait Adversarius, hunc ipsum RUDOLPHUM inter „ benefactores ecclesiæ omni iure connumerari meritum, sed „ post ævum Scriptoris nostri, agnoscimus, SUBRIDERE HIC „ COACTI ad quæstionem illam admirantis (nempe P. HERR„ GOTTI, cuius hic verba sequuntur): *cum* RUDOLPHUS *ex* „ HEILWIGA *Kiburgensi primogenitus* ALBERTI *fuerit, huius* „ *vero* HEDWIGIS *filium* RUDOLFUM *ignorarint Murenses mo*„ *nachi? qui istius matris piissimæ corpus in proprio monaste*„ *rio sepulturæ tradiderunt, eiusque memoriam posteris hac in*„ *scriptione commendarunt*: HEDWIG COMITISSA DE HABS„ BURG NATA DE KYBURG, RUDOLPHI PRIMI REGIS ROM. „ MATER. *Huius porro eiusdemque filii* RUDOLPHI *obitum in* „ *necrologio suo quam diligentissime adnotarunt, ac diem quo*„ *que emortualem* HEDWIGIS. „ Quorsum ista? subinfert Adversarius. „ An, amabo! anterioribus, dudumque prædefunctis monachis ex subsequa matris sepultura filius innotescere debebat? An etiam ideo illi ignorare poterant nomen RUDOLPHI, quod hoc a posteris in tabulas mortuales relatum sit, ad annum MCCXCI. sub charactere quidem benefactoris nostri? „ & reliqua, ibidem longius diducta.

Ibid.

pag. 140.

Temperatur.

VI. Nos vero memores S. Script. Eccle. II. 2. his rebus haudquaquam *subridere* solemus. Quin optaremus potius, eiusmodi verbum Adversario non excidisse, quemadmodum & reliqua, hoc loco proposita. Advertisset utinam! P. HERRGOTTUM convenienter ad suam hypothesin locutum fuisse, qua scilicet statuit, quod nos alibi invicte, ut puto, demonstravimus (a), genealogiam istam vertente seculo XIII. & compositam & descriptam fuisse. Observasset & hoc: usum

a

(a) Supra cap. XI.

ufum papyri primum feculo XIII. aut XIV. invaluiffe, fcripturamque vel ex ipfius Adverfarii confeffione eodem feculo non effe fuperiorem (a). Hoc, inquam, fi attendere, vel nifi diffimulare voluiffet Adverfarius, nihil, credo, fimile hic fcripfiffet. Quid enim in hac P. HERRGOTTI ratiocinatione rifu, vel fibilo dignum? Nota erat ætate Auctoris HEDWIGIS, mater RUDOLPHI: ergo & filius eius? Item: HEDWIGIS anno MCCLX. apud Murenfes fepulta fuit: ergo iis non potuit non effe notiffima? Quandoquidem codex, adeoque & genealogia, primum poft eam ætatem condita fuit; cum fcriptus fit in papyro ufuali, qualis ante eandem ætatem, immo multo poft, non habebatur. Quæ res cum ita fit, non poffum non omnes illos, quibus forte prædictum P. HERRGOTTI argumentum hactenus cum Adverfario ridiculum videbatur, illo Horatiano compellare, atque dehortari:

Spectatum admiffi, rifum teneatis amici.

Alter Genealogi defectus confirmatur.

VII. Alterum Genealogi Murenfis defectum ex mente P. HERRGOTTI diximus, quod nomina ELISABETHÆ & BERCHTÆ, filiarum ALBERTI, omiferit; quas tamen GUILLIMANNUS, aliique recenfent. Mirum hoc Adverfario videtur, quod nunc ex fide Scriptorum has filias Genealogo memoratas velit; cum tamen §. proxime antecedenti eidem Genealogo, quæ de filiabus RUDOLPHI *fenioris* refert, modicam, aut nullam prope fidem adhibeat; eam fufficiente auctoritate deftitutam exiftimans, atque adeo Auctoribus, qui de filiabus RUDOLPHI egerunt, quos inter & ipfe GUILLIMANNUS eft, fententiam fuam probandam relinquat. Quare concludit: *Tantum defertur recentioribus, ubi de labefactanda integritate Auctoris antiquiffimi agitur.* Verum mirari definet, fi mentem P. HERRGOTTI penitius infpexerit, nec non & vim atque virtutem argumentorum eius. Notum eft, prolegomeno huic tertio etiam occafionem dediffe GUILLIMANNUM; quod hunc Genealogum ab omni errore immunem effe, aliquando crediderit (b). Idem dicendum de aliis Auctoribus, Genealogi huius patronis. Oftendendum itaque illis erat,

pag. 140.
pag. 141.

(a) Repet. dicta cap. V. & VI.
(b) Vid. cap. noftrum II. p 1. feqq.

eum nec accurate ſcripſiſſe, nec emendate. Omiſerit ergo quosdam, præfatis Auctoribus, qui omiſſos amplectuntur, ante oculos ponitur, eundem in hac parte eſſe mancum, & incompletum; adiecerit quosdam, aliunde non cognitos, iisdem probandum relinquitur: eos a Scriptore mendoſo, immo, ut eundem Rev. CALMETUS appellat, *mendoſiſſimo*, iure meritoque inter Principes Habsburgicos eſſe connumeratos. Hinc quidquid agant, in eadem ſemper cum Genealogo Murenſi damnatione ſint, neceſſe eſt. Hanc porro ſinceram atque genuinam P. HERRGOTTI ſententiam fuiſſe, nec ei unquam in mentem veniſſe, ut ſecundum GUILLIMANNI placitum ELISABETHAM & BERCHTAM Principum Habsburgicorum albo neceſſario adſcribendas putaret, patet ex ipſius verbis, alio loco
a prolatis (a): *De filiabus* ALBERTI (inquit) *cum in Genealogia Murenſi, tum in noſtris monumentis altum ſervatur ſilentium.*
b GUILLIMANNUS (b) *tamen eidem duas aſſignat filias*, ELISABETHAM & BERCHTAM, *quarum altera iuncta fuerit matrimonio* FRIDERICO *Comiti Zollerano, altera primis nuptiis tradita* EMERICO *Comiti Strasbergenſi, ſecundis vero* OTHONI *Ochſenſteinio, ut ſupra ex* VIGNERIO *audivimus. Sed hæc ut ut ſint, cum argumentis ſolidis non probaverint laudati Scriptores, nos aliorum iudicio diſpicienda in medio relinquimus.* Hæc P. HERRGOTTUS ſatis perſpicue, quæ ab Adverſario, utpote Genealogiam Diplomaticam, ut alibi monuimus, tam diligenter evolventi, verſantique, apprime cognita, nec diſſimulanda, nec prætereunda fuerant.

Tertius quoque breviter expeditus.

VIII. Tertium defectum, a primo haud abludentem, ex reſponſione ad primum diluendum eſſe reponit Adverſarius; quia ergo eidem reſponſioni nihil firmamenti ineſſe vidimus, ſatis liquet, quid de eo cenſendum.

Alia Genealogi omiſſio.

IX. Denique P. HERRGOTTUS ſegmentum iſthoc ita concludit: *Sed valeat hic ſtilus Auctoris laconicus, quo, forte ob chartæ anguſtiam, per ſubiectam hanc formulam:* ET ALIOS QUAM PLURES (ſic enim Genealogus Murenſis tabulam ſuam finit)

(a) Lib. II. cap. I. §. XI. p. 129.
(b) Habsb. VI. m. p. 272.

finit) *omnium optime & breviſſime ſeſe in rebus genealogicis expedit, & ſtemmati ſuo finem imponit.* Aſſumit Adverſarius hanc clauſiunculam, eandem, neſcio num recte, epiphonema vocans, pro ſe, remque acu tactam fuiſſe ideo exiſtimat; quod Scriptor RUDOLPHUM *Habsburgo-Lauffenburgicum* numeroſa quidem ſobole auctum non neſcierit: eam tamen, quod ætate adhuc minor fuerit, integram exhibere nec voluerit, nec debuerit, cauſſam interſerens; *quod deficiente etiam hic ulteriori propagine, ſchema genealogicum non liceret provehere.* Verum nobis eadem ſemper redit reſponſio. Qui tantorum Principum genealogias texere promiſit, lectorique verbis adeo patheticis: *Iſta eſt genealogia noſtrorum Principum*, ſalivam movit, ab hoc, quæſo, quid exſpectes, niſi ſtemma integrum atque perfectum, maxime ſui temporis? Quævis enim hic omiſſio, quævis negligentia culpanda eſt. Fidem porro qui dedit, fidem exſolvat, oportet. Et quid demum cauſſæ eſt, ut nominentur illi, iſti reticeantur? quod ulterior propago defecerit, inquis? at id etiam de GOTTFRIDO & WERNHERO dicendum foret. Id porro extra dubium manet, fratres eorum, RUDOLPHUM, OTTONEM, & EBERHARDUM tum iam iam vixiſſe, quorum namque pater RUDOLPHUS *Taciturnus* iam tum anno 1249. e vivis exceſſerat. Non ergo video, quo pacto omitti potuerint.

pag. 141.

pag. 142.

X. Quod hic Adverſarius de digniori mendoſo Genealogo valedictione facienda, coronandoque puteo ſubiungit, dicens: *Quare dignius hic Anonymo* VALE *dicere, aliaque ratione puteum coronare oportebat eum, qui aquas hinc copioſas; qui tot, inquam, notitias genealogicas, fonte diplomatico ſæpius obſtructo, ex charta Murenſi, ut ut* ANGUSTA, *hauſerat.* Hæc, inquam, nos quidem haud moramur, id duntaxat nobiſcum reputantes, fontem non coronandum niſi purum, atque limpidum, qualem cum nequaquam exhibuerit Genealogus iſte, quin potius turbidum, eundem cum P. HERRGOTTO denuo valere iubemus; nam REFERT, QUO FONTE BIBATUR.

Puteus num coronandus? Ibid.

CAPUT XXII.

De ratione ſcribendi, tam ab Actuario Murenſi, ſeu CONRADO de S. BLASIO, quam ab Abbate TSCHUDIO obſervata.

Inſtitutum. I. UNa fidelia duos hic iterum dealbare parietes, in animo eſt, duobus nempe capitibus Adverſarii unum opponendo, quorum alterum id eſt XX., ſic inſcribitur: *Explanatur ſcribendi ratio in Actis Murenſibus obſervata*, alterum, ſeu ſequens: *De genealogia Habsburgica, a Dominico* TSCHUDIO *Abbate Murenſi concinnata.* Ubi enim materia, id eſt copioſa, atque varia Adverſarii cenſura, non ſuppetit, uti revera in hiſce duobus capitibus moderata eſt, ibi multis agere nec conſultum, nec volupe eſt; maxime cum nobis haudquaquam conſtitutum ſit, libellum hunc rebus non neceſſariis infarcire.

Elogium Actuario Mur. a P. H. tributum. Proleg. III. §. XX. II. Quod igitur ad prius illud caput Adverſarii, id eſt ordine viceſimum, attinet, occupatur illud circa ſcribendi rationem Actuarii Murenſis, ſeu CONRADI de S. BLASIO. Recenſuit nempe P. HERRGOTTUS, licet ſtrictim duntaxat, hæc Acta, atque tale fere de illis iudicium tulit: „ Auctor imprimis laudandus, & vel hinc magni faciendus, quod non „ ſolum ad vetera inſtrumenta provocet, ut patet ſub finem „ pag. V. per illa verba: *Quod autem alia ſcriptura narrat* „ &c. Item pag. LI. *Quantam ſubſtantiam in illo vico poſſideamus, breviculus pandit.* Loquitur nonnunquam, quaſi „ ex viſu, vel auditu rem, quam narrat, percepiſſet; ſic „ paullo poſt initium: *Sicut Eppo de Stegen, pater Franconis, qui interfuit nuntiavit.* De REGINBOLDO *monacho* „ *loquens*, inquit: *Qui nuper antea illuc a Solodoro caſtro ad* „ *converſionem venerat.* De WERNHARIO: *Qui autem affirmant, quod Epiſcopus Wernharius conſtruxerit Eccleſiam,* „ *penitus falluntur; quia nullus inventus eſt, qui dixerit, ſe* „ *illum in hoc loco unquam vidiſſe.* Paullo poſt: *Quorum*

præ-

„ *prædiorum ſummam hic deſcribimus, quantum adhuc poſte-* „ *rorum ſolertia meminit, vel quantum in ſcripturis habetur,* „ *aut quæ Ebbo eius Comitis clericus manifeſtavit.* Item: *ſi-* „ *militer & Anshelmus Nauclerus de Pirolophon dixit, quod* „ *ipſe cenſum iam per multos annos huc de ſua præſtatione tra-* „ *diderit.* Denique ſub finem ſcriptionis ſuæ: *Nunc ergo ſi-* „ *cut nos ſubſtantiam iſtius ſanctæ eccleſiæ* &c. ut ſæpe audivi- „ mus. „ Hæc P. HERRGOTTUS loco citato: breviter autem ſubiungit; ea, quæ Auctor de EBBONE refert, non ita capienda eſſe, ac ſi eidem ſynchronus fuiſſet, *cum ipſe fortaſſis Ebbo, vel alius aliqua litteris mandaverit, ad quæ Auctor Actorum provocat.*

III. Duo hic in P. HERRGOTTI de Actuario iudicium animadvertenda ſibi ſumit Adverſarius. Primum, quod illum inprimis laudandum, magnique faciendum dixerit, eo quod ad vetera documenta provocare ſoleat. Deinde, quod nonnunquam ita loquatur, quaſi rem viſu & auditu percepiſſet. At de efficacia laudis huius merito dubitandum putat idem Adverſarius; quippe cui vituperium præponderet. Verum Actuarium Murenſem a P. HERRGOTTO vere & ex animo hic laudatum fuiſſe, facile concedet, qui illum auctoritate eiusdem toto fere libro II. plurimum tribuiſſe, attendere velit; quod nos quidem aperte videbimus, cum ad partem Adverſarii ſecundam ventum fuerit. Poteſt & nunc de ſincera eiusmodi laude adhuc minus ambigi, non quod San-Blaſianum fuiſſe modo liqueat (veritas enim gloriæ ubique præferenda eſt) ſed cumprimis, quod, oſtenſo, Genealogum ab Actuario diverſum eſſe, huic iam pauci (cum fere omnes in ſolo Genealogo reperiantur) adſcribendi veniant errores. Eſt etiam ideo magni faciendus, quod centum & amplius annis præ illo anterior ſit. Hoc etſi nondum obſervaſſet P. HERRGOTTUS, ſicut & nemo alius, atque unacum Adverſario tam genealogiam præfixam (ſaltem ex magna parte) quam ſubſequentia Acta, ab uno eodemque profluxiſſe auctore exiſtimarit: videmus tamen eidem ſcite admodum ſuboluiſſe, quantum alter ab altero diſtet; ut qui uni, quavis data occaſione, derogans, alteri non poteſt non ubique fere conſentire; tantum abeſt, ut eun-

Quod ſincerum eſſe oſtenditur.

pag. 146.

eundem, nisi ibi tantum, ubi manifesto contra fidem historicam cespitavit, multis lacessere, aut reliqua etiam, quæ ad res Habsburgicas non pertinent, labefactare in animo habuerit. Hinc etiam probe animadvertendum est, totum, quod hic paullo superius Anonymo texuit elogium, ad Genealogum Murensem minime attinere, bene vero ad Actuarium; quippe unde solum exempla, ibidem producta, petiit.

Nec dici potest: ipsas origines Murenses in dubium vocatas. pag. 147.

IV. Talis ergo cum sit Actuarius, id est, CONRADUS noster, P. HERRGOTTO vix non aliqua fit iniuria, cum eidem fidem ita denegatam esse, contendit Adversarius, ut quæ de Murensis monasterii originibus memoriæ prodidit, pariter labefactata fuisse dicantur per hæc verba: „ Verum his omnibus non attentis P. HERRGOTTUS primo iam Prolegomeni huius *paragrapho* in dubium vocavit, quæ Anonymus noster non tantum de *Genealogia Habsburgica*, verum etiam de *Murensis monasterii originibus memoriæ prodidit.* Quin superiori capite XVIII. ex propria eius confessione audivimus, *labefactatam a se esse huius Scriptoris fidem & auctoritatem, qua antiquiora facta respicit.* „ Non hæc, inquam, iure dici potuisse videntur. Tam parum enim verum est, ut, quæ de Murensis monasterii originibus, aut etiam de genealogia Habsburgica ipsa scripsit CHUNO, seu CONRADUS noster, a P. HERRGOTTO in dubium vocata fuerint, ut eius retulisse verba, Adversarium confutasse sit. *Is*, inquit citato §., *quum primum publicam lucem aspexit, tantam sibi ubique auctoritatem conciliaverat, ut illa omnia, quæ de genealogia Habsburgica, deque Murensis monasterii originibus memoriæ prodidit, fide propemodum divina a viris etiam cordatioribus crederentur.* Num hoc de fide eius dubitare est, cum, quanti apud ceteros valeat, historice refertur? Sed demus, credulitatem quorundam hic obiurgari; id certe omni iure fieri credimus; nullam libris quibuscunque *fidem divinam* tribuentes, nisi quos perpetua traditione ecclesiæ ab Auctoribus *Theopneustis* conscriptos fuisse tenemus. Num illi fides omnis subtrahitur, cui negatur duntaxat *Divina?* Præter veritatem quoque adstruitur, ipsum P. HERRGOTTUM fateri, *labefactatam a se esse huius Scriptoris fidem & auctoritatem, qua*

anti-

antiquiora facta respicit, cum hæc Genealogum duntaxat attingant; subiungit enim P. HERRGOTTUS: *Hic quippe res agitur, quæ sub vel post initium seculi XIII. contigit, auctorque memoratus adulto eodem seculo floruit*: hunc autem alium esse ab Actuario, ipse Adversarius non fatetur solum, sed & omni nisu contendit. Quod si urgeat: P. HERRGOTTUM ea fuisse in persuasione, ut totum codicem ab uno eodemque profluxisse auctore, existimaret, responsio in promptu est: id minime persuasum esse Adversario, hincque nihil horum ab eo obiici potuisse. Denique fidem tam Genealogi Murensis, quam & Actuarii in aliquibus vacillare, post tot testimonia, testesque, quis negabit? Genealogi quidem sphalmata satis superque ex dictis nota esse existimo, Actuarii vero, seu CONRADI de S. BLASIO, pauciora quidem, at æque suspicienda, partim iam prodidimus, partim paullo inferius expendemus: non ergo video, cur hæc, a P. HERRGOTTO prolata, indigne adeo ferantur; cum, quod pronuntiavit, reipsa veritati congruat: at vero origines Murenses in dubium trahere, hoc quidem est, quod eidem nunquam venit in mentem; utpote qui eam hac super re clare aperuit, quando prolegomenon suum tertium, ubi, quæ ex dictis rite deduci queant, velut sub unum aspectum reducit, ita concludit: *Dicamus igitur: Scriptorem Actorum Murensium gravem esse, quin & gravissimum* IN REBUS DOMESTICIS ET SUI TEMPORIS. Reliquo hoc capite illustrandis nonnullis Actuarii locis operam dat Adversarius, quod cum recte fiat, nihilque, quod controversum sit, contineat, nihil etiam ad nos.

V. Alterum, seu primum & vicesimum caput circa genealogiam Habsburgicam, a Reverendissimo olim *Dominico* TSCHUDIO, Abbate Murensi, concinnatam, occupatur. Qua in re Adversarius hæc solummodo P. HERRGOTTI verba impugnat, dicentis: *Primam progeniem* (Abbas TSCHUDIUS) *non quidem ex schemate genealogico, Actis Murensibus præfixo, quod hac in parte mancum est, sed ex contextu Actorum desumpsit.* Ad hoc enim, ac si res momentum traheret, exclamatione utens, hunc in modum reponit Adversarius: „ Quæ, amabo! tabula genealogica, nisi ab ipso protoparen-

Exquiritur, quo pacto Genealogo,

pag. 152.

 „ te

„ te retro deducta, non manca? Certum stemmatis apicem, „ a quo ordiretur, sibi Genealogus Murensis præfixerat: al„ tius equidem is poterat ascendere, sed nolebat, satius ra„ tus, *genealogiam nostrorum Principum, Fundatorum, Ad„ vocatorum* ab Ita, auctrice fundationis primaria, auspicari. Scivit sine dubio P. Marquardus omnem genealogiam hominum iam ab origine adeo esse fecundam, ut omnis ab Adamo usque (siquidem humana memoria eo pertingeret) deduci posset: sed æque scivit, non ita esse cum genealogia Principum, qua Principum. S. Mathæus (liceat mihi rem exemplo, pluribus cognito, ut ut ex S. Scriptura desumpto, uti) probe noverat, Christum Dominum sibi eandem humanam naturam circumdedisse, quam Adamo dederat, nec tamen stemma ab eo, cum haud dubie posset, deduxit. Quare? quia stirpem eius regiam ostensurus erat. Hinc neque stemma eius a Noemo orditur, sed ab Abrahamo, primo stirpis regiæ apice, primoque, qui acceptis a Deo promissionibus nobilitatem, ut sic dicam, indeptus est. Cum ergo priores duas, aut si mavis, tres generationes præ oculis habuerit Murensis Genealogus, æquum fuerat; ut ab iisdem tabulam suam ordiretur, ac saltem a Kancelino, quem primum eas terras occupasse ex Actuario discere poterat. Nec valet dicere: *Satius esse ratum, ut eam ab* Ita, *auctrice fundationis primaria, auspicaretur;* nam primo ut talem ipse non agnovit; cum *reparatricem* dicat: deinde non minus monasterio contulit Radeboto; bona quippe & latifundia, uxori, in dotem data, largiens: & hunc tamen omisit. Postremo miror, quo iure Ita *certus stemmatis*, & quidem Habsburgici, *apex*, ab Adversario dici queat; ut quæ ex ipsius Genealogi mente, Ducis *Lotharingiæ* Theodorici soror erat. Si Lotharingica, quomodo apex Habsburgicus? Et quis unquam genealogiæ cuiusdam apicem fœminam constituit?

Nec non Guillimanno usus sit Abbas Dominicus.

VI. Levioris momenti est, quod P. Herrgotto ob hæc verba obiicitur: *Non possum tamen hic non commonefacere Lectorem, a* Dominico *Abbate* Guillimannum *acriter vapulare, quod is (etsi originem in Archivo monasterii nostri Murensis olim deprehenderet; genealogiam tamen tam infeliciter*

ter contexuit, ut Habsburgenses Comites stirpitus de terra sustulerit, hodieque nihil eorum supersit, nisi nominis memoria &c.) *Neque tamen* GUILLIMANNUS *a* DOMINICO *adeo suggillatur, quin hic eiusdem auctoritate in rebus, quæ ipsi arridebant, non semel usus sit.* Denuo nimirum hic exclamat Adversarius: „ Ubinam locorum, quæso, ad texendam genea- pag. 153.
„ logiam usus auctoritate GUILLIMANNI? ne semel quidem,
„ nisi quoad accidentarias quasdam circumstantias, aliunde
„ etiam sibi notas. „ Hoc equidem mihi tanti non videtur, ut data opera utrumque Scriptorem percurram. Fidem adhibeo plenissimam Adversario, Abbatem TSCHUDIUM GUILLIMANNI laboribus AD TEXENDAM GENEALOGIAM usum haud fuisse, sed neque etiam P. HERRGOTTUS id unquam dixit. Repetantur, obsecro, eiusdem verba, mox recitata, in quibus altissimum *de texenda genealogia* silentium: *in rebus*, inquit, *quæ ipsi arridebant.* Quæso, ne plus inferatur, quam contineatur in præmissis. Quod si vero eadem nonnunquam usus esset, quid tum? Nunquid non sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus? Qua tamen similitudine nolim GUILLIMANNUM, Auctorem adeo doctum, adeo gravem, olitori comparare, id est ad ultimum Scriptorum gradum referre, ut qui eum præterea haud indignum censeam, quo & Abbas TSCHUDIUS, aliique, usi fuerint. Miror etiam, quod Adversarius dicat, id non nisi *quoad ad accidentarias quasdam circumstantias, aliunde* NB. *sibi notas*, contigisse: perinde ac si Abbas TSCHUDIUS (cuius tamen manibus non nisi bene precor) talis fuisset, quem auctores reliqui, & præsertim GUILLIMANNUS iuvare nullibi potuissent, nisi in rebus *aliunde etiam sibi notis.* Hæc sane felicitas a pluribus aliis, ut nemo cordatus non ingenue fatebitur, abest. Quis est, qui non & per alios profecerit?

VII. „ Denique Abbatem DOMINICUM a culpa haud
„ immunem fore, ait, si labefactare voluisset fidem GUILLI-
„ MANNI circa idem, ad quod probandum eius auctoritate
„ ipsus uti debebat, adeoque nec exemplum præbuisse P.
„ HERRGOTTO, cum alias hic ipse asseverare non posset,
„ quod laudatus modo Abbas DOMINICUS in scriptione sua
„ totus in eo occupetur, ut ex *solis* monumentis Murensi-

Idem Eruditorum desiderio non omnino satisfecit. Ibid. seqq.

„ bus originem & genealogiam Habsburgensium Comitum de-„ monstret. „ Non obscure hic innuit Adversarius, Genealogum Murensem aut nunquam carpendum fuisse, aut nunquam sequendum. Exotica sane petitio! cui, ut iam dixi, vel ipse Adversarius nihil admodum, si ipse rogaretur, deferret. Ergone ob unum alterumve errorem, feliciter etiam detectum, integer Auctor amandandus, aut VULCANO etiam tradendus est? Nova artis criticæ regula! quam si sequaris, infinitis prope rei litterariæ subsidiis carere debebis. Quid fabulosius libris Talmudicis? & ex iis tamen nonnunquam veritates eruere student Eruditi (a). Sed de hoc iam satis superque cap. nostro I. ubi nova hæc regula, ipsius Adversarii exemplo, sufflaminata fuit. Quod ad Abbatem TSCHUDIUM attinet, verum quidem est, eum ex solis monumentis domesticis (quorum tamen magnam partem San-Blasianis deberi, constat iam ex capite nostro XII.) genealogiam Habsburgicam ostendere conatum, at quo successu, aliis diiudicandum relinquo. Eruditis saltem nondum satisfactum fuisse, probant aliorum post eum, præsertim Clar. ECCARDI & HERRGOTTI labores, ex quibus ultimum præ ceteris, ringentibus licet æmulis, palmam tulisse probat, præter Eruditorum testimonia, effatum omni exceptione maius, oraculum nempe Gloriosissimæ memoriæ CAROLI VI., in fronte operis legendum. Magna etiam fiducia, libellum decem plagularum cum ingentibus ECCARDI & HERRGOTTI voluminibus comparare. Et quid demum? Abbas TSCHUDIUS decem admodum generationes recenset, ex quibus tres priores ex solo CONRADO de S. BLASIO didicit, ultimam, id est, RUDOLPHUM IV. aliunde accersivit. Abbas, inquam, TSCHUDIUS, decem generationes exputavit, HERRGOTTUS ad ETHICONEM usque ascendendo, octo & viginti, nihil ut dicam de lineis collateralibus, Laufenburgica, Kiburgica posteriori &c. Taceo etiam innumeras difficultates genealogicas, historicas, diplomaticas, eadem opera enodatas. Facile igitur crediderim, eum intra muros domesticos constitisse, & consistere potuisse, qui longiorem viam aut detractabat, aut certe ingredi haud poterat. Est etiam

(a) Vid. V. Cl. *Iulii Caroli* SCHLAGERI commentatio de nummo HADRIANI plumbeo &c.

etiam inter Abbatis Tschudii & P. Herrgotti labores hoc discriminis, quod ille *mendosissimi* Genealogi Murensis auctoritate subnixus, veritatem quidem utcunque invenerit, bonam stemmatis Habsburgici partem producendo; sed eam Eruditis, ut postea claruit, non admodum probaverit. Quis enim Scriptori adeo mendoso plenam ubique adhibeat fidem? Contra vero P. Herrgottus eidem Genealogo chartis & diplomatibus subveniens, atque adeo secus dicta emendans, depravata restituens, componens luxata, & Viris Eruditis fidem fecerit, & nobilitatem Domus, ob ultimam sui antiquitatem, nulli in tota Europa secundam esse, immo vix non omnibus excellere, demonstraverit.

CAPUT XXIII.

De documentis, a Dominico Abbate productis, quidque de iis sentiendum?

I. Coniungimus iterum duo Adversarii capita, XXII. & XXIII. In priori illo agitur de documentis, a Reverendissimo Dominico Abbate prolatis, quorum cum numerum init P. Herrgottus, editorem debita laude haudquaquam defraudat dicens: *Sane nonnulla bonæ notæ monumenta Habsburgensia reip. litterariæ suppeditavit Abbas* Dominicus, *quorum tamen aliqua iam ab Auctore Actorum relata fuerant* &c. Recenset deinde P. Herrgottus documenta Tschudii singillatim, eaque ad sex numero cogit.

Documentorum Abbatis Tschudii recensus. Proleg. III. §. XXII.

II. Non equidem improbat hunc recensum Adversarius, sed supplet tantum, tria adhuc addens documenta, a sæpe laudato Tschudio cum ceteris exhibita, ut in generatione nona chartam Rudolphi, Comitis de Habsburg Senioris. Deinde & cornu venatorium Adelberti III. annum MCXCIX. præferens, quod dentem elephantinum fuisse, affirmant, qui viderunt, quodque hanc inscriptionem litteris Latinis, non Gothicis, ut Adversarius hic prorsus erronee animadvertit, præfert:

Suppletur ab Adversario. pag. 157.

NOTUM. SIT. OMNIBUS. CORNU. ISTUD. ASPICIENTIBUS. QUOD. COMES. ALBERTUS. ALSATIENSIS. LANTGRAVIUS. DE. HABISBURG. NATUS. SACRIS. RELIQUIIS. CORNU. ISTUD. DITAVIT. HEC. ACTA. SUNT. ANNO. M. C. XC. VIIII. Tandem miratur Adverſarius, quo pacto evenerit, ut P. HERRGOTTUS inſtrumentum aliquod de OTTONE, patre WERNHERI III. agens, omiſſum dicat a Reverendiſſimo TSCHUDIO; cum tamen illud in utraque editione, in prima nempe pag. 84. in altera pag. 93. producatur.

pag. 157.

Ut ut non ita neceſſario.

III. Non male hæc pleraque monet Adverſarius: ſed neque tamen neceſſarium erat, integrum propterea procudere caput; cum res duobus, ut aiunt, verbis indicari potuiſſet: nimirum P. HERRGOTTUM, memoria lapſum aut deſtitutum, recenſum duorum aliorum documentorum, ab Abbate TSCHUDIO productorum, prætermiſiſſe. Poterat enim integrum hunc paragraphum ſine ullo diſpendio, aut genealogiæ, aut prolegomeni ſui tertii, omittere; tantum abeſt, ut tam accurate omnia & ſingula libelli, alias iam ſecunda vice editi, adeoque in omnium, quorum intereſt (ut ut inventu rarus iam ſit) oculis verſantis, conſectaretur. Spero ergo, P. MARQUARDUM de leviſſimis his omiſſionibus facile veniam impetraturum. Nam

a *Scimus, & hanc veniam, petimusque, damusque viciſſim* (a). Quod ad cornu illud attinet, eiusdem P. HERRGOTTUS alibi mentionem facit, in hæc verba: *Neque probationibus, extrinſecus petitis, opus hic nobis eſt, qualem præbet inſcriptio, cornu iſti inſculpta, quod Abbas Murenſis Gazophylacio Cæſareo obtulit, aliæque eiusdem momenti.* Citat etiam eodem loco Abbatis TSCHUDII libellum *de orig. Habsb. pag.* 106. ut adeo aperte pateat, eiusdem recenſum in Proleg. III. non alia ex cauſſa, quam ex mera oblivione, prætermiſſum fuiſſe. Deinde P. HERRGOTTO chartas duntaxat & diplomata recenſere in animo erat: chartas utique & diplomata tum temporis tractanti; hinc facile contigit, ut reliqua monumenta ſcribentem aut fugerint, aut non ita clare ante oculos obverſata fuerint. Ceterum quo iure *Notitiæ* cuidam, Actis Murenſibus ſuffi-

xx,

(a) FLACC. de art. Poet. V. II.

xæ, titulum Instrumenti hic abiudicet Adversarius, alibi a dispiciemus (a).

IV. Alterum caput, ordine scilicet XXIII. circa iudicium occupatur, quod P. HERRGOTTUS de memoratis documentis Murensibus tulit, ingenue professus: „ Magni quidem iure merito habenda esse diplomata, atque instrumenta Murensia, quorum editione DOMINICUS Abbas de rebus Habsburgicis bene profecto meritus fuerit. At neminem non videre, sex illa duntaxat instrumenta nequaquam sufficere, ut iis continuata series genealogiæ Habsburgensis saltem per aliquot secula firmari ac stabiliri possit; cum ab anno MXXVI. incipientia, ac desinentia in anno MCCXLIX. necessario multos defectus atque lacunas tempore intermedio relinquant. Quare Archivum Murense (quod & erga Murenses prolixe laudat) nec non & plura alia diligentius excussa fuisse, nec non & ectypa scripturarum data. DOMINICUM denique Abbatem, ut genealogiam suam, qua parte ex memoratis VI. chartis stabilire non poterat, quasi postliminio compleret, recurrisse ad domesticum Scriptorem Actorum Murensium, eique plus fidei & auctoritatis, quam par erat, detulisse.

Documenta Murensia etsi magni facienda, Proleg.III. §. XXIII.

V. Accipit hæc utcunque Adversarius, sententiam P. HERRGOTTI haud reiiciendam fassus, atque ultro admittens: „ Sex duntaxat illis monumentis, etiam duplo auctioribus, authenticis licet, ac fidelissime exscriptis, continuatam seriem genealogiæ Habsburgicæ *independenter a documento principali, Actis* videlicet *Murensibus*, firmari ac stabiliri haud posse. Atque in ea demum sententia Reverendiss. TSCHUDIUM fuisse obtendit; ut qui nomine & numero authenticorum *Instrumentorum*, *aliorumque venerandæ antiquitatis documentorum* Murensium complecti volebat laudata Acta. Ingenue præterea confitetur: *genealogiam nostram Habsburgicam a* P. HERRGOTTO *per superadditas, quas aliunde congessit, chartas, aliquoties confirmari.* Verum quis unquam somniavit, genealogiam (nam de hoc mendoso fœtu cumprimis quæ-

Genealogiæ tamen Habsburgicæ haud sufficiunt. pag. 161.

(a) Lib. scilicet II. cum ad P. II. respondebimus.

quæstio est) Murensem in definiendo stemmate Habsburgico ex toto omitti posse? aut *independenter ab ea*, ut Adversarius loquitur, integram suoque ordine dispositam genealogiam Principum Habsburgicorum sisti posse? Nonne enim ipse fatetur Adversarius, P. HERRGOTTUM id duntaxat sibi dari velle, Anonymum Murensem EX SE SOLO non sufficere? Quare? quia mendosus, obscurus, nec sibi constans, non solum a P. HERRGOTTO, sed & ab aliis Eruditis Viris deprehensus est, ut in decursu huius opellæ vidimus. Atqui ubi quis PETRUM solum haud sufficere contendens, PAULUM adiungendum censet, is certe nec PETRUM nec PAULUM excludit, sed iunctis viribus opus perfici posse iudicat; id quod P. HERRGOTTUS, nec certe plura, nec alia, voluit, ut lib. huius scriptionis II. hicque c. ult. amplius demonstrabimus. Gratulamur interim Adversario, veritatem iterum non obscure agnoscenti, pag. 162. confitentique, P. HERRGOTTI chartis *genealogiam suam Habsburgicam aliquoties confirmari*, id est, si rectius loqui velimus, fidem Genealogi vacillantem restitui; quo subsidio Genealogum nimium quantum indigere, partim ex dictis claret, partim amplius monstrabitur in sequentibus. Gratulamur, inquam, hanc veritatis agnitionem, sperantes futurum fore, ut qui partem tenet, pededentim etiam totum consecuturum.

Breviter expenduntur reliqua. pag. 162. cit. §.

VI. Quæ porro subiungit Adversarius, documenta concernunt, ex Archivo Murensi petita, quæ a P. MARQUARDO interpolata fuisse obtendit, sed quo iure? immo quam nullo cum iure, & quam immerito, dictum est cap. VII. pag. 51. num. X. Cetera, quæ sequuntur, eiusdem fere sunt commatis cum præcedentibus. *Sed quid porro egit* DOMINICUS *Abbas*, quærit P. HERRGOTTUS, *ut genealogiam suam, qua parte ex memoratis* VI. *chartis stabilire non poterat, quasi postliminio compleret?* „ Id agit omnino, respondet Adversarius, „ quod Cl. Genealogus Diplomaticus: recurrit & iste ad Scrip- „ torem Actorum Murensium, ubi alia documenta (& quo- „ ties non?) deficiunt, dispari licet affectu; qui enim ad A- „ nonymum nostrum recurrit, Abbas DOMINICUS, illum an- „ tiquissimum fidelissimumque profitetur, qui ad eundem re- „ currit, P. HERRGOTTUS, dictas prærogativas illi denegat,

ver-

„ verberatque indigne, nefcias DOMINICUM magis, an ipfum
„ Anonymum, iis verbis: *Recurrit nempe ad domefticum*
„ *Scriptorem Actorum Murenfium, quem antiquiffimum, fide-*
„ *liffimumque, deprædicat, atque ex eo omnia illa, quæ ad res*
„ *Habsburgicas quidquam facere videbantur, excerpfit: verum*
„ *ille plus fidei, auctoritatisque, quam par erat, Scriptori fuo*
„ *tribuit.*

Difpari prorfus ratione egit cum DOMINICUS, tum P. HERRGOTTUS, non diffiteor. Ille Scriptori fuo plenam tribuens fidem, non, opinor, advertit, omnia ruitura, quæcunque illi fuperftruxit, fi quis venturus fit, qui Scriptoris huiusmodi errores detegens, fidem hanc omnino nutare, atque fubleftam effe oftendat; veluti revera contigit, opera præcipue Clar. Duumvirum, CALMETI & HERRGOTTI, ut cap. I. & III. ac paffim alias evicimus. Contra vero P. HERRGOTTUS ingenue confeffus, quod res eft, conquifitis undique monumentis idoneis, Auctorem adeo laborantem, adiuvit, nec adiuvit folum, fed & integre, quoad eius fieri potuit, fanavit; oftendendo, non ex SOLO ANONYMO, nec ex SOLIS DIPLOMATIBUS, fed utrisque fimul iunctis, rem confici. Quæro iam, quis prudentius, quis folidius egerit, TSCHUDIUS an HERRGOTTUS? Sed inde tamen haud fequitur; ut is alterum ex iis, feu TSCHUDIUM, feu GUILLIMANNUM *verberaverit*, ut vult Adverfarius. Cuique fuum: & ubi de veritate, aut foliditate doctrinæ agitur, neminem quidem lædendum, at nemini quoque, dummodo fingula cum moderamine fiant (ut de hoc certe nemo iure queri poteft) parcendum effe teneo. Advertiffet beatæ memoriæ Abbas Genealogi fui nævos, forte eandem, quam trivit P. HERRGOTTUS, viam, quoad hoc, incedere non recufaffet. Id ergo cum non adverterit, res eo devenit, ut ei exigua poftmodum a plerisque tribueretur fides, genealogiam Habsburgicam nondum fat folidis firmatam effe fundamentis reputantibus: nihil ut dicam de antiquitate gentis, quam DOMINICUS non ultra feculum X. iam affectum, perducit, cum contra P. HERRGOTTUS ad ETHICONEM usque afcendendo, atque adeo gentem vetuftiffimam effe oftendendo, eandem confecraverit ad immortalitatem.

CAPUT XXIV.

De erroribus, cum Genealogi, tum Actuarii Murensis.

Alii duo, cum Genealogi, tum Actuarii, errores.

Proleg. III. §. XXIV.

I. Recensitis Genealogi Murensis erroribus, quos ille circa genealogiam Principum Habsburgicorum, partim eandem mancam & incompletam exhibendo, partim se ipsum obscurum reddendo, evagando, contra chronologiam peccando, commisit, ad reliquos eius errores evolvendos descendit P. HERRGOTTUS, maxime vero ipsius Actuarii, seu CONRADI de S. BLASIO, quos ad duos admodum cogit. Primum, quod WERNHERUM, Episcopum Argentinensem, ITÆ, RADEBOTONIS Comitis coniugis, fratrem constituat. Alterum, quod in vicem huius WERNHARII Ep., ipsi ITÆ & RADEBOTONI, marito eius, fundationem monasterii Murensis attribuat. Hoc probat ex charta anni MXXVII. *in qua Wernerus Strasburgensis Ep. se ipsum fundatorem Murensis cœnobii nominat, eique natu maiorem* DE FAMILIA SUA, *qui castro* HABESBURG *præest, advocatum constituit, quod ipsum ex chartis annorum* MCXXXIX. *&* MCLXXXIX. 13. *Martii confirmatur.* Alteri relationi chartam opponit anni MCXIV. *in qua Wernerus noster parens Wernharii Comitis de Habsburg vocatur, & in charta anni* MCCCCVI. *ad tollendam omnem dubitationem*, COMES DE HABSBURG *scribitur.*

Quorum priorem benigne interpretari posse putat Adversarius. pag. 165. loc. cit.

II. Male hæc censura habet Adversarium, præsertim prima illa, de fraternitate WERNHARII Ep. cum ITA, cuius erroris ut tam Genealogum, quam Actuarium (nam ambo in hoc errant) absolvat, in omnem se contorquet partem. Inprimis vero rem omnem attenuare nititur, P. HERRGOTTO obiiciendo: quod etsi *longum esse*, dixerit, *Auctoris Murensium Actorum singula errata, quæ commisit hic sigillatim recensere*, revera tamen pauca, *quia duo tantum*, errata adnotare potuerit. Iam ut primam obiectionem elevaret, HERRGOTTUM ex ipso HERRGOTTO iam iterum refutare instituit dicens: „Ad I. quod respondeamus, ipse P. HERRGOTTUS fug-

„ ſuggerit, dum ait (a), *Maius negotium Genealogis faceſſit* a
„ *diplomatis contextus, qui obvius, clarus, & planus videtur,*
„ *re ipſa autem decipulam habet, quæ cautiſſimos etiam haud*
„ *raro ſeducit. Si enim vulgus in chartis genuinis legerit, Rudol-*
„ *phum v.g. appellare Hartmannum ſuum parentem, mox credet,*
„ *hunc eius patrem eſſe, ſi fratrem, hunc eius germanum eius-*
„ *dem nominis* (non *ſtemmatis*, ut hic ſupervacanee interpo-
„ lat Adverſarius) *ſi conſanguineum aut affinem, hunc cum il-*
„ *lo conſanguinitatis vel affinitatis vinculo nexum.* „ Audivimus ſingula; at quid ex iis in rem præſentem extundi queat, nondum ſatis pervidere potuimus. Scimus equidem, quid ex iis inferre velit Adverſarius, ſcilicet: etiam in ipſis diplomatibus, aliiſque Auctoribus, occurrere eiusmodi vocabula, conſanguinitatis aut affinitatis gradus indicantia, ſed quæ tamen nonnunquam improprie accipi poſſint, hincque non ſequi, ſcriptorem erraſſe; quare ſtatim ſubiungit: „ At vulgus pag. 166.
„ incautum hoc credet, non P. HERRGOTTUS, non alii viri
„ eruditi, qui amphibolias huiusmodi, ſi in ipſis etiam *di-*
„ *plomatibus & chartis genuinis*, certe in privato ſcriptore
„ occurrentes, minus curabunt, æquius intelligent, neutru-
„ bi autem erratum credent. „ Recte equidem; vere enim errorem non credidit in iis diplomatum locis P. HERRGOTTUS, in quibus ipſe *decipulam* tantum eſſe, quibus *vulgus* duntaxat *incautum*, non viri eruditi, ac harum rerum intelligentes, decipi poſſe dixit; ſed aliud eſt decipulam habere, atque errandi occaſionem præbere *incautis*, aliud vero errare re ipſa. Quod ſi ergo oſtendero, in Actuario Murenſi verum deprehendi errorem, qui nulla ratione benigne interpretari queat, res, opinor, confecta erit, clariſſimeque pateſcet, adducta verba P. HERRGOTTI Adverſario minime ſuffragari. Hoc vero antequam exequar, examinandum eſt exemplum, quod Adverſario, ad rem ſuam magis illuſtrandam, afferre placuit.

III. Conſiſtit illud in binis locis, quæ is ex hiſtoria MEDIANI monaſterii, (b) *anno* 1326. (circa annum 1220. ſcri- Qui rem exemplis b

(a) Proleg. I. §. XVI.
(b) Cap. LVI. & XLIV.

illustrare nititur. ſcribere voluerat) a *Ioanne* BAYONO *conſcripta*, affert. Ibi EVA, Ducis GERARDI uxor, ſoror HENRICI Imp. vocatur, nec non GISELÆ, uxoris alterius GERARDI mater, ſoror CONRADI *Salici;* cum tamen dictorum Cæſarum *ſororgiæ* tantummodo, id eſt, uxorum ſorores fuerint. Ex his igitur Adverſarius inferre ſatagit, non erraſſe BAYONUM; cum vocabula illa, explicante eruditiſſimo CALMETO, dicto modo interpretari queant. Conſului CALMETUM, verumque eſſe vidi, nullius erroris ob id argui Auctorem, ſed & nec ab eo abſolvi; quandoquidem eum ſimpliciter interpretatur, nihil de errore memorando; quid quid autem de hoc ſit, fuerintque, qui uxorum ſorores, ſemel, iterumque *ſororum* nomine compellaverint, exinde tamen minime conſequitur; ut ſimile vocabulum etiam alibi, niſi cetera paria ſint, notione eiusmodi aliena ſine gravi errore adhiberi potuerit; ſecus enim, quî non perpetua in rebus genealogicis naſceretur confuſio? cui luberet, *avunculos* diceret eſſe *patrueles*, *amitas* cum *conſobrinis* confunderent, & ſic de ceteris. Superfluum etiam oppido fuit, id genus exemplum, aliunde conquiſitum, P. HERRGOTTO ante oculos ponere; quando non pauca, ex diplomatibus & chartis educta, orbi litterato ipſe communicavit, quæ ſane ſi huc facerent, multo maius robur haberent, quam exemplum, ab Adverſario allatum. Quod ne ſtudio partium aſſeruiſſe videar, iuvat non nulla hic adponere. In diplomate, a RUDOLPHO *Habsburgico*, Rom. Rege, Steinheimenſis cœnobii gratia an. 1284. Kal. Sept. promulgato, legimus: *Nobilis vir* EBERHARDUS *Comes de Wirtemberg*, AVUNCULUS *noſter dilectus* (a) cum tamen certo certius conſtet, EBERHARDUM hunc non fuiſſe fratrem matris RUDOLPHI Regis. Idem RUDOLPHUS HENRICUM Comitem de Furſtenberg CONSANGUINEUM, nec non *carnem de carne* ſua & *os de oſſibis* ſuis appellitat. Eadem dignatio fit LADISLAO Regi *Hungariæ*, & ANDREÆ Duci *Slavoniæ*, etſi nullus inter eos conſanguinitatis aut affinitatis nexus interceſſerit. Quin & vocabulum *frater* æquivocum eſſe, eoque nonnunquam patrueles venire, eodem loco obſervat P. HERRGOTTUS. Nihil ergo novi, nihilque nobis incognitum hic attulit Adverſarius; multo

(a) Genealog. Dipl. Lib. VI. cap. I. num. IV. pag. 265. ſeq.

multo minus exinde consequitur, ut talis vocabulorum istorum benigna interpretatio continuo etiam alibi locum habeat.

Quæ tamen apud Actuarium locum haud inveniunt.

IV. Quod ut luculenter evincam, pluribus opus haud est, quam ut ipsa Actuarii verba nonnihil attentius, atque secundum regulas Grammaticales expendamus. RADEBOTO *cum sibi congruum* (inquit p. 8.) *visum est, ut uxorem duceret, accepit de partibus Lotharingorum uxorem, nomine* ITAM, *sororem* THEODRICI *Ducis*, *ac* WERNHARII, *Argentinæ civitatis episcopi.* Optaremus equidem in gratiam CONRADI nostri, ut locus isthic reciperet medicinam, aut excusationi saltem pateret aditus; sed id cum fieri nequeat, cedendum plane est veritati. Enimvero eodem hic modo, eademque positione, atque halitu velut eodem, quo ITAM *sororem* THEODRICI Ducis vocat Actuarius, etiam sororem vocat WERNHARII. Ponamus igitur, exempla mox adducta, vim suam habere (uti revera illa haud destituuntur) adeoque vocabulum *soror* duplici gaudere significatione, una, qua sororem germanam, altera, qua fratriam denotat, in præsenti tamen non plures una locum habere possunt significationes. Vel enim laudatum vocabulum *soror* hic veram & germanam sororem indicat, an fratriam, an utrumque simul? si primum dicatur, error haud difficulter pervidetur; cum ITA WERNHARII soror, ut omnes fatentur, haud sit. Si secundum, eadem continuo redit difficultas; quando laudata ITA THEODRICI fratria haud agnoscitur, sed soror germana. Tertium perhorrescit vis atque ordo constructionis, ac cumprimis copula AC, quæ vocabulum *soror* vi connexionis ita restringit, ut qualem potestatem habet respectu THEODRICI, eandem, nec ampliorem, nec strictiorem, habeat respectu WERNHARII. Cum ergo ex omni parte manifestus involvatur error, res paradoxo similis est, viris litteratis persuadere velle: aliter se habere id, quod vident oculis, manibus palpant, percipiunt mente. Si error abesset, ut hoc obiter addam, haudquaquam exinde deceptus fuisset STUMPFIUS, falso scribens: ITAM RADEBOTONIS sororem Germanam fuisse (a); nec aliter exponi posse locum, existimant quoque, a

(a) Lib. VII. Cap. IX. p. m. 202. aversa.

præter alios, Doctissimi Galliæ Christianæ auctores, ITAM *in libro fundationis* monasterii Murensis *perperam* WERNERI *episcopi sororem dici*, iudicantes (a).

Nec non & Genealogus.

V. In eadem prorsus, & maiori etiam, damnatione est Genealogus præfixus, quando de stemmate præfatæ ITÆ hunc in modum eloquitur: THEODRICUS *Dux Lotharingiæ*, & CHOUNO *Comes de Rinfelden fratres fuerunt; horum soror fuit* ITA *Comitissa de Hapsburg*. Etenim, admissa licet priori propositione, qua Duces *Lotharingiæ*, Comitesque de *Rhinfelden*, eodem sanguine, immo eodem parente natos existimat, reliqua tamen subsequentia tantum non cohærent, ut nulla componi possint ratione: id quod fusius alibi (b) evicimus.

Quare concludendum, utrumque erraffe.

VI. His ita se habentibus statuendum est: cum CONRADUM nostrum, tum Anonymum, Genealogiæ præfixæ Auctorem, benignius interpretari haud posse, fatendumque ingenue, utrumque hic humani quid passum, erraffe utrumque. Quare temporis omnino prodigus essem, si, quæ in defensionis suæ fulcimentum ulterius affert Adversarius, enucleatius expendere vellem. Satis sit, eius inde deductam hic adscribere conclusionem, cuius falsitate ostensa, facile colligetur, quales sint fontes, unde ea deducta fuit. *Ex hac itaque, ut præfertur, sententia*, inquit, *consequitur*, ITAM FRIDERICI I. *Mosellanæ Ducis ex* BEATRICE, HUGONIS CAPETI SORORE, FILIAM ET SOROREM *fuisse* THEODERICI *germanam*, WERNHARII *autem Episcopi Argentinensis sororem, quia fratriam, ipsumque fratrem eius, quia levirum, ad exempla supra relata*. Gratis, inquam, hæc dicuntur, quando Auctor ipse aliter pronuntiat, idem vocabulum, eodem modo, THEODORICO atque WERNHARIO attribuens, uti iam diximus. (c)

pag. 167. seqq.

pag. 170.

VII.

(a) Gall. Christ. tom. V. col. 1036.
(b) Cap. III. num. XIII. pag. 26.
(c) Quod si tamen coniecturis & hariolationibus locus esset, in gratiam Actuarii dicere possemus, illum tempore insecuto male descriptum, adeoque locum corruptum, additione unius verbuli *fratria*, hunc in modum restituendum: RADEBOTO .... *accepit de partibus Lotharingorum*

VII. Eodem modo agit, id eſt nihil agit Adverſarius, cum aliunde nulla veteris ſcriptoris, aut chartæ nixus auctoritate, hanc excogitat hypotheſin: KANZELINUM *Comitem duarum uxorum maritum*, *ex altera* RADEBOTONEM & RUDOLFUM, *altera vero*, *ſorore quidem vel* FRIDERICI *vel* BEATRICIS, ITÆ *parentum*, WERNHARIUM & LANCELINUM *ſuſcepiſſe*. *En hic*, pergit, *verum ſanguinis nexum* WERNHARIUM *inter* & ITAM, *eumque huius cum* RADEBOTONE *matrimonium ſine impedimento antecedentem*, *novumque adeo fraternitatis titulum!* Enimvero largiter etiam dato, matrimonium tale, de quo tamen nullum in antiquitate veſtigium, evenisſe; ſemper tamen idem redit: Actuarium non potuiſſe utrosque æquali, atque eodem afficere vocabulo. Quare P. HERRGOTTI verba, cum Abbate DOMINICO ſcribentis (a): *Non enim eos tantummodo fratres appellamus*, *qui eodem patre*, *vel eadem matre*, *vel denique*, *qui utroque parente progeniti*, *ſed etiam fratrum filios*, *qui proprie patrueles ſunt*, perperam plane allegat. Etſi enim nonnunquam fieri conſueverit, ut perſonæ ſingulares, ſe ſe mutui amoris, atque humanitatis gratia, ut vel hodie ſolet, ita appellaverint; nemo tamen unus exemplum producet, quo patrueles, ac frater & ſoror germana ſimul ſub uno *fratris* nomine eoque ſemel duntaxat poſito, veniant. Sed hæc gratuito & ex abundanti. Quidquid enim dicat Adverſarius, ubi confictum hoc duplex matrimonium conſidero, video omnino quadrare, quod P. HERRGOTTUS GUILLIMANNO obiicit: *Ex eo*, *quod res ita ſe habere potuerit*, *in omni Logica*, *cumprimis vero in genealogicis*, *damnatur concluſio*, *quæ*, *ut aiunt*, *a potentia ad actum progreditur* (b). Sic enim nihil tam obſcurum, tamque

Explodi-tur alia Adverſarii coniectura.

pag. 171.

ringorum uxorem nomine ITAM, *ſororem* THEODRICI *Ducis*, *ac* WERNHARII *Argentine civitatis epiſcopi* FRATRIAM. Non opinor, hanc coniecturam omni deſtitui fundamento, aut exſcriptori, quisquis fuerit, fieri iniuriam; quandoquidem is aliunde ſæpe numero hallucinatus eſt: alia ſcribendo perperam, alia omittendo; ut quando pag. 11. *innuerunt* pro invenerunt, pag. 20. *petet* pro pene. pag. 22. *Willeberd* pro Wilhelmus &c. ſcripſit, ac eadem pagina, itemque 26. præpoſitionem *de*, ac pag. 32. reciprocum *ſe* &c. omiſit, ut hæc & plura alia in margine ſuæ editionis Adverſarius cum ſcite, tum diligenter adnotavit.

(a) Geneal. Dipl. tom. I. Lib. VI. cap. I. §. IV.

(b) Ibid. Proleg. IV. §. IV.

que salebrosum erit in antiquis Auctoribus, immo erratum in iis deprehendes nullum, quod non ex possibilitatis principio aut enodare, aut pulcherrime contegere queas.

Diplomatibus etiam in subsidium productis. Ibid.

VIII. At enim neque ipse Adversarius in hisce omne momentum reponit; hinc infirmitatem argumenti advertens, ingenue subiungit: *ut ut sit*, ITAM *agnoscimus* THEODORICI *Ducis Lotharingorum sororem*, *nec erratum credimus* . . . . *Quisquis ergo contendat*, WERNHARIUM *Episcopum nulla prorsus ratione fuisse*, *aut nominari citra errorem potuisse fratrem* ITÆ *Lotharingicæ*, *id probet ex diplomate*, *vel scriptore coævo* ; *secus Anonymum nostrum e possessione fidei suæ nunquam deiiciet*. Iam ergo Adversarius diplomata petit, aut ad minimum scriptorem coævum, qui tamen, ut mox lib. II. audiemus, Genealogo suo, ut ut mendoso, fidem adhiberi postulat, etiamsi diplomata nulla adessent; qui insuper Actuario, quoad GUNTRAMNUM, KANCELINUM & RADEBOTONEM idem præstari petit, etsi & ille, respectu saltem GUNTRAMNI, minime synchronus sit, sed centum quinquaginta & amplius annis inferior. Sed habeat tamen Adversarius, quod postula-
a vit. In charta anni MCXIV. (a) expressissimis verbis legitur: *a Wernhario Strasburgensi Episcopo*, *parente scilicet* (patru-
b um hic denotari ex citata Genealogia notum est (b) WERN-
c HARII *Comitis de Habspurg*. In bulla INNOCENTII Papæ (c) idib. april. anni 1139. hæc habentur : *Confirmamus etiam vobis, quæcunque eidem loco a fratre nostro* (fratrem vocat, quia episcopus erat) WERNHARIO *Comite de* HABEKESPURG, *eorumque consanguineis collata sunt*. Omitto denique chartam anni MCCCCVI. a P. HERRGOTTO, ut & priorem illam, iam excitatam. Cum ergo WERNHARIUS in hisce chartis & diplomatibus *Comes Habsburgi* vocetur, THEODORICUS contra *Dux Lotharingiæ* fuisse obtendatur; ac præterea aliunde etiam, atque ipso etiam ex Actuario constet, WERNHARIUM RADEBOTONIS fuisse fratrem germanum; manifestum fit, THEODORICUM non potuisse WERNHARII esse fratrem, hocque, si

(a) Ibid. tom. II. num. CXCIII.
(b) Ibid. tom. I. Lib. II. cap. VI. pag. 142. num. II.
(c) Ibid. tom. II. num. CCXVI.

ſi vel ſolum Radebotonis cum Ita matrimonium in cenſum veniat. Unde & diplomatice certum eſt, Conradum noſtrum hoc in loco egregie fuiſſe deceptum, qui ambos eodem modo *fratres* appellat, uti iam audivimus. Scio equidem, Adverſario nihil minus veniſſe in mentem, quam ut Wernharium ex ſanguine Lotharingico cretum putaret: aut negaret, eum fuiſſe Radebotonis fratrem germanum; ſed eo ipſo, quod talis, quomodo uxoris eius frater eſſe poterat?

IX. Alterum Actuarii noſtri erratum P. Herrgottus in eo poſuit, quod in vicem Wernharii ipſi Itæ & Radebotoni *fundationem monaſterii Murenſis attribuat*, contradicente nempe ipſius Wernharii teſtamento, ut vidimus. In eadem ſententia fuerunt Doctiſſimi Benedictini Congreg. S. Mauri, Galliæ Chriſtianæ Auctores (a), qui, cum ex laudato teſtamento Wernherum Ep. fundatorem fuiſſe docuiſſent, ſic porro pergunt: Wernero *adiungitur* Ita *Comitiſſa,* Radebotonis *coniux, quæ monaſterii itidem primaria conditrix dicitur in necrologio ad diem* XXIII. *Iulii: quæ in libro fundationiis perperam* Werneri *epiſcopi* soror *dicitur. Benefactricem dicere præſtat, quam conditricem; cum* Wernerus *ipſe teſtetur, ſe monaſterium condidiſſe in* suo patrimonio, *quod* hereditario iure *ſibi provenerat. Verum & multo minus* Radeboto *cenſendus eſt fundator, quem ipſomet fundationis anno legimus defunctum.* Idem docuit quoque P. Laguille S. I. plus fidei laudato teſtamento tribuendum aſſerens (b), quam Actuario Murenſi, quidquid dicat vel ipſe Dominicus Abbas Murenſis. Cauſſam affert eandem: quod nimirum ipſe in teſtamento ſuo poſteris expreſſe annuntiet: quod monaſterium illud in ſuo fundo, ſeu *patrimonio* condiderit. Queis ita conſtitutis, ſtandum videtur fide teſtamenti;

Ita & Radeboto num monaſterii Murenſis fundatores?

a

b

(a) Tom. V. col. 1036.
(b) Verba eius dans l' hiſtoire d' Alſace P. I. L. XIV. p. 162 hæc ſunt: Les Actes de l' Abbaye de Muri donnent à Ita belle Sœur de Verner le titre de fondatrice; mais le témoignage de ce Chroniqueur au gré même de Dominicus Abbé de Muri, ne doit pas prévaloir au Teſtament de Verner, où il eſt expreſſément marqué, que cet Evêque a bâti ce Monaſtere ſur un fond, qui faiſoit partie de ſon propre bien.

a menti; maxime cum & Adverſarius regulam illam diplomaticam a P. HERRGOTTO (a) hisce verbis conceptam: *In Genealogicis diplomata ac chartas maiorem nobis fidem facere, quam ſcriptores ut ut coævi, & ab omni ſint mendacio alieniſſimi*, non omnino reſpuat, immo modica cum exceptione amplecti videatur.

Reſpondetur affirmative;

X. Verum, ut ut hi auctores rem ſuam optime, atque ex veris principiis deſumpſerint, dandum tamen aliquid tam Adverſario, quam Actuario, exiſtimaverim. Ratio brevis, at ut puto, convincens eſt; quod CONRADUS noſter hoc ipſum teſtamentum, in celeberr. Abbatia Murenſi in hunc uſque diem aſſervatum, non ignorans, quo pacto intelligi & interpretari debeat luculenter hisce verbis, a nobis alibi etiam productis, expoſuerit: *quod autem alia*, inquit, *ſcriptura narrat, illum* (WERNHARIUM Ep.) *ſolum eſſe fundatorem huius loci, hoc propterea ſapientibus viris viſum eſt melius; quia ipſe in hiis tribus perſonis potior inventus eſt; ut eo firmior ac validior ſententia ſit, quam ſi a fœmina conſtructum*
b *eſſe diceretur* (b). Adducit hæc eadem verba pro reſponſione
pag. 172. Adverſarius, & revera dubium vix eſt, quin ſub *alia ſcriptura* hoc idem teſtamentum intelligat Actuarius. *Patrimonium* autem ſuum dicit; cum, ut idem Adverſarius recte advertit, eiusdem non minus, quam RADEBOTO, pro rata ſua, heres fuerit.

Hinc tales non immerito habentur a Murenſibus.

XI. Non igitur immerito dictas has illuſtres perſonas, ut fundatores ſuos agnoſcunt Ven. Patres Murenſes; cui illuſtrandæ rei Adverſarius hæc CONRADI noſtri verba ulterius excitat, dicentis: *Tunc fecerunt ſcribi chartam firmitatis, in qua compoſuerunt, quot & quanta prædia, & quod miniſtros, vel familiam, vel aliam ſubſtantiam huc delegaſſent. Confirmatis autem hijs pactis, Wernharius Epiſcopus iuſſione* CUONRADI *Imperatoris ad Canſtantinopolitanam urbem abiit, ibidemque defunctus & ſepultuss eſt* (c). Ob hanc legationem, teſtamen-

(a) Proleg. I. §. V. Vide & caput noſtrum II.
(b) CONRADUS de S. BLASIO pag. 10.
(c) Idem pag. 9.

ſtamentum condidiſſe WERNHARIUM, exiſtimat Adverſarius, ut qui *de reditu provide dubitaverit.* Addit cum TSCHUDIO & GUILLIMANNO, eundem de bonis, monaſterio traditis, tanquam de propriis ideo diſpoſuiſſe, quod ITA & RADEBOTO non vane, ut poſtea eventus docuit, metuerent; ne poſt obitum ſuum fundatio, ceu minus firma reſcinderetur, filiique eorum, tanquam iure retractionis, bona legata repeterent. Quæ ſingula magnam ſane veri ſpeciem habent, probantque, WERNHARIUM præcipuum habendum eſſe monaſterii fundatorem, nec tamen ideo excludendos ITAM & RADEBOTONEM. Sed malim de hoc conſuli Adverſarium, rem diffuſius exponentem. pag. 175.

CAPUT XXV.

De Comitatu *Vindoniſſæ* & *Altenburgi.*

Reliqua in codice Murenſi errata num Genealogo, an Actuario, adſcribenda?

I. ETſi Adverſarius præſens argumentum eodem capite XXIV. tractet, ſingulare tamen caput hic nobis concinnandum fuit; partim ob gravitatem materiæ, partim ob eius amplitudinem. Aggredimur namque ingentem rerum farraginem, ex Comitatibus fictitiis *Vindoniſſæ & Altenburgi*, quos P. HERRGOTTUS ex antiquo orbe eliminavit, enatam. Occaſionem, hanc rem in ſcenam producendi, arripuit Adverſarius ex verbis P. HERRGOTTI, dicti prolegomeni §. XXIV. ita ſonantibus: *longum eſſet, auctoris Murenſium Actorum ſingula errata, quæ in rebus Habsburgicis commiſit, hic ſigillatim recenſere; ſiquidem illa alibi referenda & corrigenda obvenient.* In hæc enim verba Adverſarius poſt plurima alia ſic commentatur: „ Reliqua innumera errata A- pag. 175.
„ nonymi Murenſis, quæ P. HERRGOTTUS alibi referenda &
„ corrigenda reſervavit, etſi per totum Genealogiæ Diplo-
„ maticæ volumen inveſtigata, nos fugerunt hactenus, niſi
„ quod Proleg. V. titulum COMITIS DE ALTENBURG *Kan-*
„ *zelino*, filio *Guntramni Divitis*, attributum, acrius ab eo
„ impugnari videremus. „ Sed inprimis inaniter aſſeritur, P. HERRGOTTUM de *innumeris erratis* quicquam dicere; cum

 ſolum-

ſolummodo *longum eſſe* ſcribat, recenſere *ſingula* errata: puto autem ingens eſſe diſcrimen inter *errata ſingula*, & *errata innumera.* Et licet dixerit: *longum eſſe* ea recenſere, per id tamen non ſequitur, ut *innumera* eſſe dixerit; cum etiam paucorum errorum recenſioni multum nonnunquam temporis inſumi debeat. Novimus præterea vim & poteſtatem modorum loquendi: *Longum eſſet: nolo eſſe longior: ſed ego longior forem* & ſimilium, quæ non ſtatim ad multitudinem *innumeram* extendenda ſunt. Notandum præterea: per Auctorem Actorum Murenſium tam hic, quam ſæpius alibi, non tam Actuarium, quam Genealogum, Actis præfixum, intelligi; quandoquidem hic a pleriſque noſtri & proximè elapſi temporis ſcriptoribus, ſaltem quoad priorem tabulæ partem, idem habebatur cum Actuario. Quare etiam Rev. Abbas Calmetus, ubi Acta Murenſia *mendoſiſſima* appellat, de Genealogo potiſſimum intelligendus eſt; ut cui fere ſoli nævi plerique, de quibus in antecedentibus egimus, adſcribendi ſunt. Quando ergo dicit P. Herrgottus: *longum* fore Actorum Murenſium errata *ſingula* recenſere, Genealogum cumprimis; in quo quippe ea errata inveniuntur, intellexerit, neceſſe eſt; quem cum toto lib. II. frequentiſſime citet, atque ſæpius caſtiget (a), mirari ſubit, quo pacto dicere potuerit Adverſarius, errata eiusmodi in toto reliquo opere Diplomatico reperiunda haud fuiſſe. Et quamvis pleraque prævie memorata fuerint P. Herrgotto in proleg. III.; negari tamen nequit, aliqua ex iis nova eſſe, ſingula autem nova quadam ratione, & *ſigillatim*, ut præmonuit, propoſita fuiſſe in ſequentibus, ut loca, in calce huius paginæ allegata, evolventi patebit.

Actuarius ob id, quod Radebotonem Comitem de

II. Iam ut ad rem propius veniamus, negat Adverſarius, ac pernegat, Actuarium Murenſem in eo erraſſe, quod Kancelinum ſeu Lancelinum Comitem de Altenburg vocitaverit; atque ideo, ut eum ab hac nota purget, non unam

(a) Vid v. g. cap. eius I. num. X. p. 129. ibi: *ſuppleri hinc poterunt, quæ deſiderantur in Genealogia, Actis Murenſibus præfixa.* Item cap IV. p. 137. ibi: *ubi tamen doctiſſ. Eccardus advertit Genealogum Murenſem* Itam *de Thierſtein confundere cum* Ita *Hombergenſi.* Add. eiusd. lib. II. cap. V. num. V. cap. VII. num. III. & VI. cap. VIII. num. I. &c.

unam paginam implet. Sed ludit operam, atque in cineres scribit; cum nemo usquam fuerit, qui Actuario, seu CONRADO nostro, hunc errorem absolute imputaverit. Certe P. MARQUARDUS, prolegomenon suum IV. & V. scribens, non tam adversus Actuarium, quam GUILLIMANNUM rem egit, qui, Actuario male intellecto, fictitium hunc Comitatum, *Vindonissensem* puta, seu *Altenburgensem* primus produxit. Quare & is solus vapulat, non Actuarius. Verum quidem est, quod in prolegomeno V. §. IV. dicat P. HERRGOTTUS: *Auctoritas tamen Actorum Murensium hac in parte tanta non est, ut fidem veri ac genuini diplomatis - - - infringere possit* &c. Sed eandem propositionem moderatus est, sententiamque velut retractavit in consequentibus (a), ubi verbis expressissimis scribit: *Hallucinantur autem in eodem puncto. Acta Murensia, vel* POTIUS, *qui Acta commentariis illustrarunt, Abbas Dominicus* TSCHUDIUS, *aliique nonnulli, quibus* RADEBOTO *noster Comes* ALTENBURGI *audit.* Quid apertius? Eodem accedit, quod P. HERRGOTTUS in proleg. suo III. ubi de erroribus cum Genealogi, tum Actuarii, dedita opera scripsit, nullius eum, quoad hoc, errati postulet; non omissurus, si revera error esset, aut talis ac tantus, quanti eum putat Adversarius. Quando ergo alibi de errore quodam loquitur P. HERRGOTTUS, non ita intelligendus est, ac si in Actuario perspicue deprehenderetur, sed potius, quod suo loquendi modo aliis occasionem errandi præbuerit.

Altenburg vocaverit, erroris haud postulatus.

III. Et revera non video, quo pacto CONRADUS noster erroris hic redarguendus sit, accedoque Adversarii placitis, qui rem hanc longis hic ambagibus demonstrare adnititur: quanquam argumentis eius, quibus innocentiam CONRADI probare voluit, accedere haud valeam. Quare nonnihil aliam, eamque minus impeditam, ingrediar viam, in qua ut recte incedam, animo revolvenda sunt dicta cap. XIV. num. III. p. 127. ubi advertimus, quod, quantumvis (ut ibi mox demonstratum fuit) Principum cognomina a bonis aviaticis, arcibus & castellis, deducta, vix ante seculum XII. in usu esse cœperint: Scriptores tamen Principibus anterioribus eadem

Nec postulandus etiam.

 cogno-

(a) Lib. II. cap. VII. §. II.

cognomina indiderint, quæ cum tempore eorundem solummodo posteri gesserunt. Sic Genealogus Murensis Itam, Radebotonis coniugem, cognomine *Habsburgico* mactat, etsi certo certius cum ipsa, tum eius maritus, nullum unquam cognomen gesserint. Eodem modo, ut in calce pag. 149. nota *c.* videre est, egit Bertholdus Presbyter Constantiensis, Udalricum cognomine *de Lenzburg* appellitans, quod is tamen, dum viveret, nunquam, ut mox dicemus, usurpavit. Qua in re tamen notandum obiter est, in insigni codice membranaceo Bibliothecæ San-Blasianæ, in forma Augustea, post initium seculi XII. scripto, *τὸ de Lenzburg* secunda, licet antiqua, manu, adiectum fuisse: quod non miror, cum Auctoris ævo opus suum an. 1100. finientis, cognomina, ut dixi, nondum ita obtinuerint. Usi nempe fuerunt illi stilo, ad genium sui seculi composito, qui cum Comites, Principesque sibi contemporaneos, cognominibus uti viderent, iisdem & antecessores eorundem compellarunt; vel, quod re ipsa olim sic appellatos fuisse putaverint; vel, ut gentes, familiasque, eo luculentius inter se distinguerent (a). Haud dispar ratio observatur in chartis & diplomatibus. Eius rei exemplum attulit P. Herrgottus (b) de Wernhario Ep. Insigne quoque suppeditat laudatus Comes Udalricus, qui in charta an. 1045. (c), aliisque, se vivo conscriptis, simpliciter ac nude Udalricus *Comes* audit, defunctus autem tali iam compellatur cognomine, quale, dum viveret,

(a) Omitto eiusmodi exempla alia, qualia largiter suppeditant alii auctores & monumenta, ac inter cetera vetustus codex *donationum & traditionum Einsidlensium*, nec non & recentius eiusd. celeberr. Ascerii necrologium apud P. Herrgottum tom. II. n. CMXLVII. & seqq. ubi v. g. occurrit Amato adolescens ... *Comitis* Chunonis *&* Bernardi de Lenzburg *stirpis, qui occisus est in expeditione Longobardica. .. an.* 962. cui consonat & necrologium, quod diem necis eius ad prid. cal. Febr. collocat. Scribitur tamen hic Amato. Ibidem legimus Eberhardum *Comitem de* Baden ad an. 982. & reliquos. Quis autem ignorat, hæc ad genium seculi XII. & seqq. scripta esse; quandoquidem apud omnes in confesso est, cognomina seculo X. haudquaquam adhuc in usu fuisse? Hinc est, quod in *codice donationum* apud Amazonem provide addatur *de* Lenzburg stirpis, ut ne quis familiam antiquitus sic appellatam existimet.

(b) Geneal. Dipl. Proleg. III. §. XII. ut cit. pag. 127. monuimus.

(c) Ibid. tom. II. p. 117.

veret, penitus ignoravit, quando in diplomate FRIDERICI I. Imp. paullo alium legimus titulum: *Comitis* ULRICI *prædivitis de* LENZBURG (a). Hæc cum Auctores, tum chartæ & diplomata.

IV. Quemadmodum ergo nemo culpæ aut erroris iure accusandus est, qui res suas ad genium sui temporis accommodat; ita nec scriptores peccati cuiusdam arguendi sunt, qui eandem seculi auram sequentes, stilum ad illud componunt. Quare nec CONRADUS noster quidquam commisit peccati, quando KANZELINUM *Comitem de Altenburg*, aut Genealogus, quando ITAM cognomine *Habsburgicam* vocitavit; licet inter utrumque haud exiguum obversetur discrimen, in eo consistens: quod cognomen *Altenburg* nec substiterit aliquando, nec propagatum fuerit; cum contra cum cognomine *Habsburgico*, seculo XII. aut circiter, ut alibi diximus, exorto, utrumque evenerit, sic tamen, quod illud æque anterioribus Comitibus (licet illud, quamdiu in vita erant, prorsus ignorarint) a subsecutis scriptoribus æque inditum fuerit, ac cognomen *Altenburg* Comiti KANZELINO. Quod cum ita sit, facile percipitur, quomodo hic locus Actuarii intelligendus sit, quidque in mente habuerit, cum ita scriberet. Videbat nimirum, Comites, sua & patrum suorum ætate, sibi cognomina adsciviſſe ab iis potiſſimum arcibus, in quibus habitabant; sciens igitur KANZELINUM quoque in castro *Altenburg* habitaſſe, quid supererat, quam ut eum ex genio sui seculi *Comitem* quoque *de Altenburg* appellitaret? Quamquam inde minime consequatur, ea in sententia fuiſſe Auctorem, ut existimaret, Comitatum quendam *Altenburgicum* aliquando substitiſſe; sicut in simili casu nemo dicet, tempore ITÆ aut WERNHARII extitiſſe Comitatum Habsburgicum, aut tempore Comitis, de quo mox diximus, UDALRICI, Comitatum LENZBURGENSEM.

Id quod amplius confirmatur,

V. Rem hanc non parum illustrat vicinus nobis Comitatus *Hauenstein*, cui tale nomen adhæsit, non, quod vel olim, vel hodie, revera Comitatus quidam *Hauensteinensis*, aut

Atque illustratur etiam.

(a) Ibid. num. CCXLII. pag. 190.

aut Comites de *Hauenstein* extiterint (cum is tractus terræ, hodie sic dictus, Romanis temporibus *silva Martiana*, sub Regibus Merovingicis *silva nigra*, ac denique medio ævo a fluviolo *Alba*, seu *Alp*, pagus *Alpegowe* (a) audierit) sed abusive tantum a nobili familia de *Hauenstein*, aut a castro cognomine, aut ab utrisque simul. Nam nobiles eius nominis circa tempora RUDOLPHI Comitis Habsburgici, ac postea Rom. Regis, floruisse, Comitumque Habsburgicorum feudatarios fuisse, constat ex Geneal. Diplomatica (b). Hinc coniecturæ locus, ex eadem familia non nullos dictorum Comitum aliquando fuisse officiales, ac in castro & arce *Hauenstein*, cuius rudera hodie supersunt, vicinæ regioni ius dixisse. Certe regionis Archipræfectum, vulgo Wald-Vogt. ibidem suos olim carceres habuisse, refert STUMPFIUS (c) quidni & ibi habitaverit? Eodem modo GOTTFRIDUS, filius RUDOLPHI *Taciturni*, lineæ *Lauffenburgo-Habsburgicæ* satoris, in charta anni 1258. (d) non Comes Habsburgi, qualis re ipsa erat, sed *Comes de Loufenberche* subscribitur; quia nempe in arce *Lauffenburgica* domicilium fixerat, non quod revera Comes de *Lauffenburg* fuerit, aut Comitatus, eiusdem nominis, aliquando in rerum natura extiterit. Quid? quod vel hodie Comites non semper nomine gentilitio, sed a locis, ubi commorari & ius dicere consueverunt, saltem a vulgo appellentur, ut v. g. Comes de *Tetnangen*, Comes de *Weissenhorn* &c. quibus nominibus Illustriss. Comites de *Montfort*, & de *Fugger* intelliguntur.

Argumentum P. H. contra Comit. *Vindoniss.* & *Altenburg.* formatum, sollicita-

VI. Quando ergo hic cum Adversario certa ratione facimus, etiam P. HERRGOTTO haudquaquam, ut vidimus, invito, superesse nihil videretur, quam ut ad finem huic libro I. imponendum nos accingeremus, nisi ille paginas suas, quibus probare conatus est id, de quo fere nemo dubitavit, variis obiectationibus pro more implesset, & nisi eo inclinare videretur,

(a) Geneal. Dipl. lib. I. cap. II. n. IV. p. 16.
(b) Ibid. tom. II. num. CCLXXI. an. 1215. Itemque num. CCCXII. an. 1240. 13. Ian. nec non 1260. 1. Dec. 1266. 5. April. 1267. 20. Mart. & 1268. 1. Maii.
(c) Chron. Helvet. lib. XII. cap. V. pag. 374. aversa.
(d) Cit. tom. II. num. CCCCXX. pag. 342.

deretur, ut ſuppoſititios Comitatus *Vindoniſſenſem* & *Altenburgenſem* a P. HERRGOTTO ex antiquo orbe pridem eliminatos, poſtliminio reducendos putaret. Quare de his iam propius videndum eſt. Ut aſſertum ſuum de Comitatu *Altenburgenſi*, contra irrita GUILLIMANNI opinamenta demonſtraret P. HERRGOTTUS, eidem teſtamentum WERNHERI Straſsburgenſis Ep. ſæpe laudatum, legendum obtulit, & quidem in hæc verba; *Qualiter ego* WERNHERUS *Strasburgenſis Epiſcopus*, & *caſtri*, *quod dicitur Habesbur*, *fundator*, *monaſterium in* PATRIMONIO MEO, *in loco*, *qui Mure dicitur*, *in pago* ARGOIA, *in Comitatu Rore* . . . *conſtruxi.* Ex his, inquam, verbis P. HERRGOTTUS, illum terrarum tractum non *Altenburg*, ſed Comitatum RORE appellatum fuiſſe contendit. Adverſarius contra parum æquus rerum harum interpres, vim argumenti eius hanc eſſe prætendit: *Iuxta allegatam chartam Comitatus* RORE *continebat aliqua bona avita Habsburgenſium*, *ea videlicet*, *ex quibus fundatum monaſterium Murenſe*; *ergo continebat omnia eorundem bona in Argovia*, *conſequenter nec* ALTENBURG *Comitatus*, *nec* KANZELINUS *Comes de* ALTENBURG *vocandus erat.* Pulchra interpretatio! quæ tamen haud magis huc quadrat, quam eius commatis reliquæ, in decurſu huius apologiæ exploſæ. COMITATUS *itaque* RORE *regio illa dicebatur*, *in qua bona avita Habsburgenſium*, ait P. HERRGOTTUS, ſituata erant. Incruſtat hæc verba Adverſarius, addens pronomen *aliqua*, unde ei facile fuit, concluſionem inferre contrariam. Quæ res, quale mere tur encomium, per ſe patet. Gratis autem dicitur, argumento P. HERRGOTTI eam duntaxat vim ineſſe, quam hic obtendit Adverſarius; cum ex iis multo magis contrarium conſequatur. Eſt enim hic potius ſenſus: Comitatus, ubi Maiores Principum Habsburgicorum bona avita habebant, RORE, non ALTENBURG vocabatur: ergo fruſtra fingitur Comitatus *Altenburgicus*, cui quondum Maiores Habsburgicorum in iis plagis dominati fuerint.

tum ab Adverſario, reſtituitur.

pag. 177.

VII. Non habent quidem primo aſpectu hanc omnino vim verba P. HERRGOTTI, mox adducta, ſed ea potius, quæ citato loco ſubiunxit, quæ proinde cum Adverſarius, ne

Adductis præprimis P. H. verbis integris.

assertum suum colore destitueretur, ex toto omiserit, huc nolens, volens, apponere cogor, ut nemo non videat, quam parum benigne P. HERRGOTTUS etiam hoc loco habitus fuerit. Sunt vero hæc: „ Fuit autem RORE nomen non „ alicuius familiæ, sed sedes primaria, in qua regionis illius „ Comes iudicia publice exercebat; ut discimus ex charta „ nostra anni MXXXVI. 9. Febr., in qua scriptum legitur: „ *Hæc charta traditionis advocati acta & levata est in publi-* „ *co mallo* RORE *sub Comite* ULRICO. Ex quo porro patet, „ ULRICUM hunc Comitem, qui propagator extitit Comi- „ tum de *Lenzburg*, rectorem fuisse illius Comitatus, in „ in quo bona paterna Habsburgensium locabantur. Unde „ etiam colliges, quod, ubi nobilis quædam familia patri- „ monii sui bona habuit, nequaquam tuto semper inferre li- „ ceat: eandem ibi Comitatum tenuisse, seu illam Comitatui „ tali præfuisse. Neque enim prædia Comitum nomen *Co-* „ *mitatus* temere usurpabant; neque nomen *Comitatus* muta- „ tum est cum possessore, cuius ipse cognomen gereret, ut „ in Frisia cum prædiis Nobilium fieri solebat. Ceterum „ RORE Comitatum in *Argovia* a Murensi monasterio, ubi „ WERNHERI Episcopi *patrimonium* erat, ad bona quoque „ paterna RADEBOTONIS, RUDOLPHI & LANCELINI, fratrum „ eiusdem WERNHERI, se se extendisse, mihi persuasum est; „ RADEBOTO enim, utpote natu maior, qui ex præscripto „ testamenti fratris sui WERNHERI castro HABESBURCH do- „ minabatur (cui proinde haud dubie maiora bona obvene- „ rant) horumque duo reliqui fratres, RUDOLPHUS & LAN- „ CELINUS, a communi eorum parente LANTHOLDO in ea- „ dem *provincia Burgundiæ*, *in pago Argoiæ*, *in Comitatu* „ *Rore*, *prædia sua*, seu heredia a patre habebant. Id sua- „ det confinium latifundiorum WERNHERI & RADEBOTONIS, „ siquidem Murense monasterium non longe distat a castro „ Habsburg, & a bonis, quæ Habsburgensibus *in dem eigen* „ (de hac appellatione singilatim egit P. HERRGOTTUS lib. I. „ cap. IV. num. II. & III.) nuncupata sunt. Accedit, quod „ *Lenzburgum*, aliaque vicina loca, ad Comitatum RORE per- „ tinebant; ut adeo Comitatus RORE a limitibus ac finibus „ Murensis monasterii minimum ad Arulam fluvium usque

„ pro-

„ protenderetur, prius nempe, ac nomina Comitatuum „ *Badensis* & *Lenzburgensis* exorta legamus. Atque in hoc „ systemate *Vindonissam* & *Altenburgum* ad Comitatum Rore „ pariter pertinuisse manifestum fit. Corollarium itaque est „ (id quod antea iam dicebamus) antequam nomen *Comi-* „ *tatus Habsburgensis* enasceretur, bona Habsburgensium pa- „ terna & avita in Comitatu Rore sita fuisse: adeoque fru- „ straneo labore desudare, qui modo ex ruderibus *Vindonis-* „ *sensibus*, modo ex *Altenburgicis*, nova atque in re diploma- „ tica usu haud recepta ac insolita nomina ipsis imponere „ conantur. „ Hæc uti diffuse, ita solide P. Herrgottus (a); unde Lectoris arbitrio committo, quid de supra recitato Adversarii enthimemate sentiendum sit? nam etsi illud, ut nihil dissimulem, a subiuncto & mox descripto corollario haud multum abludat; quia tamen reliqua, quæ circa bona aviatica observavit P. Herrgottus, Adversarius reticuit, plane videmus maiorem longe vim argumento inesse, ac is venditat.

VIII. Sed ponamus, hoc argumentum vi pollere parum firma, non utique illud solum proposuit P. Herrgottus. Hinc etsi se solo vim haberet nullam, uti tamen non modicam habere in propatulo est, haberet tamen, ut fit, iunctum ceteris, quæ legi possunt apud P. Herrgottum. Ego, ut in re aperta nimis longus ne fiam, argumentum duntaxat negativum seligo, quod hunc in modum proferre liceat; Silent de his Comitatibus tam chartæ & diplomata, quam auctores coævi: ergo frustra, aliquando in orbe terrarum fuisse, finguntur. De prioris generis documentis res certa est; quandoquidem in hunc usque diem nemo unus tale quid producere potuit: alterum §. sequenti ventilabitur. Interim argumentum isthoc tanti roboris esse autumo, quanti vix est aliud. Qui enim fieri potuisset, ut, cum omnium pagorum, puta *Brisigagowe*, *Alpegowe*, *Suntgowe*, tum *Cleggowe*, *Turgowe*, *Zurichgowe*, *Argowe* &c. nec non Comitatuum, puta *Rore*, *Lenzburg*, *Baden*, *Habsburg*, aliorumque in hisce confiniis, amplissimam mentionem ex tantum non

Nec non & argumento negativo.

Ee 2 incre-

(a) Proleg. V. §. III.

incredibili copia Instrumentorum antiquorum, partim editorum, partim ineditorum, habeamus: quis in animum inducere possit suum, ut credat, solos Comites *Altenburgicos*, seu *Vindonissenses*, tam infelices fuisse, ut eorum omnis deleta atque sepulta fuerit memoria, omnesque obstructi fontes, Instrumenta puta vetera, unde aliis tanta hactenus accensa lux fuit? Inaniter igitur opponit Adversarius: non obstare
pag. 181. argumenta mere negativa. Quî enim rebus fictitiis aliter, nisi argumentis negativis occurres? „ Valde refert (ait Doctissimus MABILLONIUS) criticæ operam dantes negativo argumento tempestive & apposite uti; rectus namque istius „ usus aliquoties plurimum iuvat, *præsertim vero ad eludendum commenta &c.* Quæ regula quam veritati congruat,
a hactenus usus docuit & experimentum. (a)

Contrarium quoque haud probant Auctores coævi. pag. 181.

IX. Respondet tamen Adversarius, urgetque: quod deficientibus chartis, auctoribus, rem testantibus, fides danda sit. *Sed vel ideo*, inquit, *quod sileant chartæ veteres de Comitatu Vindonissensi seu Altenburgico, ad alia documenta recurrere licebit.* Sunt autem auctores eiusmodi: inprimis CONRADUS noster, seu Actuarius Murensis, qui pag. 8. hæc habet: *Kanzelinus Comes de Altenburg*: deinde liber quidam MS. membranaceus monasterii Einsidlensis, ubi olim legebatur: x. *Kal. Aug. obiit Ita Comitissa, uxor Comitis* RADEBOTONIS *de* VINDONISSA. Hæ omnes sunt GUILLIMANNI merces, quas cum pariter nobis vendidet Adversarius, nihil aliud agit, quam quod antiquum errorem denuo nobis obtrudat; quando facile videmus, merces has nullius esse pretii. Etenim pro primo iam advertimus, credibile prorsus, immo & certum videri, Auctores hos ad genium sui seculi locutos, adeoque KANZELINUM v. g. Comitem de *Altenburg* vocasse, ITAM Comitissam de *Vindonissa*; quod hæc & ille in iis locis commorarentur, aut ille etiam in castro *Altenburg* ius diceret, quæ singula apertam habent veri speciem. Quod si autem & hæc non placerent, ut ut tam monumentis historicis, quam diplomaticis firmata, non tamen video, quid alle-

(a) Tract. de stud. monast. P. II. cap. XIII. pag. 196. ed. lat. II. Venet.

allegata horum MSS. loca roboris habeant, aut valoris; ut quæ de *Comitibus* duntaxat non de *Comitatibus* mentionem faciunt. Eſt autem aliud, quemdam *Comitem* appellare *de Altenburg*; aliud dicere, fuiſſe aliquando eius nominis *Comitatum*, ut exempla de Comitibus in *Lauffenburg*, *Hauenſtein*, *Detnang*, *Weiſſenborn*, ſuperius adducta, quæ ſingula nomina ſunt *Comitum*, at ſine *Comitatibus*, idem nomen gerentibus, abunde docent.

X. Recte igitur Adverſarius in præcedentibus: „ Quin „ immo ponamus, ait, in Argovia Comitatum, præter Ro- „ renſem, extitiſſe nullum. An vero Scriptor Murenſium „ Actorum Auctori Gentis Habsburgicæ LANCELLINO ſeu „ LANDOLDO proprium Comitatum aſſignaſſe dicendus, ex „ eo, quod illum *Comitem* nuncupet de *Altenburg*? nulla „ nos certitudine docebit, multo minus convincet P. HERR- „ GOTTUS, ſcriptoris mentem fuiſſe, KANZELINUM Comi- „ tem potius a Comitatu proprio, quam a caſtro Gentilitio „ cognominandi de *Altenburg*. „ Convenit ergo Adverſarius nobiscum, errorem non tam Actuario, quam GUILLIMANNO, aliisque, qui Actuarium commentariis illuſtrarunt, CHIFFLETIO, puta, BLONDELLO, ECCARDO, Abbate TSCHUDIO, ceteris, adſcribendo (a), quod idem & nos dicimus, dixitque P. HERRGOTTUS alio loco, ut paullo ante vidimus. Convenit & in hoc, quod ex verbis Actuarii haud conſequi dicat, quod is Comitatum quendam, nomine *Altenburg*, in Argoia aliquando fuiſſe docuerit, Quare miror, quod nihilominus cum GUILLIMANNO non obſcure faciat, quando Comitatum *Rorenſem & Habsburgicum eodem tempore coextitiſſe* contendens, ſic porro pergit: *quæ quidem Comitatuum diverſitas & coexiſtentia nec pro ævo ſuperiori implicaret, ita, ut Comitatus, iisdem liminibus circumſcriptus, qui poſtea Habsburgenſis, antea promiſcue diceretur Vindoniſſenſis, atque etiam Altenburgenſis, a caſtro, Comitum ſede: a caſtro, inquam, quod ipiſſimum illud e ruderibus veteris Vindoniſſæ poſtliminio reſuſcitatum, adeoque caſtrum Vindoniſſenſe fuiſſe, non modo nomen* ALTENBURG, *ſeu* CASTRI VETERIS, *ſed ſitus præcipue, & qua ſuper-*

Hinc cum Adverſarius nihilominus cum GUILLIMANNO faciat.

pag. 178.

pag. 180.

(a) Vid. Geneal. Dipl. proleg. IV. §. II.

ſuperſunt veſtigia, teſtantur. Si chartæ & diplomata de nullo Comitatu *Altenburgico* memorant: ſi de eo, ipſo fatente Adverſario, auctores, ſeu codices *MSS.* (nam is de Actuario id expreſſe docet, codex autem Einſidlenſis non plus dicit, quam Actuarius) nihil aperte loquuntur, multo minus decidunt, quin potius KANCELINUS *non a Comitatu, ſed a caſtro gentilitio cognominatus eſt de* ALTENBURG: quid ſupereſt Adverſario, unde Comitatum *Vindoniſſenſem* ſeu *Altenburgicum* evincat? num ratio poſſibilitatis? hanc certe non obſcure obtendit dicens: quod *Comitatuum diverſitas & coexiſtentia nec pro ævo ſuperiori implicaret:* ſed præterquam, quod nulla prorſus adſit neceſſitas, tale quid ſtatuendi; neque etiam, ſi rem ex vero perpendamus, poſſibilitas quidquam valet; cum non neſciat Adverſarius, quod P. HERRGOTTUS GUILLIMANNO, ſe ipſo non improbante, alibi obiicit: *Ex eo, quod res ita ſe habere potuerit, in omni Logica, cum primis vero in Genealogicis, damnatur concluſio, quæ, ut aiunt, a potentia ad actum progreditur.* (a)

Inconſtantis doctrinæ haud immerito poſtulatur. pag. 177.

XI. Cum igitur ſic militet Adverſarius, ut arma ſibi ipſi excutiat, aut dimittat ſaltem; atque adeo doctrinam alterius modo impugnet, modo non obſcure amplectatur, non poſſumus non eidem hic reddere, quod is in P. HERRGOTTUM hisce verbis proiecit: *Inconſtantiam, Anonymo noſtro* (ſubſtituo ego HERRGOTTO) *hic obiectam, nullibi vero probatam, Clar. P.* (lege Adverſarius) *ad ſe recipere non gravabitur.* Moderatus eſt quidem nonnihil ſuam ſententiam Adverſarius, cum in fine huius ſui capit. XXIV. quidquid proleg. IV. & V. contra GUILLIMANNUM diſputavit HERRGOTTUS, quaſi in
pag. 184. medio relinquit dicens: *Verum expediamus nos hac lite de nomine, non tam ſolliciti de iure Comitatus Vindoniſſenſis, ſeu Altenburgici, propugnando --- quem quidem titulum, ævo quippe ſuo nemini uſitatum, a maioribus didicerit* (Actuarius) *ſive dein a caſtro duntaxat Gentilitio, ſive a Comitatu quoque cognomini, derivatum.* Hæc enim Adverſarium ab inconſtantia haudquaquam excuſant; eo ipſo enim, quod nuſpiam idoneum hactenus erutum ſit, nec certe erui poſſit monumentum,

(a) Proleg. IV. §. IV. & apud Adverſar. p. 172.

tum, quo Comitatus eiusmodi probari queat; evidens eſt, ſententiam, qua ex orbe antiquo eiicitur, non eſſe problema, ſed veritatem ipſam; adeoque agnito ſemel, laudata *MSS.* nihil probare, ut Adverſarius certe agnovit, P. Herrgotto non cum dubio, ſed abſolute adſtipulandum erat, hincque ultima verba: *ſive a Comitatu cognomini*, plane omitti debuerant. Ceterum, quod Adverſarius ex hac diſputatione *litem de nomine* faciat, viderit ipſe, ut apud Senatum Reipub. litterariæ eius rei rationem reddat. Neque enim de *nomine* duntaxat agi quisquam putaverit, ubi de non ſpernendo terrarum tractu, id eſt, Comitatu *Vindoniſſenſi* vel *Altenburgico* agitur. Nihil ego addo de ingenti omnium rerum confuſione, quæ ex eiusmodi terræ plagis, dum eas impune fingi patimur, naſci poſſet. Videamus, ut ne nobis ipſis eruamus oculos.

XII. Iam ad eum deducimur locum, ubi P. Herrgottus velut pro coronide erroribus, ſed erroribus a ſe, & quod maius eſt, in unica ſectione commiſſis, vix non obruitur. Illam igitur, prout proleg. IV. §. VII. habetur, hic repetere ac præmittere operæ pretium erit: „Provocat, Guillimannus, ad MS. codicem pergamenum Eremi Deiparæ, in quo Radeboto, Lancelini filius, diſerte, inquit, ſcribitur *Comes de Vindoniſſa.* At, ut huic enuntiationi fidem habeam, plura obſtant, eaque non levia, quæ me a præſtando aſſenſu retrahunt. Nam primo exponere debuiſſet, cuius ætatis, formæ ac characteris codex ille fuerit, in quo ea, quæ affert, a nemine alias viſa, legit. Meminit quidem ſolertiſſimus D. *Ægidius* Tschudius cuiusdam membranacei codicis Einſidlenſis, qui in cubiculo Reverendiſſimi D. Abbatis S. R. I. Principis, quando monaſterium ultimo flammis abſumptum fuit, pariter interiit. Ex eo excerptum antea fecerat laudatus Tschudius, quem ex arce Greplang inter Inſtrumenta noſtra congeſſimus tom. II. num. CMXLVII. in illo autem ſcriptor non nullis familiarum ſatoribus nomina promiſcue tribuit, quæ poſteriori ævo, & non niſi a poſteris, aſſumpta fuere. Cuiusmodi eſt, quod Landoldum Comitem *de Zæringen* nominet,

Locus P. Herrgotti, ab Adverſario agitatus, refertur.

„ minet, atque adeo mirum videri non debeat, ſi Radebotoni Comiti nomen Comitis de *Vindoniſſa*, (quod tamen Tschudius ex prædicto codice non adnotaverat) a Guillimanno primo inventum addiderit: pari licentia, qua plures alii recentiorum ſcriptorum vetuſtiſſimis familiarum maioribus nomina indiderunt a caſtris, aliisque rebus, a quibus familiæ ipſæ (at non niſi poſteriori ævo) nomina ſua deſumpſerunt. Hinc vero patet, codicem illum recentem fuiſſe, ſeculum certe XII. ætate haud ſuperaſſe, ſi modo adæquarit; nam ſeculo primum tertio decimo (a) & ſubſequentibus, mos inolevit, ut proceres a caſtris & prædiis, quæ poſſidebant, nomina acciperent.

Defenditur, reſtitutis prioribus duobus membris.

XIII. Omnia hæc, ſi Adverſarium audiamus, ſpiſſis erroribus repleta ſunt. *Fallitur* enim *inprimis*, ait ille, *quod ea, quæ ex codice Einſidlenſi* Guillimannus *affert*, *a nemine alias viſa ſupponat.*. Quare? quia codicem etiam *Ægidius* Tschudius vidit & allegavit (b). Sed, ni & ipſe quoque fallar, fallitur hic Adverſarius. Nam etſi codicem *Ægidius* quoque Tschudius viderit, locumque excitaverit, is tamen haudquaquam novum exinde Comitatum extundere conatus eſt, ut fecit Guillimannus; quare ab altero, novum ſyſtema proponente, merito exigitur, ut, quibus ex fontibus rem ſuam hauſerit, plenius edoceat, ab altero contra talis accuratio exigi nequit. Deinde Tschudius æque ac Guillimannus nullam de codice, eiusque ætate, notitiam ſuppeditat, cuius tamen ſolius cauſſa, hæc *a nemine alias viſa* fuiſſe dixit P. Herrgottus. Alias enim cur non & obiicit Adverſarius, codicem (nam codicem & contenta idem eſſe autumo) olim viſum eſſe ab integra Celeberr. Einſidlenſis Aſceterii communitate, oſtenſumque illuc commeantibus, atque Bibliothecam, aut Archivum luſtrantibus? nam hæc haud dubie etiam facta ſunt, nec tamen ideo ſcimus, *cuius ætatis, formæ ac characteris codex ille fuerit.* Neque interim fruſtra exigit

(a) Seculo XI. aut circiter ſcribere voluit, ut patet ex Geneal. Dipl. proleg. III. §. XII. itemque Lib I. c. IV pag. 27. ubi res hæc diffuſius tractatur. Nimis igitur ſiccum eſt gloſſema Adverſarii, hoc loco in hæc verba (*alibi iam XI.*) adiectum.

(b) Chron. tom. I. pag. 8. ad an. 1026.

exigit P. Herrgottus, ut cuius ætatis codex fuerit? edicatur. Etenim si seculo XII. superior non fuit, ut certe non fuit, consequens erat, auctorem more sui seculi, quo cognomina primum, ut sæpius dictum, usurpari cœperunt, locutum, adeoque codicem nullam habere vim probandi; quandoquidem is tum primus & solus hæc produxerat. Postremo, cum *MS. Ægidii* Tschudii usque in annum 1735. latuerit, Guillimannus contra Habsburgiaca sua ante centum quinquaginta & amplius annos ipse in lucem emiserit, quæro, an non recte dictum sit, eum tum attulisse, a *nemine* hactenus *visa?* haud secus, ac mox laudatus *codex donationum* & Actuarius. Quam inanis ergo atque inutilis hæc prima Adversarii obiectatio? Sed is tamen non minus fidenter pergit: *Fallitur*, aiens, *hinc etiam*, quod laudatum Tschudium *ex eodem*, *quem* Guillimannus *allegat*, *codice*, *excerptum suum fecisse existimet.* Verum quidem est, alius erat codex, unde Guillimannus, alius, unde Tschudius sua excerpsit; sed neque etiam dixit P. Herrgottus, fuisse unum, eundemque codicem. *Meminit* . . . cuiusdam *membranacei codicis*, ait, ut adeo quisnam certo fuerit, haud decidat. Quin immo, paucis interiectis, expresse dicit, *qualiscunque demum codex fuerit*, ut adeo Adversarius egregie fallatur, illud adstruendo. At hæc ipsa ultima verba Adversarius omisit, nescio, an eo fine, ut P. Herrgottum eo liberius carperet. Nec obest, quod dicat P. Herrgottus: *Ex eo excerptum antea fecerat laudatus* Tschudius; nam sive liber, ut inscribitur, vitæ sit, sive excerpta ex vetusto codice donationum et fundationum einsidlensium (quod ultimum P. Herrgottus in allatis verbis ipsemet monet, adeoque Adversarius supervacanee dicit: *Quæ* Tschudius *ex codice quodam Einsidlensi excerpserat*, *ipse* P. Herrgottus *cit. tom. & num. inter instrumenta sua congessit*) nihil statuit P. Herrgottus, in medio, ut dixi, identidem relinquens, *qualiscunque demum codex fuerit.* pag. 180.

XIV. Non maius a veritate præsidium inveniunt aliæ duæ Adversarii obiectationes. „Fallitur insuper, ait, quod a „Scriptore Einsidlensi nomen *Comitis de Vindonissa* Rade- Nec non duobus membris ultimis.

 „boto-

„ BOTONI additum velit pari licentia, qua recentiores alii „ vetustissimis familiarum maioribus nomina attribuunt, non „ nisi a posteris assumpta: Quis posterorum RADEBOTONIS „ nomen *Comitis de Vindonissa* assumpserat unquam? ut adeo „ ex hoc capite scriptor ille recentioribus adnumerari non „ debeat; quin potius vel hinc antiquissimus, quia nomen „ RADEBOTONI tribuit, quod sibi ab ævo recentiori dictari mi- „ nime potuisset. „ Quasi vero ille, videlicet P. HERRGOTTUS, qui Comitatum *Vindonissensem* non nisi in ipsa Utopia quærendum statuit, unquam existimasset, posteros RADEBOTONIS nomen *Comitum de Vindonissa* aliquando adscivisse. Multo minus tolerabile est, quod auctorem eo ipso antiquissimum faciat; quia illud nomen ei *ab ævo recentiori dictari* haud potuerit. Quis antiquorum Comitum vel a Comitatu, quem rexit, vel ab arce, quam inhabitavit, vel aliunde cognomen sibi ante seculum XII. aut ante finem seculi XI. assumpsit? Num putat Adversarius, nos hac in re tam hospites esse & peregrinos? sed id totum est, quod iam semel laudato cap. XIV. & mox hic num. III. disputavimus. Similitudinem nempe hic proposuit P. HERRGOTTUS, quam nos
pag. 183. quidem cit. num. ventilavimus. Quarta obiectatio, qua *Fallitur*, inquit, *demum Clar. P. quod controversi nominis primum inventorem dicit* GUILLIMANNUM, ex eo sufflaminatur, quod de TSCHUDII & GUILLIMANNI lucubrationibus mox dicebamus. Nonne enim rem primus invenisse dicendus est, qui eam primus publicavit? Neque etiam Chronicon TSCHUDII in manibus GUILLIMANNI, cum hæc scriberet, fuisse novimus, neque si in manibus eius fuisset, rescire poterat P. HERRGOTTUS. Ceterum denuo hic errat Adversarius, quum litem & controversiam de nomine procedere venditat. Quis amabo! litem de nomine putabit, ubi de integra aliquot milliarium regione agitur? sed de hoc iam semel actum memini.

Corollarium ex dictis.

XV. Hæc singula cum ita sint, quæro iam, quis iis rebus magis deceptus fuerit, P. HERRGOTTUS, an Adversarius? Illum certe iure merito absolvi, ex dictis constat, cum contra Adversarium toties deceptum fuisse pronuntiemus, quoties alterum erroris arguit. Quod si porro P. HERRGOTTUS

TUS aliqua re falſus, ſeu deceptus fuiſſet, id in nullo alio ei eveniſſe dicendum foret, quam quod codicum *MSS.* Einſidlenſium haud ſufficientem habuiſſet notitiam; unde quippe cetera omnia errata, aliunde etiam leviſſima, ac prorſus nullius momenti, conſecuta fuiſſent, ut conſideranti patebit. Ad quid ergo amplificatio illa Rhetorica? cur ex uno, ſi quod eſt, errato, quatuor procudenda? Verum

Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſylvis adpingit, fluctibus aprum. (a)

CAPUT ULTIMUM.

Anacæphaleoſis Libri I.

I. CONcluſit P. HERRGOTTUS prolegomenon ſuum III. hiſce verbis: „ Ex hactenus dictis, clare (ni fallor) „ liquet, ſcriptorem Murenſium Actorum ſeculo pri„ mum XIII. floruiſſe. Conſtat etiam, ſchema genealogi„ cum, Actis præfixum, mancum eſſe & incompletum, iux„ ta ac mendoſum: hoc ipſum porro non ſatis ubique & in „ omnibus veterum monumentis probari ac muniri: Acta „ vero fundationis monaſterii Murenſis in notis chronologi„ cis ab omni prorſus errore immunia haud inveniri. Ita„ que ſtatuendum, Acta Murenſia, ut ut cetera ad res Hab„ burgicas approbe faciant, tantæ tamen auctoritatis non eſ„ ſe, ut ex ſe, ac propria virtute, ſine adminiculo, ex re „ diplomatica petito, in genealogia, iiſque in locis, ubi „ circa rationem temporis difficultas exorta eſt, plenam ac „ indubitatam fidem facere poſſint. Dicamus igitur, ſcripto„ rem Actorum Murenſium gravem eſſe, quin & graviſſi„ mum, in rebus domeſticis & ſui temporis. In genealo„ gia quoque Habsburgenſi eius auctoritas magni facienda, „ nec contemnenda etiam in iis, quæ de retro actis tempo„ ribus meminit; dummodo hæc monumentis coævis vera „ quadam ratione fulciantur, aut ſaltem iis non impugnen„ tur, ut fides humana acquieſcere non reformidet.„

Oſtenditur, concluſionem proleg. III.

 II.

(a) HORAT. Art. poet. v. 29. & 30.

Veritati consentaneam fuisse.

II. Nihil in hac sectione grave, nihil usquam, quod alicui offensioni esse posset, contineri, non solum ex dictis, quæ hæc singula (si, quæ de ætate Anonymi disputavit P. HERRGOTTUS, cum discrimine saltem accipias) veritati apprime consentanea esse probant, manifestum fit; sed & ex mox recitatis verbis ipsis, quæ utique *Anonymum*, qualis hactenus putabatur, *Murensem*, insigni extollunt laude. Nihilo tamen secius negat, ac pernegat Adversarius hæc omnia, tenendum potius obtendens: *Acta Murensia tantæ auctoritatis esse, ut ex se & propria virtute, tam in genealogia, quam chronologia, plenam ac indubitatam fidem facere possint.* Sed ut ut Actis parum (quod ex dictis constat) detrahendum existimaverim (nam horum auctorem a Genealogo probe distinguendum esse, plus simplici vice admonui) luscus sane, aut oculis omnino captus sit, qui non videat, mendosæ genealogiæ non usque adeo fidendum. Ecquis enim, ubi adverterit, illam alia ex parte erroneam; ut cum v. g. ITAM, RADEBOTONIS coniugem, sororem THEODRICI Ducis constituit: alia mancam & incompletam esse; ut quando, præter alios, ipsum etiam RADEBOTONEM, negligentia haudquaquam ferenda, omittit: hic contra fidem historicam; ut quando laudatam ITAM cœnobii Murensis *reparatricem* nominat; cum *auctrix* dicenda fuisset: illic contra chronologiam simul, atque genealogiam peccare; ut quando in progenie II. CHUNONEM, WERNERUM, & RUDOLFUM filios RICHENZÆ de *Lenzburg* constituit: alio loco obscurum, ut qui maxime: alio inconstantem deprehendi. Hæc, inquam, atque plurima alia, per decursum huius operis in singulis fere generationibus ostensa (a), ubi quis viderit, legeritque, nonne continuo cum P. HERRGOTTO pronuntiabit: *Genealogiam Murensem ex se & propria virtute, sine adminiculo, ex re diplomatica petito, talem ac tantam haud esse*, UT EI RES TANTI, QUANTI EST, GENEALOGIAM AUGUSTÆ GENTIS HABSBURGICÆ CONDERE (verba sunt P. HERRGOTTI) TUTO INNITI ET ACQUIESCERE POSSIT? Quibus rebus si addideris ætatem Genealogi, quem seculo XIII. exeunte superiorem

pag. 186.

(a) Repet. dicta cap. XIV. & seqq. usque ad fin. Add. cap. I. III. & XI.

rem haud eſſe cap. XI. demonſtravimus, res paradoxo ſimilis eſt, quod Adverſarius petere auſit a P. HERRGOTTO; ut eum tanquam teſtem admittat omni exceptione maiorem, eique primas deferens partes, genealogiam ſuam tam infirmo ſuperſtruat fundamento. Certe ſi, qui iudicio contendunt, teſtem non admittunt, niſi qui rem, de qua teſtaturus eſt, ſcire queat: ſique is, docente BARBOSA, *qui in uno vacillat & reprobatur, in omnibus ſuſpectus* fiat, quid quæſo! de Genealogo tenendum, quem & falſæ relationis convictum, atque a rebus plerisque, quas narravit, longius remotum, nec in iis etiam, quibus ipſe intereſſe poterat, ſatis accuratum fuiſſe, forte ad nauſeam uſque probavimus. Quare nihil aliud hic ſupereſſet, quam ut vela contraheremus; niſi Adverſarius etiam huic capiti non nulla pro more aſperſiſſet, quæ tam ſicco veſtigio præteriri haud poſſunt.

III. Ex dictis conſtare dixerat P. HERRGOTTUS, *Acta fundationis monaſterii Murenſis in notis chronologicis ab omni prorſus errore immunia haud inveniri.* Id probandum fuiſſe, reponit Adverſarius, cum in toto prolegomeno III. ne unum quidem notaverit errorem chronologicum. Fateor, delicatis auribus ſi ſatisfacere ſtuduiſſet P. HERRGOTTUS, explicatius nonnihil hic loquendum fuerat; ſed quia tamen, unacum PEIRESKIO & Adverſario, tam genealogiæ præfixæ, quam ſubſequentium Actorum unum eundemque eſſe auctorem tenuit, cetera vero ipſi Genealogo, idque in priori eius parte, non leve peccatum chronologicum alias oſtendit (a), plane conſequitur; ut, quod hic de Actuario pronuntiavit, æque de Genealogo, ea in hypotheſi, accipiendum ſit. Quare ſupervacaneum etiam fuit, notas chronologicas ex Actuario, ſicubi occurrunt, tam ſtudioſe conquiſitas, in unum hic congeſtas fuiſſe cumulum; quandoquidem P. HERRGOTTUS toto lib. II. id longe accuratius præſtitit, atque Genealogum ſimul atque Actuarium cum chartis & diplomatis contendens, inte-

Actuarius Mur. errati chronologici recte poſtulatus. pag. 187.

a

pag. 188.

(a) Proleg. III. §. XIII. ubi verba: *chronologia item male ſe habet*, a typographo omiſſa, & a P. HERRGOTTO in corrigendis reſtituta, Adverſarius pag. 94. fideliter in contextum recepit. Vid. etiam caput noſtrum XV.

grum genealogiæ Habsburgicæ ſyſtema ad temporum, quoad eius fieri potuit, rationem exegit. Præterea, ſi nullum erratum chronologicum in Actis ipſis notavit P. HERRGOTTUS, negari tamen nequit, notari potuiſſe, ideo; quod is WERNHARIUM, epiſcopum Strasburgenſem, ann. MXXVII. (niſi hic error exſcriptori tribuendus ſit) ad plures abiiſſe ſcribat; quandoquidem Doctiſſimi Galliæ Chri-
a b ſtianæ continuatores (a), quos ſequuntur CALMETUS (b),
c SCHOEPFLINUS (c) aliique, ex Chronographo *Saxone*, LAMBERTO *Scafnaburgenſi*, & chronico Hildesheimenſi, contra hunc ipſum CONRADUM noſtrum, nec non contra chronicon *Auguſtenſe*, tenent; eundem anno primum MXXIX. v. Cal. Nov. obiiſſe. Scio equidem, ut excuſare hunc errorem chronologicum nitatur Adverſarius, dicens alibi:
pag. 174. videri, *annum hunc*, nempe ſeptimum & viceſimum, potius *ad abitum*, (Conſtantinopolim videlicet, quo eodem anno iuſſione CONRADI Imperatoris profectus eſt) *quam ad obitum* WERNHARII *referri; quo nimirum iam ſatis adulto iter ille ingreſſus (teſtante* WIPPONE *in vita* CONRADI *Imp.) at variis in via impedimentis iactatus, ad urbem prædictam pervenire vix potuit ante annum ſequentem.* Sed vereor, ut hæc coniectura apud multos fidem invenerit; cum ea neque in contextu, neque alia in re fundetur; maxime cum annus Chriſti primum poſt verbum: *ſepultus eſt*, ponatur, dicente Actuario: *ibidemque defunctus ac ſepultus eſt anno Domini MXXVII. Ind. X.* adeoque ad *obitum* potius, quam *abitum* referri debeat. Ad hæc cum annum WERNHARII emortualem MXXVIII. non obſcure ſtatuat Adverſarius, rem tanto minus tetigit; quod plerique, tam veteres, quam recentiores, numerum hunc uno, ut mox vidimus, anno augeant. His adde, quod P. HERRGOTTUS Actuario ob prætenſum ſtemma ITÆ æque dicam ſcripſerit ac alii: at ibi ingentem ab eo anachroniſmum commiſſum fuiſſe, partim ex cap. noſtro III. partim ex cap. XV. num. IX. p. 150. conſtat; ut

(a) Tom. V. col. 793.
(b) Hiſt. Lothar. tom. I. col. CXXXIII edit. II.
(c) Alſat. Illuſtr. Tom. I. p. 773. §. LXVIII.

ut adeo Actuarius Murensis, aut forte exscriptor eius, qui, ut iam semel monui, haudquaquam accuratus fuit, etiam quoad hoc recte culpatus fuerit.

IV. Sive autem Scriptorem nostrum, seu verius Scriptores, reprehendat P. HERRGOTTUS, sive commendet, æquale sibi semper apud Adversarium meritum parat. Hoc certe loco, ubi *scriptorem Actorum Murensium gravem esse* docet, parum est, ubi eum insuper *gravissimum in rebus domesticis & sui temporis* appellitat, haud multum abest, quin cum omni suo candore simulatorum albo publice inscribatur; adeo nihil tam sincerum est, quod non in malam partem accipi queat, ubi præconceptæ regnaverint opiniones. Plenus enim fiducia reponit hic Adversarius: FUCUM *hunc non attendent, meritoque dubitabunt viri cordati fidem dare integrum in rebus domesticis, superioris præsertim ævi (in rebus domesticis sui temporis transeat) scriptori, ætate recentiori, tantæ circa alia oscitantiæ, & quidem in rebus suis non satis constanti, scriptori, inquam, ex innumeris vitiis diffamato.* Gravis certe in virum eruditum censura! Fucum enim qui fecerit, simulate qui egerit, quo pacto in reliquo opere fidem inveniet? sed is tamen simulationis arcessendus erat, ut alter sincerus putaretur: deprimendus scriptor alterius sodalitii hodiernus, ut extollatur scriptor sodalitii nostri antiquus. Bellum remedium! pulchrum inventum! sed ego hæc quid moror? quando iam affatim ostensum est, quam immerito, quam nulla ex caussa hæc faba in P. HERRGOTTUM cusa fuerit, quamque contra iure, meritoque, cum Genealogus, tum Actuarius, sub examen revocati fuerint; ut adeo eandem crambem hic recoquere nolim. Gaudemus interim, auctorem hunc, ob quem hæc excitata est commotio, feliciter tandem sodalitio nostro San-Blasiano assertum fuisse; sed ideo tantum gaudemus, quia exinde spes affulget, fore, ut se deinceps contineant, quibuscunque visum est, in eius gratiam scribere *Vindicias*; quandoquidem civem nostrum, sicubi opus erit, defendere nobis ipsis incumbet, non aliis. Nec deinceps timendum

Quod tamen, ut & alia errata, fidei illius in rebus domesticis nihil derogat.

pag. 188.

mendum esse crediderim, ut propter auctorem sex & viginti linearum (Genealogum intelligo, qui Murensibus iam solus superstes relictus est) nova suscipiatur apologia; ut adeo omnia posthac quieta & tranquilla futura fore, sperandum sit. Porro quod hic subveretur Adversarius, futuros etiam viros cordatos, qui ob tam severam P. HERRGOTTI, de Actuario Murensi, censuram, eidem in rebus quoque *domesticis remotioris ævi*, quin & forte *sui temporis*, fidem denegaturi sint, profecto nihil est; cum id hucusque a nemine, ac neque ab ipso P. HERRGOTTO, ut alias innuimus, factum sit. Sumus etiam ab hoc periculo eo iam tutiores; quod Genealogus, & Actuarius scriptores sint a se diversissimi, totaque fere P. HERRGOTTI censura illum præcipue, non hunc concernat. Constabit Actuario, dum viri cordati erunt, rerumque intelligentes, sua auctoritas, constabit & fides; nihil certe obstante, quod nonnulla commiserit errata. Quare enim ob id, quod genealogias quorundam Principum ignoraverit, aut contra chronologiam nonnihil peccaverit, scriptor quidam antiquus fidem etiam amittat in reliquis? ac præsertim domesticis, quæ cum genealogicis nihil commune habent. Nolim ego in scriptorem antiquum tam esse iniquus. Tantundem, si quid, præter genealogica, aliud tractaret, dicendum quoque foret de auctore, Actis præfixo; cum alioqui de utroque una tenendum est, iis in genealogicis sine prævio examine fidendum haud esse, equidem non alia ex caussa, quam quod circa hoc ipsum argumentum non usquequaque feliciter versati fuerint. Verum hac de re libro II. mox plura.

Quippe cum ei aliunde succurratur.

V. Verumtamen encomium P. HERRGOTTI, Actuario Murensi tributum, ut ut ab Adversario gnaviter tentatum, non tamen usque adeo displicuisse videtur, ut ne meliori quoque exegesi dignum habitum fuerit. Nec enim dubitat Adversarius, verbis prioribus continuo hæc subiungere: *Acceptemus tamen indultum, sed pro scriptore, ab obiectis vitiis purgato.* Quæ quidem verba haud secus, ac priora illa, secundum mentem sunt nostram; quando & nos

pag. 189.

inge-

ingenue, nec inviti, fatemur, fcriptorem, feu fcriptores Murenfes, Actuarium præfertim, *graves* effe, quin & *graviffimos*, dummodo dicta eorum & relata *monumentis coævis vera quadam ratione fuffulciantur*, id eft, *ab obiectis vitiis* purgentur, *ut fides humana acquiefcere non reformidet*; quod cum a P. HERRGOTTO egregie præftitum fuerit, ut mox lib. II. amplius & per extenfum oftendemus, prope abeft, ut Adverfarius nobifcum faciat.

VI. Aliter fe res habet de iis, quæ prædictis continuo fubiunguntur, atque fic fonant: „ Nihil tractat ille, nifi „ domeftica. Præmittit genealogiam; *at ifta eft genealogia* „ *noftrorum Principum.* Subiungit origines, fucceffus, Acta „ monafterii, at non alieni, fed *domeftici*, fed Murenfis.... „ Annon *domeftici* ipfi etiam huius loci quondam Domini, „ Fundatores, Advocati? quorum memorias haud aliunde „ certius inveftigabis. „ Mirari fubit, Adverfarium fingula hæc tanto cum ftudio, adhibita etiam figura Rhetorica, quam *repetitionem* vocant, proferre; quæ quippe tantum iuvant, quantum fi alienum irrigaffet agrum. Sive enim *domeftica*, five *aliena* fcripferit auctor, perinde eft, fi modo fidem invenerit in iis, quæ ad res Habsburgicas attinent: quod cum factum haud fuerit, fequitur, ut circa ftemma ITÆ hallucinando, atque obitum WERNHERI male fupputando, ex mente Adverfarii etiam circa domeftica erraverit. Vereor tamen, nec fine cauffa, ut Principes Habsburgenfes, quanquam Fundatores Domini & Advocati, inter domefticos afceterii Murenfis adnumerandi fint. Sed iudicent de hoc Politici.

Quanquam fecundum dicta Adverfarii etiam in rebus domefticis peccaffe, dici poffet.

VII. Sufpicio potius, quod continuo fequitur: *Si Monachus Murenfis fcripfiffet res v. g. San-Blafianas, tum demum dici poffet, egiffe de rebus extraneis, non* DOMESTICIS, *& minori forfan fide egiffe de iis, utpote quas tam certo, ac res* DOMESTICAS, *perfpectas habere non potuiffet.* Sufpicio hæc, inquam, & inverto argumentum: cum ergo Acta Murenfia, ut nos quidem cap. XII. invicte demonftravimus, monachus San-Blafianus condiderit, confequens effe videtur; ut is res *extraneas*, non *domefticas* fcripferit. Verumtamen

Maxime cum San-Blafianus, non Murenfis fuerit.

Ibid.

 neque

neque etiam hoc respectu Abbatis *Postulati*, qualis ille fuerat, stricte adeo accipiendum putaverim; maxime cum monumenta Murensia, ut ex toto elucet opere, diligenter admodum consuluerit. Nolo ergo, cum etiam, in speciem saltem, facile possem, Adversarium propriis impetere telis: id solummodo hic velim, ut, cum Actuarius (quod quidem Adversario hic animadvertere placuit) multa de rebus San-Blasianis, & accurate quidem, immisceat, novum inde exurgat argumentum, quo dicta a nobis cap. XII. confirmantur: nimirum, virum hunc non in monasterio Murensi, sed San-Blasiano fuisse enutritum. Quî enim extraneus eiusdem toties meminisset? aut quis Murensium ea omnia tam perfecte rescire potuisset? aut cur denique non aliorum quoque cœnobiorum frequentem adeo fecisset mentionem?

Quare & in rebus San-Blasianis fidem meretur. pag. 190.

VIII. Dixi, accurate quidem; nam eidem cetera, quæ nobis tempus edax rerum reliquit, monumenta, testimonium dicunt gravissimum. Hinc frustra conqueritur Adversarius, quod P. HERRGOTTUS *futurus San-Blasianarum Originum editor*, scriptoris huius, ut ut tam recentis, notitias tanti fecerit, utpote *quæ* (ut pag. 306. dixerit) *rebus San-Blasianis lucem adferunt. Cur autem fidem maiorem*, pergit ille, *is habeat scriptori circa res San-Blasianas, quam circa alias, si quas tractat*, EXTRA DOMUM VAGANTES, *& temporis quidem non sui?* Frustra, aio, hic est Adversarius; neque enim fidem ei maiorem habet circa res San-Blasianas is, qui exinde *lucem* duntaxat *adferri* dixit: nec, quod nunc magis claret, facile decipi poterimus, cum & ipse *domesticus*, *domestica* quoque scripserit. Magnum porro discrimen inter res San-Blasianas, quas refert Actuarius, & genealogias Principum Habsburgicorum, obversari autumo; quandoquidem circa illas nullum ei erratum adhuc obiici potuerit, bene vero circa has. Cum ergo fides eius in illis integra sit, in his vero nonnihil prostituta, caussa iam in propatulo est, cur in rebus San-Blasianis inoffenso acceptari pede possit, non item in rebus genealogicis. Adde, quod, ut diximus, CONRADO nostro, ex monumentis nostris, chartis puta, ac diplomatibus, gravissimum accedat præsidium. Sed mittamus

hæc;

hæc ; neque enim integræ Communitates diffidiis privatorum litterariis implicandæ funt ; nec ego certe quidquam ea de re meminiffem , nifi me invitum , ac renitentem , eo deduxiffet Adverfarius.

IX. Hæc, aliaque, cum ad corollarium P. HERRGOTTI repofuiffet Adverfarius, concludit demum cum eodem hisce verbis : „ Dicamus igitur & nos , *fcriptorem* „ *Actorum Murenfium gravem effe , quin & graviffimum* , „ *in rebus domefticis & fui temporis* : Dicamus confequen„ ter , *in genealogia quoque Habsburgica eius auctoritatem* „ *magni faciendam* , *nec contemnendam* , aut in dubium ad„ ducendam , *etiam in iis* , *quæ de retro actis temporibus* „ *meminit ;* at exclufa limitatione illa fuperflua P. HERR„ GOTTI, fubdentis: *dummodo hæc monumentis coævis* (hoc „ eft diplomatibus & chartis fuis) *vera quadam ratione ful„ ciantur* , *aut faltem iis non impugnentur* , *ut fides huma„ na acquiefcere non reformidet.* Verum enimvero fatis, opinor , hactenus demonftratum fuit , exceptionem hanc, feu *limitationem* , minime fuperfluam effe ; quandoquidem fcriptor ille , ac præfertim Genealogus , non folum a P. HERRGOTTO , fed & a pluribus aliis, haud otiofe tentatus , examinatusque , fubfidio Diplomatico , ut fidem poftliminio inveniat , nimium quantum indiget. Fidem etenim qui falfa narrando femel proftituit , fidem apud prudentes homines ægre inveniat, nifi ea aliunde refarciatur, neceffe eft. Hinc quoque perperam cauffatur Adverfarius, nullum a P. HERRGOTTO productum fuiffe monumentum coævum, quibus Acta Murenfia impugnari queant. Quafi vero, quæ de filiis RICHENZÆ *Lenzburgicæ* memoriæ prodidit Genealogus , falfo etiam filium eius ARNOLFUM Comitem de *Baden* nuncupando , aliunde , ac ex diplomatibus fufflaminata fuiffent ? An nefcimus etiam , confufionem familiarum *Hombergenfis* & *Tierfteinianæ* ex eodem fonte detectam ? & unde demum fcimus , ITAM Comitiffam non effe WERNHARII epifcopi fororem , nifi ex chartis & diplomatibus ? Contra vero fequere five Genealogum , five Actuarium : THEODRICUM Ducem *Lotbaringorum*, CHUNONEM Comitem de

Reftituitur P. H. corollarium. pag. 191.

Ibid.

Rinfelden , nec non WERNHARIUM epiſcopum, fratres fuiſſe dices , adeoque Comites de *Egisheim* a ſanguine Lotharingico illo priori deduces , aliaque ſimilia ſtatues , quibus nedum diplomata bene multa , ſed & integra Genealogorum ſyſtemata contradicunt : ut ſæpius citato cap. III. vidimus. Quæ cum ita ſint , facile intelligitur , quid de ſcriptoribus eiusmodi ſentiendum , & quousque eis fidendum ſit. Quare concludamus , paucis mutatis , cum Adverſario , præeunte P. HERRGOTTO , iterum , dicamusque : ſcriptoris Murenſis auctoritatem *ex ſe & propria virtute* talem ac tantam haud eſſe , UT EI RES TANTI , QUANTI EST GENEALOGIAM AUGUSTÆ GENTIS HABSBURGICÆ CONDERE , TUTO INNITI ET ACQUIESCERE POSSIT.

FINIS LIBRI I.



ANO-



ANONYMUS MURENSIS
DENUDATUS,
ET
AD LOCUM SUUM RESTITUTUS.
LIBER II.
EXPENDITUR PARS ADVERSARII II.
CAPUT I.
Reſpondetur ad Adverſarii introductionem.

I. CUm duo potiſſimum in Vindiciis ſuis exquirenda ſibi ſumpſerit Adverſarius, totidem etiam in partes opus ſuum diſpeſcuit. Cuius argumenti ſit prior, quaque felicitate ille in eo verſatus fuerit, vidimus adhuc: iam qua ratione alteram hanc ſpartam ornaverit, diſpiciendum.

Acta Murenſia ad texendam Genealog. Habsb. neceſſaria eſſe, tota hac II. P. con-

tendit Adversarius. Quemadmodum priori illa parte, contra prolegomenon P. HERRGOTTI tertium, ostendere fategit, auctoritatem Murensis scriptoris *ex se & propria virtute, sine adminiculo, ex re diplomatica, aut aliunde petito*, tantam esse, ut ei structura Genealogiæ Habsburgicæ tuto inniti possit; ita & in præsenti omni nisu in eo est, ut eiusdem demonstret necessitatem. „Si quem alium, inquit, certe Clar. Genealogiæ Diplomaticæ auctorem, summe Rev. D. P. HERRGOTTUM „studio severo, & affectu haud indulgentiori Acta Murensia „discusisse constat; ut adeo inde persuasi esse queamus, *de* „*auctoritate eorundem maxima*, quod hac ipsa Genealogum „etiam Diplomaticum lib. II. absque ulla erroris formidine „uti videamus. Cur enim uteretur is auctoritate, qua pro„fecto, tanquam non diplomatica, carere mallet, nisi maxi„mam, immo *necessariam* iudicaret *ad Genealogiæ Habsbur*„*gicæ constructionem?* „ Addit deinde hisce verbis verba, quibus dicta & dicenda illustrare studet, singulaque eo demum redeunt, ut ostendat, Acta Murensia P. HERRGOTTO ad statuminandam Genealogiam Habsburgicam, qua parte ea in codice Murensi continetur, non minus, ac Abbati TSCHUDIO (quem is tamen inculpaverat, quod *plus fidei, auctoritatisque, quam par erat, scriptori suo detulisset*) summe necessaria fuisse; *utrumque* nempe, *qua parte genealogiam suam ex chartis & diplomatibus stabilire non poterat, ad scriptorem Actorum Murensium recurrere, atque ex eo omnia illa, quæ ad res Habsburgicas quidquam facere videbantur, excerpere coactum.* Concordat cum hisce P. II. titulus, sic habens: PARS II. VIRTUTEM ET NECESSITATEM EORUNDEM ACTORUM DEMONSTRANS.

(Margin: pag. 193. — pag. 194.)

Quod cum concedi queat. II. Non abhorret hæc introductio ab ea, quam libri I. cap. I. explosimus, quodque quam merito factum, in consequentibus haud segniter, opinor, confirmavimus. Hic igitur procul dubio exspectabit a me Adversarius, ut, quemadmodum toto fere priori libro, præcipue vero a cap. XIII. ad finem usque, docuimus, scriptores Murenses, cumque primis Genealogum, ob crassos, in eo detectos, atque longe, lateque, ostensos errores ac nævos, tantæ auctoritatis haud esse, ut *se solo* fidem facere, adeoque humana mens illi

tuto

tuto inniti & acquiefcere poffit : ita & hoc loco certo certius negaturum, quod is hac integra parte operofe adeo demonftrare adnifus eft, *virtutem* fcilicet *& neceffitatem Actorum Murenfium.* Sed errat tota re, qui id a me præftolatur; cui enim unquam in mentem venit, ut id negaret? num P. HERRGOTTO? At verba eius clariora funt, quam ut adeo finiftre exponi poffint. Quid enim hisce luculentius? *Habsburgenfes igitur origines rite pernofcere cupienti ante omnia opus eft, monumentorum Trutpertinorum*, ACTORUMQUE MURENSIUM FIDEM, AUCTORITATEMQUE *bene perfpectam habere; utpote* QUORUM MAGNUS ET FREQUENS IN HOC OPERE GENEALOGICO CONTEXENDO USUS *veniet.* Qui libro cuidam vel auctori tale texit elogium, ut eius ufum, & quidem ad opus aliquod contexendum, *magnum & frequentem* effe publice fateatur, num is auctorem ut inutilem aut fupervacaneum reiicit? quin immo, nunquid non vel ideo neceffarium pronuntiat? At eadem Acta ut fidem faciant, adminiculo ex re diplomatica petito, indigere docuit P. HERRGOTTUS. Quid tum? Eftne hoc dicere, illa haud effe neceffaria? aut num ideo inter quisquilias reiecta fuerunt? Merces Bafilea Lipfiam transferre cupis, curru indiges equis & auriga. Dic ergo, currum ex fe & propria virtute, fine alio adminiculo, ex regno animali petito, ad transportandas merces haud fatis effe: num ideo currum fuperfluum dicis? Minime gentium. Idem nos reponimus in re præfenti; fimillima namque funt decantata illa verba P. HERRGOTTI, in corollario prolegomeni III. pofita: *Itaque ftatuendum; Acta Murenfia, ut ut cetera* AD RES HABSBURGICAS APPROBE FACIANT, *tantæ tamen auctoritatis non effe, ut ex fe*, AC PROPRIA VIRTUTE, SINE ADMINICULO, EX RE DIPLOMATICA PETITO, *in genealogia, iisque in locis, ubi circa rationem temporum difficultas exorta eft, plenam ac indubitatam fidem facere poffint.* Ad res Habsburgicas approbe facere, fidemque etiam habere dicit, quamvis non plenam, ac, nifi accedente fubfidio diplomatico, indubitatam, quod quid eft aliud, quam dicere, quod Adverfarius, nemine refragante, contendit: Acta nimirum Murenfia effe neceffaria, ac tantum non recitare titulum partis Vindiciarum fecundæ, id eft, *virtutem & neceffitatem eorundem* agnofcere?

III.

Consequens est, eum inani laborare hypothesi.

III. Hæc igitur cum tam certa sint, quam quæ certissima; sine negotio pervidetur, quam male sibi consuluerit Adversarius hac tota sua parte II. ubi contra P. HERRGOTTUM magno & insigni conatu demonstrare adnisus est id, quod tantum abest, ut is negaverit, ut etiam verbis, non uno loco expressis, manifeste docuerit. Cum ergo tota Adversarii structura, non dicam malo, seu infirmo, nitatur fundamento, sed mala, seu vana hypothesi; videri queat, omnem iam nostram cessare disputationem; qui enim concertatio locum invenire possit, ubi singuli consentiunt? sed est tamen, unde oratio ulterius progrediatur, occurrentque non pauca, quæ, ducente me Adversario, aut expendenda enucleatius, aut certe complananda erunt: sed & ante omnia, quæ ad præsens argumentum porro spectare videbuntur, exquirenda.

Nam etsi uterque scriptor subjectæ in nonnullis fidei accusatus sit,

IV. Sunt autem ea, quæ forte Adversarius, aut etiam alii quidam censores huic nostro asserto opponi posse putabunt. Si Genealogus Murensis, dicent, adeo mendosus, mancus & incompletus est, qualem revera esse ostendimus: si præterea homo seculi tertii decimi fuit; si Acta deinde subsequentia partus quidem seculi antecedentis, sed nec ipsa ab omni prorsus (& quidem in rebus Genealogico-Habsburgicis) errore vacua sunt: si hæc, aliaque, centies repetita, sic se habent; quis non videt, Genealogiam Diplomaticam, ad quam contexendam his auctoribus opus esse ultro agnoscimus, infirmis niti fulcris, ita quidem, ut omnia incerta, atque ambigua sint, quæcunque iisdem fuerunt superstructa? Est hoc ipsissimum, quod Adversarius tanquam certissimum atque supremum caussæ suæ præsidium ponit; unde in capite libri, id est in præfatione, plenus admirationis in hæc verba ruit: „ Mirantur oppido multi (& cur non omnes?) satis-
„ que mirari non possunt, qui Clar. Pater huc adduci po-
„ tuerit, ut talem negaret Actorum Murensium scriptorem,
„ qualem ipse vel *propriæ fidei consulturus*, optare, immo
„ qualem, sicut iure optimo potuisset, ita, data opera, de-
„ buisset asserere; utpote a quo, nec aliunde, uti liquebit,
„ & ipse sex illos, quorum supra meminimus continuos rectæ

„ lineæ

„ lineæ gradus mutuavit. Ad quid ergo tam inconſulta per „ totum orbem litteratum diffamatio Actorum Murenſium, „ quorum auctoritate carere nequit, qui ea impugnat? ad- „ verſarius, neſcias an ſibi magis an ſcriptori Murenſi? cer- „ te utrique. „ Hæc, aliaque ſimilia, Adverſarius ſatis fidenter in præfatione.


V. Verum enimvero nos multo magis miramur, tam multos huius rei eſſe admiratores, ſcientes ex Philoſophis, cuius admiratio filia ſit. Non ſolum autem miramur, ſed neque percipere poſſumus, quî fiat, ut, quicunque illi *multi* ſint, quorum nos tamen ne unum quidem novimus, iudicium ferre auſint, aut nondum inſpecta cauſſa, aut male intellecta. Petere enim, ut quis ſcriptori, quem mendoſum deprehendit, ſine prævio examine, nec conſultis artis criticæ regulis, plenam adhibeat fidem, eſt idem petere, quod nemo non reſpuat: nimirum, ut quis agat ſubdole, aut diſſimulanter, adeoque periculum adeat, ſuam ipſius fidem ſuſpectam reddendi. Quis autem hoc exigere poſſit a viro cordato? Sciverat utique P. HERRGOTTUS, quibus fundamentis Rev.mus Abbas CALMETUS utriusque ſcriptoris errores genealogicos, de quibus nos lib. I. cap. III. fuſe egimus, in dias luminis auras produxerit: ſciverat, quid non nulli alii de eo ſenſerint: ſciverat & id, quod hactenus denuo demonſtratum fuit, quanti errores a præfixo Anonymo, in ipſis genealogicis commiſſi fuerint: ponamus iam, P. HERRGOTTUM omnia ſingulari ſtudio diſſimulaſſe, atque ambobus ſcriptoribus fidem ut oraculo adhibuiſſe: quid ſequeretur? hoc ſequeretur, aut diceretur ſaltem, *Genealogiam Diplomaticam* infirmis inniti fulcris, mendoſis nempe monaſterii Murenſis ſcriptoribus. Quis, niſi alia acceſſerint adminicula, temere fidem adhibeat iis in rebus, puta genealogicis, in quibus eosdem turpiter erraſſe viderit? cum ex adverſo dicendo, quod res eſt, ſcriptoremque laudando, ubi debuit, reprehendendo ubi meruit, eiusque denique fidem ope diplomatum chartarumque velut poſtliminio revocando, a P. HERRGOTTO conſultum fuerit cum auctori, ſeu auctoribus, tum veritati, atque id demum effectum, ut humana mens credere

Ea tamen ope diplomatum reſtituta fuit.

iam non refugiat, quod talibus conſpicit ſuffultum fuiſſe documentis. Sed hæc ſingula mox clariora fient, ubi tandem oſtendero, quo pacto cum Genealogo, tum Actuario fides iam nutans ope diplomatum reſtituta, & quousque demum uterque ad texendam Genealogiam Diplomaticam neceſſarius fuerit.

Id quod, adducta tabula genealogica,

VI. Quod utrumque ut eo luculentius exponam, quo & ipſi oculi teſtes eſſe poſſunt, tabulam hic apponere viſum eſt, maiorum Habsburgicorum rectæ lineæ propagatores potiſſimum exhibentem, prout illa tam ex ſcriptoribus Murenſibus, quam diplomatibus educta, operi Genealogico inſerta fuit:



Oſtenditur primo a RUDOLPHO usque ad ALBERTUM III.

VII. Totum hoc fere eſt, quod de Genealogia Auguſtæ Gentis Habsburgicæ ex laudatis ſcriptoribus hauriri potuit; videamus iam, ut ea diplomatibus P. HERRGOTTI, incipiendo a RUDOLPHO Rege Rom. confirmentur. Quocirca notandum eſt, dictum RUDOLPHUM ALBERTO IV. natum eſſe primo loco, ſecus, ac putavit PEIRESKIUS, aliique, quod

quod tamen P. HERRGOTTUS ex diplomatibus aperte demonſtravit (a); unde & ſuppleri debet Genealogus Murenſis, qui eum, ut ſæpenumero diximus, omiſit, eius duntaxat fratres recenſens. Cum autem & eadem fidelia ſtemma eius luculenter oſtenſum ſit, ac de eo aliunde nemo dubitet, cum diplomata eam in rem ſuppetant tantum non ſuperflua; ad ALBERTUM, eius partem, accedimus. De illo ergo, eiusque progenitoribus, in inſigni diplomate *Wettingenſi* (b) legimus: *Comites de Habispurch, videlicet* RUDOLPHUS *Lantgravius Alſatiæ*, RUDOLPHUS *Canonicus eccleſiæ Baſileenſis*, GOTTFRIDUS *&* EBERHARDUS *fratres, eiusdem Lantgravii patrueles.* Et nonnullis interiectis: *Comites videlicet* ALBERTUS, *mihi Lantgravio pater, nobis tribus fratribus patruus,* RUDOLPHUS *avus,* ALBERTUS *proavus.* Habemus igitur hic a RUDOLPHO IV. usque ad ADELBERTUM III. iam quatuor progenies, variis etiam aliis diplomatibus confirmatas, hoc autem inſtrumento, quod & ſeptem ſigillis munitum eſt, adeo diſtincte expreſſas, ut nihil poſſit eſſe luculentius. Quare Adverſarius ipſe fateri cogitur, *ſibi nihil tale hucusque contueri licuiſſe*, pag. 284. id quod ei facile crediderim.

Et ab hoc usque ad WERNHERUM *II.*

VIII. Pergamus igitur, qua cœpimus, via, videamusque etiam de ALBERTI patre. Eſt is WERNHERUS III. de hoc enim Inſtrumentum Archivi Murenſis circa annum 1145. ſic legit: *Comes* OTTO, *pater* WERNHERI *Comitis de Habsburg.* Quo quidem Inſtrumento egregie firmatur, quod tam in genealogo præfixo, quam etiam in CONRADO noſtro, Actorum Murenſium auctore, legitur, ut alibi fuſius referemus. Scio equidem, quid hisce alio in loco opponat Adverſarius (c), quibus tamen pulcherrime occurremus, ſicubi eo ventum fuerit. Succedit WERNHARIUS II. RADEBOTONIS filius, quem inter cetera prodit diploma HENRICI IV. Imp. anni 1114. IV. Nonas Martii, ubi habetur: *a* WERNHARIO *Strasburgenſi epiſcopo, parente ſcilicet* WERNHARII COMITIS

(a) Gen. Diplom. T. I. Lib. II. cap. I. num. X. p. 129.
(b) Ibid. T. II. n. CCCCXXXI. p. 351. Adde cit. cap. I. ubi eius ſchema exhibetur.
(c) Nimirum P. II. cap. VI. ſect. II. p. 243. ſeq.

DE HABSBURG. ubi *parentis* vocabulo patruum hic intelligi, a aperte evicit P. HERRGOTTUS (a), indeque rite deduxit, RADEBOTONEM fratrem fuisse WERNHARII episcopi, ac patrem WERNHARII II. adeoque tritavum RUDOLPHI IV. postea Rom. Regis. Luculentius hunc gradum ostendit bulla INNOCENTII II. PP. hæc præferens: *quæcunque eidem loco a fratre nostro* WERINHARIO *Argentinensi episcopo, & eius nepote* WERNHERO *Comite de Habsburg.* Qui clariora vult, huic vel sol ipse obscurus videatur, oportet. Sed tamen etiam hic b non nulla insectatur Adversarius (b), quibus suo loco respondendum.

Quin immo ad GUNTRAMNUM *Divitem* usque.

IX. Superest RADEBOTO, LANCELINUS & GUNTRAMNUS *Dives*, quorum quidem nomina & progeniem reticet Genealogus, contra vero aperte prodit Actuarius, seu CONRADUS de S. BLASIO, confirmata a chartis & diplomatibus. Sed hæc testimonia, cum aperta adeo non sint, ut priora, uberiorem eorum disquisitionem in capita sequentia differre cogor: breviter interim hic adnotans, pro stemmate RADEBOTONIS præter diploma HENRICI II. Imp. anni 1023. chronicon quoque *Novientense* luculenter facere, eidem WERNHARIUM episcopum (quem ex prædecessoribus Habsburgicis c unum fuisse, diplomatice certum est) aperte assignans (c). d Pro LANCELINO autem & GUNTRAMNO plurima adesse diplomata, alibi ostendimus (d). Id quod omnino sufficere debet; cum P. HERRGOTTUS, ut sæpe diximus, & identidem repetimus, nihil aliud voluerit, docueritque, quam Actuarium Murensem *se solo & ex propria virtute* non sufficere (& id quidem ideo; quod in ipsis rebus genealogicis erraverit) bene vero diplomatibus coniunctum, aut, quod maius est, e iis saltem non contradicentibus (e). Ponamus autem, nullam prorsus de his tribus ultimis haberi, aut usquam extare notitiam, nisi in solo CONRADO nostro; num ideo illi in hisce absolute deneganda fides? cui enim tot chartæ & diplomata

(a) lib. II. cap. VI.
(b) P. II. cap. IV. p. 251.
(c) Apud ECCARDUM Lib. II. cap. II. col. 70.
(d) Lib. I. cap. XX. num. IV. pag. 179.
(e) Proleg. III. §. ultimo.

mata in ceteris progeniebus teſtimonium dicunt graviſſimum, quis prudenter dubitare poſſit, annon (quamdiu nulla monumenta idonea contrarium perſuadent) eidem quoque fidendum, accedendumque ſit? quanto ergo e contrario maior præſtanda fides, cum inſtrumenta producuntur, quorum ſaltem nomina, epochæ, ſitus terrarum, & ſimilia, apprime reſpondent? uti id certe abunde fit ex diplomatibus P. Herrgotti.

Quo pacto Actuario Mur. opus ſit, declaratur.

X. Et in hoc ſenſu facile nobis convenit cum Adverſario, tam Acta Murenſia, id eſt, Conradum de S. Blasio, quam & *Genealogum* præfixum, ad texendum etiam opus Diplomaticum, neceſſarios fuiſſe. Ille nimirum Guntramnum *Divitem*, ac filium eius Kancelinum, nec non & Radebotonem, nepotem eius, clare nobis prodidit, non item diplomata. Hic vero generationum ſeriem, ordinemque texens, gradus quoque conncinavit, ex diplomatibus itidem non ſemper adeo exputandos. Quo poſito, non video, cur auctor mendoſus, non item neceſſarius & utilis eſſe queat. Neque enim conſectarium eſt, ut is, qui in una, alterave progenie humani quid paſſus eſt, continuo etiam circa ordinem & claritatem, aut ceteras quoque progenies, peccaſſe dicendus ſit; maxime cum diplomata producuntur, quæ ei non ſolum non contradicunt, ſed & magnam partem ſuffragantur. Vidimus autem in præcedentibus, reiecta fuiſſe a P. Herrgotto, quæ reiici meruerunt: probata, quæ probanda fuerunt: ac denique in medio relicta, quibus chartæ & diplomata nullum tulere ſuffragium. Prioris exemplum ſubminiſtrat Itæ ſtemma, ac prætenſa cum ea Wernharii fraternitas, nec non chronologia filiorum Richenzæ *de Lenzburg*, quæ ut erronea cum ceteris ſibi ſimilibus eo relegata fuerunt, quo pertinebant (a). Poſterioris ſuppeditant ea ſingula, quæ aut, ex diplomatibus educta, per ſe ſubſiſtunt, ut ea, quæ in diplomate *Wettingenſi*, ac non nullis aliis referuntur, aut eodem adminiculo ſuffulta, fide iterum digna reddita fuerunt, ut tum in decurſu huius apologiæ non ſemel vidimus, cum & in conſequentibus pluribus demonſtrabimus. Tertii generis exempla habemus in

Hh 3 non

(a) Vid. cap. noſtrum XV. num. V. p. 144. ſeqq.

non nullis fœminis, quæ a ſolo Genealogo prodita, nullisque P. Herrgotti documentis firmata, in medio relicta fuerunt (a). Quæ ſingula recte cohærere, atque regulis Logices apprime convenire quis negabit? Age igitur, rem totam complectamur paucis: fac extare iam cum Genealogo ſuo ſolum Actuarium, aut ſolas chartas & diplomata: neutrum, opinor, omni ex parte ſatisfaceret Eruditis. De priori enim omni iure dicendum, hominem ſeculi tertii decimi, & quidem iam vertentis, eundemque non uno loco erroneum, tanto teſtimonio dicundo imparem eſſe: alterum vero ob eandem cauſſam ſubleſtæ eſſe fidei. Fac deinde, ſola ſuppetere diplomata, & inoffenſo pede ad Guntramnum usque aut ægre, aut nullo modo, aſcendes. Iunge ergo utrumque, & tunc demum, non dico, perfectam, atque omnibus numeris abſolutam, ſed &, quod ante P. Herrgottum præcipue deerat, fide dignam conſtitues genealogiam.

Et quidem ex mente P. H.

XI. Atque hanc fuiſſe P. Herrgotto mentem, cum Genealogiam Habsburgicam, atque inter ea recenſum codicis Murenſis adornabat, animo ſediſſe ſententiam, locis non unis expoſuit, quæ ſi Adverſarius non nihil attentius conſideraſſet, quis ſcit, an non ab hac ſecunda parte abſtinuiſſet manum? Operæ igitur pretium erit, unum ſaltem, qui tamen, cum in prolegomeno tertio locum concluſionis, ex præmiſſis legitime illatæ, occupet, inſtar omnium eſſe debet, hic proferre. *In Genealogia*, inquit, *Habsburgenſi eius auctoritas magni facienda, nec contemnenda etiam in iis, quæ de retro actis temporibus meminit, dummodo hæc monumentis coævis* VERA QUADAM RATIONE FULCIANTUR, *aut ſaltem iis* NON IMPUGNENTUR, *ut NB. fides humana acquieſcere non reformidet.* Ecce auctoritatem eius magni facit, non ſolum quoad res ſui temporis, ſed & remotioris; at fulcimenta petit, tanquam vacillanti; laboranti medicinam, ut humana mens, ubi eum mendis onuſtum, adeoque titubantem incedere videt, locuturo, vel aures, vel fidem ne deneget.

XII.

(a) Vid. cap. noſtrum XIX. num. III. nec non cap. XX. num. III. & V.

XII. Hactenus dicta haud obiter confirmari existimaverim exemplis cum Abbatis TSCHUDII, tum ipsius Adversarii, qui ambo mendosis auctoribus ut viris fide omnimoda dignis usi sunt. Non est hic animus, antiquam recoquere crambem, id est dicta cap. nostro I. repetere; quanquam & illa huc facerent; utpote quibus ostensum est, auctores, uno, aut altero loco hallucinantes, non continuo respuendos esse, aut ex Adversarii mente, *usu eorum interdicendum;* ut qui & ipse mendosos Poetas secundis edere curis nullus dubitavit. Nec etiam consilium cepi, exemplum TSCHUDII illud adducere, quod mihi procemium eius ad *Originem & Genealogiam Comitum de Habsburg* evolventi, occurrit; ubi nimirum scriptores nec paucos, nec infimi subsellii, puta LAZIUM *cum asseclis*, *Gerardum de* RHOO, *Franciscum* GUILLIMANNUM, immo quotquot ante se scripserunt, per hæc verba incusat: *Illud duntaxat generatim asseverasse sufficiat, nullum hucusque in tanto numero: quantumvis perspicacem Indagatorem fuisse repertum, qui hanc materiam absque vitio pertractaverit.* Nolim hæc, inquam, in medium producere, atque Rev.mo TSCHUDIO (seu potius Adversario, qui mendosos auctores ex orbe eliminandos docuit) obiicere: illum nihilo secius mox sequenti pag. 3. tum *Gerardi de* RHOO, tum præsertim GUILLIMANNI usum fuisse auctoritate. Nimis hæc generalia sunt, nec rem nostram illustrant satis. Illud duntaxat dico: si Anonymus, ut vocatur, *Murensis*, nullo uspiam indiget adminiculo, si *se solo & ex propria virtute* fidem facit, adeoque illi soli, tanquam firmissimo fundamento, Genealogia Diplomatica superstrui potuit, cur tam TSCHUDIUS, quam Adversarius, monumenta, aliunde petita, in partem adsciverunt? Quid? quod Adversarius supra laudatum diploma *Wettingense*, ut ut longissimum, ex ipsa HERRGOTTI collectione mutuare, & *Vindiciis* inserere suis nullus dubitaverit? manifesto indicio, eum agnoscere, quanti diplomata præ mendosis, obscuris & incompletis Genealogis ad evincendum, quod volumus, pretii sint. Id quod equidem hisce verbis non non obscure fatetur: „Complectitur illud, „ait, continuos rectæ lineæ gradus, præferendum prioribus, „etiamsi unicum duntaxat gradum exprimeret, *neque tale* „*huc-*

Confirmantur hactenus dicta, exemplis Ab. TSCHUDII & Adversarii.

pag. 284.

„ *hucusque contueri nobis licuit.* Eſt autem Inſtrumentum, „ ita deprædicari meritum, illud, quod ex archivo Mona- „ ſterii *Wettingenſis* depromptum, RUDOLPHI I. Rom. Re- „ gis non *patrem* modo, verum etiam *avum*, *proavumque* „ indicat; atque adeo hac *ſua præſtantia* a nobis poſtulare „ videtur, ut illud, quamvis non domeſticum, libello huic „ noſtro inſeramus integrum, & quidem prout a P. HERR- „ GOTTO, ad fidem autographi, ſtudio exactum, Tom. II. „ num. CCCCXXX. exhibetur. „ Si Genealogus Murenſis, adhuc repeto, talis eſt, qualis eſſe prætenditur, ad quid tot in hac parte II. inſtrumenta, partim a P. HERRGOTTO, partim ab aliis pridem edita, & ab Adverſario, nullo prorſus excepto, aut noviter addito, repetita? Sed hæc cur facta ſint, facile ex dictis aſſequimur, adeoque iure merito præſens caput concludimus verbis Adverſarii, P. HERRGOTTO in hac ſua *Introductione* obiectis: „ Efficacius non revocantur dicta, „ quam opere contrario, ſæpe reiicimus initio, quod demum nobis neceſſarium experimur. Probat nimirum uſus „ tam aptitudinem, quam neceſſitatem inſtrumenti, ad quid- „ libet elaborandum aſſumpti.

Monitum. XIII. Quod ſupereſt, video, hoc in capite, quanquam Adverſarii introductio, cui illud oppoſuimus, breviſſima ſit, me longius excurriſſe: id quod tamen ſine cauſſa factum eſſe, nemo exiſtimet; ſingula enim hic, ut in veſtibulo, enucleatius exponenda fuerunt; ut, quæ ſit partis Adverſarii II. ratio, velut ſuo unum lectoribus reduceremus conſpectum, utque nemo non facile iudicare quiret, quid valoris, quid roboris eidem inſit. Accedit & hoc, ut in conſequentibus tanto breviores eſſe poſſimus, quod, ſubverſa Adverſarii hypotheſi, reliqua ſtructura tantum non per ſe ruitura ſit, crebriſque illis de *neceſſitate Actuarii* (nam hoc identidem inculcat, urgetque Adverſarius) repetitionibus iam in antea ſatisfactum fuerit. Prævideo equidem, fore, ut huic ad præcedentem librum nulla ſit proportio: ſed facile veniam merebor; neque enim aliam, quam quæ ab Adverſario trita fuit, viam incedere poſſum, nec tamen ideo neceſſarium, immo nec conſultum viſum eſt, ut, ad imitationem eius-

eiusdem, ſcriptionem hanc chartis & diplomatibus, toties impreſſis, oneremus potius, quam exornemus.

CAPUT II.

De GUNTRAMNI *Divitis* patre HUNFRIDO, & avo LUITFRIDO.

I. NOn reſpondet hæc capitis inſcriptio, cum ea quam Adverſarius, ſimilem materiam tractaturus, capiti ſuo primo hunc in modum præpoſuit: *De Habsburgici ſtemmatis Apice*, GUNTRAMNO *Divite.* Quæ inſcriptio quo tendat, facile animadvertimus, ad ſubvertendum nempe ſyſtema P. HERRGOTTI, quo ille altius aſcendens, originem Comitum Habsburgicorum ab HUNFRIDO, LUITFRIDO, atque adeo ab ETHICONE deduxit. Conſentiunt enim huic conſilio cetera in hoc toto capite diſputata, quæ eo collimant, ut Abbatem TSCHUDIUM, qui in hoc GUNTRAMNO *Divite* filum gentis Habsburgicæ abrupit, ſolida & certa docuiſſe oſtenderet: P. HERRGOTTUM contra altius aſcendendo, coniecturis tantum nixum, incerta. Adeo non ſatis fuit, integrum P. HERRGOTTI (quod quidem inſtituti ratio ſolum exigebat) prolegomenon carpere: etiam iugulum petendum fuit; ut *Vindicis* munus omni ex parte adimpleretur.

UltraGUNTRAMNUM *Divitem* in Genealogia Habsburg. aſcendi haud poſſe, opinatus eſt Abbas TSCHUDIUS. pag. 195.

II. Prodit autem hanc mentem fere toto hoc capite I. atque inter cetera etiam, cum doctrinam laudati Abbatis quoad GUNTRAMNUM *Divitem* retuliſſet, ita proloquitur: *Patrem* GUNTRAMNI *noſtri quia ſilent Acta, ignorat quoque* DOMINICUS, *ex alienis documentis, prout alibi notavimus, altius aſcendere veritus; ne* DUBIAS CONIECTURAS *pro certa veritate divendere videretur.* Quo hic per verba, *ut alibi notavimus*, provocat Adverſarius, in præfatione quærendum eſt, ubi equidem hæc legimus: *Etſi autem Genealogus iſte* (Dom. TSCHUDIUS) *ſupra* GUNTRAMNUM *non aſcendat, hac tamen limitatione antiquitati ſtemmatis nihil detractum iri exiſtimabat;*

Conſentiente Adverſario, pag. 197.

vel maxime, quod altior eiusdem indago tam claris, firmisque documentis ſuccollari non poſſe videretur, ut inde ſeriem indubitatam ſubvehere liceret. Perſpectas ille quidem habebat ex GUILLIMANNO, *aliisque ſcriptoribus*, TABULAS TRUTPERTINAS, *quæ ad ævum longe ſuperius nomen* HABSBURGICUM *referunt. . . . Hanc ſi* DOMINICUS *noſter hypotheſin acceptaſſet, viam equidem habuiſſet apertam, ad ipſos quoque* GUNTRAMNI *Maiores aſcendendi.* Hæc, aliaque, Adverſarius de Abbate DOMINICO, quem licet virum ſane doctum fuiſſe non abnuo, memoriæ tamen, ſi dicere licet, quod res eſt, hic occurrit ovum *Chriſtophori* COLUMBI; cum vix ac ne vix quidem perſuaderi queam, eum ſimilia ſua ætate habuiſſe in mente, & non prodidiſſe.

Nec non D. GENDERIO.

III. Verum quidquid de hoc ſit, DOMINICUS ideo ulterius aſcendere noluiſſe dicitur, quod *dubiis coniecturis* indulgere noluerit, atque eventus docuerit, quod P. HERRGOTTUS, HUNFRIDUM patrem GUNTRAMNI conſtituendo, argumenta attulerit non usquequaque convincentia. Opponit autem præprimis auctoritatem Abb. CALMETI, & ECCARDI (de quibus inferius) qui ex vita S. DEICOLI, GUNTRAMNI patrem HUGONEM Comitem Alſatiæ conſtituunt; tum vero longam Illuſtr. D. GENDERII diſputationem in medium affert, qua ille elevare ſtudet, quidquid P. HERRGOTTUS ad evincendum ſtemma GUNTRAMNI *Divitis* accumulaverat.
lib. II. cap. IV. Verba P. HERRGOTTI ſunt hæc: „ ALBERTUS Comes de „ Habsburg, & Landgravius Alſatiæ, confirmavit anno 1186. „ donationem, Abbatiæ S. TRUTPERTI, factam a LUITFRIDO, „ OTPERTO & RAMPERTO, quos progenitores ſuos expreſſim vocat. Ex Archivo porro Murenſi, aliisque Actis „ perſpectum habetur, univerſam gentem Habsburgicam, & „ ipſum adeo ALBERTUM Comitem de Habsburg a GUNTRAMNO *Divite* ortum ducere: hunc ergo GUNTRAMNUM „ nepotem fuiſſe LUITFRIDI, neceſſe eſt: cum propter convenientiam temporis, tum quod GUNTRAMNUS legatur poſſeſſiones habuiſſe in iisdem quidem terris, ubi bona LUITFRIDI VI. avi ſui ſita erant. Genitus autem ſit, oportet, „ GUNTRAMNUS *Dives* ex filio LUITFRIDI natu maiore,

„ HUN-

„ Hunfrido ; natu maiores enim inter Comites Habsburgi- „ cos magnis ſemper gaudebant prærogativis ; probantque „ ampliſſimæ Guntramni poſſeſſiones, unde nomen *Divitis* „ obtinuerat, patrem ipſi non niſi Hunfridum fuiſſe, filium „ Luitfridi VI. natu maiorem. „ Hæc P. Herrgottus, quæ tamen nec ſola, nec integra ſunt, quæ ad hoc argumentum ſtatuminandum attulit, ut Genealogiæ diplomaticæ lib. II. caput X. & XI. conſulere volenti, nec non & ex conſequentibus amplius patebit.

IV. Opponit his Adverſarius, ut dixi, opinionem Genderii, cuius viri infirmas argumentandi rationes alia occaſione inſpeximus (a), videamus nunc, quo pacto & hic calculum ſubducat. „ Inprimis opinionem Guillimanni (de quo P. Herrgottus alibi) nullius eſſe auctoritatis contendit, nec ab ipſo P. Herrgotto magni fieri. Probari quidem, Guntramno fuiſſe poſſeſſiones in eadem regione, ubi ſuas Luitfridus habuit: at non probari iiſdem illum præciſe fundis, iiſdem iuribus, eorundemque monaſteriorum advocatiis potitum eſſe, nec demonſtrari, Guntramnum hunc, aut aliquem deſcendentium ſuorum, Abbatiæ S. Trutperti advocatum fuiſſe. Prætenſum igitur argumentum P. Herrgotti ad hoc redigi : *quod* Guntramnus *Dives bona poſſederit in eodem ſolo, ubi* Luitfridus VI. *eodemque tempore, quo potuerit eius eſſe nepos :* huic autem rationi ne coniecturæ quidem vim ineſſe. Chartam donationis *Trutpertinam* a P. Herrgotto extra omnem falſi ſuſpicionem poni ; eius tamen autographum haud amplius extare, ſed *copiam* tantum, ab Epiſcopo Baſileenſi *vidimatam*, anni 1262. atque præmemorato Alberti Comitis de Habsburg privilegio, quo is dictam Luitfridi donationem confirmavit, inſertam. Verum admiſſo etiam, inſtrumentum illud eſſe authenticum, nullumque ex parte monachorum *Trutpertinorum* aſſentationis ſtudium interveniſſe, videri tamen, illud ad ſanguinis coniunctionem inter Comites de Habsburg, & veteres Comites Alſatiæ, adſtruendam, potius adverſari, quam ſuffragari novo ſyſtemati P. Herrgotti. Quare ? *Nominat*, inquit, Al-

Cuius rationes afferuntur ; a pag. 200.

(a) Supra cap. III.

BERTUS OTPERTUM & RAMPERTUM *suos progenitores*, *quos contra* LUITFRIDUS *in charta sua non consideravit*, *nisi tanquam* ANTECESSORES; *tales nempe quibus revera*, *prout ipse* P. HERRGOTTUS *agnoscit*, *neque locus in linea recta*, *ab* ALBERTO *ascendente*, *sed tantum in linea collaterali*, *concedi possit &c.* „ Hæc ille.

Itemque argumentum Adversarii. pag. 201. V. Eidem succinit Adversarius, addens: plura cit. loc. systemati P. HERRGOTTI opponi, contendique a GENDERIO, *ex allegatis instrumentis verum sanguinis nexum Luitfridianam inter & Habsburgicam stirpem non demonstrari.* Hinc Adversarius, GENDERII opinionem suam faciens, subiungit: *adeo non convincunt statim diplomata & chartæ*, *quæ vel stemma controversum non clare exprimunt*, *vel genuinos eius gradus non connectunt.* Non alia docet in laudata præfatione, dicens: quod etsi Landgravius Alsatiæ ALBERTUS LUITFRIDUM, OTPERTUM & RAMPERTUM non tantum *prædecessores*, sed & *progenitores* suos nuncupet, adhuc tamen dubium esse, quo sensu vocabulum *progenitores* accipiendum sit: num videlicet eo significentur paternæ, an maternæ, rectæ, an collateralis lineæ Maiores? in cuius rei confirmationem exemplum affert ex diplomate CONRADI III. in gratiam monasterii *Einsidlensis* (a) an. 1144. dato, *in quo ille duos* OTTONES, *I. & II. in gradu valde remoto*, *lineæ nec nisi maternæ*, *sibi cognatos: duos item* HENRICOS, *II. & III. avum quidem & proavum*, *sed pariter ex matre tantum*, *atque* HENRICUM IV. *avunculum*, *progenitores suos nominat. Adeo periculo erroris*, subiungit Adversarius, *non caret vocis æquivocæ interpretatio*, *si de hac aliunde evidenter non constat.*

Quæ refutantur: ac primo loco rationes GENDERII duæ priores. VI. Has cum Adversarii, tum GENDERII dubitationes, contra systema P. HERRGOTTI motas, ut rite solvamus, unum post alterum intuendum venit. Expendamus autem omnium primo dicta GENDERII, qui & omnium primo loco præter veritatem asserit, P. HERRGOTTUM niti auctoritate GUIL-

(a) Citantur Annal. HEREMI. Item Chronicon TSCHUDII ad an. 1144. Omnium novissimus edidit P. HERRGOTTUS tom. II. num. CCXXIII. pag. 170. qui tamen non citatur.

GUILLIMANNI, aut saltem eam inter rationes suas adnumera-
re. Nam is de eo hæc tantum habet: *Felicior hac in parte*
GUILLIMANNUS *fuit, qui eadem, qua nos pergimus, via ince-
dens*, GUNTRAMNO *in schemate Genealogico Habsburgensi Ma-
iorem constituit* HUNFRIDUM. *Verum is quoque exterarum
rerum historiæ, quam eruendæ, probandæque Genealogiæ stu-
diosior, nobis lampada tradidit, ut hunc* HUNFRIDUM &c.
(a) En quo pacto laudet GUILLIMANNUM P. HERRGOTTUS, a
ut vituperet etiam, aperte innuens, illum assertum suum
haud probasse; tantum abest, ut eius utatur auctoritate. Ad-
de, quod quæ de OTPERTO & RAMPERTO idem tenuit
GUILLIMANNUS, ab eodem P. HERRGOTTO explodantur
(b). Eiusdem fere commatis est alterum D. GENDERII asser- b
tum, haud scilicet probatum fuisse a P. HERRGOTTO, GUN-
TRAMNUM hunc, aut aliquem descendentium, Abbatiæ S.
TRUTPERTI advocatum fuisse; quandoquidem illud integro c
parapraphо prosequitur, (c) ubi ex præstantissimo *Trutper-
tino* instrumento hæc adducit: *Ipsi quoque* FILII MEI ADVO-
CATI SINT *rectissimi ipsius loci, atque* TUTORES *&* DEFENSO-
RES, *&* HEREDES EORUM, *& sub eorum* TUTELA *ipsum mo-
nasterium, cum omnibus, ad id pertinentibus, tam caute &
iuste defendatur, quatinus sint reddituri inde Deo rationem.* Qui-
bus verbis, velut in fundamentum substratis, posteros Habsbur-
gicos laudati monasterii advocatos in seculum usque XIII. perse-
verasse, ex eo probat, quod ALBERTUS iura *advocatiæ* exer-
cuerit adversus *G. Marscalcum sub-advocatum*, eum scili-
cet, monasterium vexantem, *ad tribunal suum Ruviacense*
summa cum auctoritate citando: id quod non nisi ex pote-
state, advocato competente, facere potuisset; cum eo tem-
pore Habsburgici in provincia *Brisgoviæ* nullum ius territo-
riale habuerint, ut quemdam propria auctoritate ad tribunal
suum exinde evocare potuissent. Quæ singula amplius vide-
ri possunt apud ipsum P. HERRGOTTUM; nobis in præsenti
sufficiat, verba Instrumenti, notatu valde digna, adducere.
Nos itaque, his diligentissime examinatis & cognitis, ait, *de*
Ii 3 *commu-*

(a) Lib. II. cap. X. num. I. p. 155.
(b) Ibid. cap. X. num. II. p. 171.
(c) Ibid. cap. XI. p. 165. Instrumentum ipsum reperitur tom. II. p. 197.

communi ſententia prædictum ius eccleſiæ nominatæ, Sanctitati veſtræ, Pater Abbas S. TRUTPERTI, *& veſtris ſucceſſoribus*, AUCTORITATE NOBIS A DEO TRADITA, *confirmamus & ſtatuimus, ut nulli liceat de aliquibus poſſeſſionibus, eccleſiæ veſtræ*, A PARENTIBUS NOSTRIS *traditis, aliqua ſervicia, vel cenſus, aut aliquid eiusmodi imponere.* Hæc ſunt verba Inſtrumenti, ubi cum primis etiam notandum, quod dicat, *auctoritate nobis a Deo tradita*, quo aperte innuit, ſibi eam iure inde ex perpetua ſucceſſione competere, non indulgentia Cæſarum; quippe quod tum *Comitivam* in Briſgovia haud habuerit: atque ſucceſſionem in bona avita proprie Deus, munia vero homines largiantur. Notandum præterea, quod & ipſe LUITFRIDIGENAS PARENTES ſuos agnoſcat, quo quid aliud innuitur, quam lineæ rectæ propagatores? Quamdiu enim non urgentiſſima, eaque manifeſta ratio ſubeſt, vocabulum aliquod ad ſenſum alienum detorquendi, tamdiu æquum eſt, & ipſa ſana ſuadet ratio, ut illud ſecundum ſenſum proprium, nativum, atque vulgarem, accipiatur. Quis autem neſcit vocabulo *parentes* proprie atque native progenitores lineæ rectæ deſignari?

Itemque tertia.

VII. Fallitur præterea D. GENDERIUS, cum argumento P. HERRGOTTI, a poſſeſſionibus deducto, hanc duntaxat vim ineſſe hominibus perſuadere cupit: „GUNTRAMNUS *Dives* bona poſſedit in eodem ſolo, ubi LUITFRIDUS VI. „eodemque tempore, quo potuerat eius eſſe nepos; ergo „& eius ſucceſſor, & legitimus heres erat.„ Hoc enim gratis omnino adſtrui, patet ex rationibus & chartis, a P. HERRGOTTO hanc in rem allegatis, ex quibus monumentum LUITFRIDI, ſub initium ſeculi X. datum, ſic habet: *Quod decrevi devota mente quoddam monaſterium in honore Dei conſtructum & . . . S.* TRUTPERTI . . . *reſtaurare & aucmentare, cum ædificiis, omnique ornatu ad Divinum cultum pertinentibus*, QUOD EGO A FRATRE MEO HUGONE IN PARTEM HEREDITATIS POSSEDI. Alterum inſtrumentum RUDOLPHI *Provincialis Comitis Alſatiæ* an. 1211. confectum, hæc præfert: *Ego R.* udolphus *monaſterio, quod eſt conſtructum a* PARENTIBUS MEIS *in honore Dei . . . & S.* TRUTPERTI . . .

omnes

omnes homines proprie ad me pertinentes, qui in ipsa valle de hac vita migraverint, cum iure, quod dicitur Val, Abbati & fratribus . . . . . cum consensu filii mei A. perpetualiter pro remedio animæ meæ, & progenitorum atque successorum meorum, devota mente decrevi donare (a). Ex his duobus locis primo intelligimus, ius, *quod dicitur Val*, id est *ius caduci*, etiamnum seculo tertio decimo ad Habsburgicos Comites pertinuisse; nec secundo dubium est, quin & olim ad eos pertinuerit, ad quos vallis *Münsterthal* spectabat, id est ad LUITFRIDOS, vallis illius Dominos, cum *ius caduci* eius certe naturæ sit, ut ad alium, quam ad Dominum loci, saltem ex origine, pertinere haud queat. Hinc ergo consectarium est, posteros Habsburgicos, bona aviatica non tantum eo in solo, ubi LUITFRIDUS VI., quod inaniter prætendit GENDERIUS, sed eadem bona possedisse. *Quando igitur*, ut recte concludit P. HERRGOTTUS, *inter genealogos axioma celebratur, istos unius esse antecessionis & successionis, atque adeo stirpis & familiæ, quorum eædem avitæ in partem hereditatis possessiones sunt* (b), aperte patet, quam non sine iniuria dictum sit ab eodem GENDERIO, rationem hanc P. HERRGOTTI nequidem vim coniecturæ habere.

VIII. His adde, si lubet, GUNTRAMNUM eadem prorsus latifundia possedisse in *Columbaria*, quæ LUITFRIDUS pater HUNFRIDI ante ipsum possederat. Patet id ex sæpius laudata charta *Trutpertina*, in qua legimus: *Ad altare vero, ubi desidero meum esse sepulchrum, dedi specialiter in* COLUMBARIA *unam hobam, ut eam habeat custos ipsius altaris & procurator, ad memoriam mei libentius peragendam.* Nam eidem succinit diploma OTTONIS II. de anno 973. in hæc verba: *Curtes scilicet* COLUMBRA *& Hittenheim, cum omnibus eorum pertinentiis, & nostri iuris, unum mansum in villa Badelesbach, & omnia, quæ* GUNTRAMUS *in Alsatia proprietatis visus est habere* (c.). Quando ergo GUNTRAMNUS in eadem bona *allodialia*, ut vocant, successit, quæ olim ad LUIT-

Quod amplius urgetur.

(a) Vid. Gen. Dipl. lib. II. cap. XI. num. II.
(b) Vid. P. Bern. PEZ de etymo nom. Habsburg.
(c) Tom. II. num. CXLII.

LUITFRIDUM VI. pertinebant, quo iure D. GENDERIUS P. HERRGOTTO, qui id ipſum lib. II. cap. X. num. VIII. demonſtravit, obiicere potuit, ex ipſius argumentis non plus ſequi, quam GUNTRAMNUM in iisdem regionibus, in quibus olim LUITFRIDUS VI., bona poſſediſſe, ceterum haud demonſtrari, quod ea ipſa fuerint, quæ ad LUITFRIDUM pertinebant?

Notio vocabulorum *anteceſſor* & *progenitor*,

IX. Quod ultimo loco circa notiones vocabulorum *anteceſſores* & *progenitores* dubium movit GENDERIUS, adoptavit quoque Adverſarius, atque illuſtravit etiam exemplo, ex Annalibus HEREMI petito, quod mox num. V. adduximus. Quare utrisque ſimul reſpondendum. Chartam *Trutpertinam* haud diſtincte loqui, aiunt, cum OTPERTUS & RAMPERTUS, qui in diplomate ALBERTI, quo illam confirmat, nomine *progenitorum* veniunt, a LUITFRIDO *anteceſſores* duntaxat nuncupentur. Extare præterea exemplum in diplomate CONRADI III. citato num. V. allegato, quo *cognati lineæ valde remotæ* PROGENITORES vocentur; hinc conſectarium eſſe, ſub hoc eodem *progenitorum* nomine, nec non *parentum* & *maiorum*, non ſemper aſcendentes in linea recta ſalutari, ſed vel collaterales, vel longius etiam remotos.

Quorum primum ex diplomatis expenditur, a

X. Audivi ſingula & expendi, quibus antequam directe reſpondeam, viſum eſt diplomata diplomatis opponere. In traditione quadam, facta antiquiſſimo monaſterio Rhenovienſi a reſtauratore eiusdem WOLVENE apud R. P. MUOS (a) hæc habentur: *Ego itaque* WOLVENE, *in Dei nomine notum eſſe cupio. . . qualiter ab* ANTECESSORIBUS MEIS *in loco, qui dicitur Renaugia, monaſterium monachorum conſtructum ſit.* Qui fue-

(a) De *iure Advocatiæ tutelaris monaſterii Rhenovienſis*, Lucernæ 1748. 4.to pag. 7. Ipſum Inſtrumentum reperitur apud eundem pag 17. & diplomatis pars prior pag. 16. poſterior pag. 46. ubi tamen probare minime poſſum, quod auctor BUCELINUM & ISELIUM ſecutus, cum cit. pag. 7. tum alibi, hunc WOLVENUM inter *illuſtriſſimos Comites de Kiburg* adnumeret, contra ac P. HERRGOTTUS eundem tom. II. pag. 44. num. LXXII. dynaſtis duntaxat accenſet; cum in veteribus inſtrumentis nullibi Comitis titulo inſigniatur, manifeſto indicio, eum maiori dignitate auctum haud fuiſſe, ut rei diplomaticæ gnaros nullo pacto latere poteſt. Adde dicta a nobis lib. I. cap. XIV. num. III. ſeqq. de cognominibus.

fuerint iſti anteceſſores, docet diploma LUDOVICI *Germanici* in hæc verba: *Cuius* AVUS *&* PATER, *nec non & ipſe, quoddam cœnobium, Rinaugia nuncupatum, in Alemania, in Comitatu Adalbalmi, ob laudes Divinas & regulares diſciplinas conſtruxerant . . . . data ab incarnatione Domini* DCCCLII. *Anno regni Domini* HLUDOVICI *Regis X. Indictione XV. Actum Moguntiæ multis Principibus in generali Concilio feliciter. Amen.* Non eſt igitur dubium, quin hic per *anteceſſores* aſcendentes in linea recta deſignentur, cumque hoc diploma una & quinquaginta duntaxat annis ante *privilegium Luitfridianum* emerſerit, dici debere videretur, ſeculo ſaltem IX. & paullo poſt, *progenitores* ſub nomine *anteceſſorum* veniſſe, maxime ubi ſucceſſiones hereditariæ erant. Sed & ſeculo adhuc XII. eadem notione acceptum, probat charta CLEMENTIÆ, ROBERTI *Hieroſolymitani*, Flandriæ Comitis, viduæ, apud MIRÆUM anni 1125. (a): *pro remedio animæ noſtræ & Comitum Flandriæ ſalute, tam* PRÆDECESSORUM, *quam* SUCCESSORUM. Alia huic vocabulo vis ineſt in charta PHILIPPI *Boni*, Comitis *Flandriæ*, apud eundem (b), qua prædia, a BALDUINO *Giſnenſi* Comite, coenobio *Andrenſi* conceſſa, dicto anno confirmans, *quoniam annuentibus* PRÆDECESSORIBUS *meis*, ait, RODBERTO *atque* PHILIPPO *ædificatum, & poſtea a* BALDUINO, *nepote meo, monaſterium diligenter honorificatum eſt.* Cum enim RODBERTUS & PHILIPPUS non ex Comitibus *Flandrenſibus*, ſed *Giſnenſibus* prognati fuerint; propalam eſt, nequaquam hic conſanguineos in linea recta, immo nequidem affines intelligi, valetque ſubiecta nota MIRÆI: *Giſnenſes olim Comites (ut & Bolonienſes) Comiti Flandriæ fuiſſe obnoxios & feudatarios.*

XI. Alia prorſus eſt ratio cum vocabulo *progenitores*, quo, dato etiam, non nunquam maiores ex linea materna intelligi, plerumque tamen, & ſecundum genuinam eius notionem, maiores in linea recta paternos denotari, certum eſt. Extat hanc in rem charta IOANNIS III. *Brabantiæ* Ducis, qua

Itemque ſecundum.

K k Præ-

(a) Opp. diplom. & hiſt. tom. I. *Donat. Belgic.* lib. I. cap. XLVI. pag. 377. edit. II.
(b) Ibid. pag. 376.

Prælatos Ecclesiarum hortatur, ut Abbati & monasterio Ordinis Cisterciensis ad *Scaldim* subveniant, hanc adducens caussam: *Nobis est summopere cordi, tam pro eo, quod ipsam ecclesiam* NOSTRAM *specialiter reputamus; quia primum lapidem ipsius ecclesiæ locavimus in fundamento, quam pro eo* NIHILO MINUS; *quod monasterium* NOSTRI PROGENITORES *piissimæ recordationis devotione permaxima* PRIMORDIALITER *fundaverunt* (a). Enimvero paternos hic ac veros progenitores designari, patet ex alio instrumento (b), ubi cœnobium illud ab HENRICO I., dicti IOANNIS tritavo, anno 1233. fundatum legimus. Quid? quod ipsi Habsburgici Principes dictam vocem eodem in sensu acceperint, cum in supra laudato diplomate Wettingensi *quidquid enim iuris*, aiunt, *in sæpe dictis universis & singulis bonis* . . . PROGENITORES NOSTRI *Comites, videlicet* ALBERTUS *mihi Landgravio pater* . . . RUDOLPHUS AVUS, ALBERTUS PROAVUS . . . *possedisse dignoscuntur.*

Cui haud obest exemplum, ab Adversario productum.

XII. Possent id genus exempla multis modis vel ex solo MIRÆO accumulari; cum e diverso, quæ illi aliam, præter dictam, notionem tribuunt, aut nulla, aut rarissima sint. Certe exemplum, ab Adversario allatum, parum roboris habet. Nam præterquam, quod ea res valde singularis sit, CONRADUS Imperatores *æquivocos* HENRICUM II. & III. progenitores suos ita vocat, ut in contextu, ne cui erroris occasio præberetur, eosdem nominetenus atque vocabulis, genuinum consanguinitatis gradum denotantibus, expresserit, adeoque omnes facile intelligerent, vocabulum illud eo loci in sensu accipi latiori. Sequitur enim non nullis interiectis nomen HENRICI *quinti Regis, & quarti Imperatoris*, quem *avunculum* nominat, & post non nulla alia: OTTO *primus & secundus, sicut & duo æquivoci Imperatores proavus videlicet noster atque avus* HENRICUS. OTTONIBUS nihil admodum addit, cum ii reipsa cognati haud fuerint, quanquam non nesciam, LUITHOLPHUM, Imperatoris OTTONIS I. filium, IDÆ HERMANNI I. Ducis Suevorum filiæ, an. 949. matrimonio iunctum fuisse. Sed inde cognationem quandam inter CON-RADUM

(a) Apud eund. tom. II. suppl. cap. CVIII. pag. 884
(b) Ibid. tom. I. *Donat. Belg.* lib. II. cap. CIV. pag. 578.

RADUM III. & OTTONES qui deduxerit, næ is in eiusmodi arte nimium perſpicax eſt. Gratis itaque dicitur, vocabulo *progenitores* etiam OTTONES hic intelligi a CONRADO; cum certo certius progenitores ex linea materna duntaxat accipi debeant; quippe quos expreſſe nominavit.

XIII. Quidquid vero de hoc ſit, admittimus ultro, vocabulo *anteceſſores* variam ineſſe ſignificationem, nec voce *progenitores* ſemper & ubique avos, proavosque, lineæ rectæ ſignificari. Nobis plane ſufficit, priori illo ſaltem non nunquam *anteceſſores* in linea collaterali, poſteriori autem plerumque maiores in linea recta, quod ex adductis exemplis liquet, deſignari. Multo vero magis nobis, &, ut ſperamus, viris quoque doctis ſatisfiet, cum oſtendero, vocabulo *progenitores*, hic loci non alios niſi *propagatores* in linea recta intelligi poſſe. Quod ut quam optime exequar, repetenda animo ſunt ea, quæ mox antea num. VII. & VIII. de Advocatia & poſſeſſionibus poſterorum Habsburgicorum diximus. Cum enim eiusmodi iura, ac præſertim ius Advocatiæ & *caduci*, non niſi ad nepotes lineæ rectæ tranſeant, conſequens eſt; ut qui iis poſterorum poſtea gaviſi ſunt, ex linea recta, non collaterali orti fuerint.

Vox *progenitores*, ut in re præſenti exponenda.

XIV. Huc accedit teſtimonium, omni exceptione maius, ipſorum poſterorum Habsburgicorum, qui ſtemmatis ſui non alios agnoſcunt avos, non alios progenitores, quam LUITFRIDOS, aut certe LUITFRIDUM illum, monaſterii S. TRUTPERTI inſignem, poſt OTPERTOS & RAMPERTOS, benefactorem. Quocirca audiendum cumprimis eſt ipſum ALBERTI *Lantgravii* diploma, cuius verba ſatis luculenta hæc ſunt: *Privilegium feliciſſimæ recordationis* PRÆDECESSORUM & PROGENITORUM *noſtrorum* LUITFRIDI *Comitis*, OTPERTI & RAMPERTI. Prædeceſſores vocat & progenitores, quorum altero LUITFRIDUM intelligit, altero OTPERTUM & RAMPERTUM, id quod ex diplomatibus aliis compertum eſt; quibus ſiquidem Comitum LUITFRIDORUM ſeries ad ETHICONEM usque demonſtrari poteſt, adeoque ſponte conſequitur, anteceſſores OTPERTUM & RAMPERTUM in linea collaterali collo-

Et quidem ex mente ALBERTI.

candos. Quod ſi vero quis urgeat, etiam hos lineæ rectæ inferendos, cum hoc equidem minime contendimus; cum quidquid cum hisce ſit, ſyſtemati P. HERRGOTTI nihil derogetur, & aliunde huic diplomati conſentaneum ſit, omnes hos inter *prædeceſſores* & *progenitores* adnumerandos, maxime; cum ALBERTUS in fine eiusdem particula utatur disiunctiva, a *prædeceſſoribus* SIVE *progenitoribus.* Eſt præterea illa clauſula iis concepta verbis, ut, ſi hæc ſola ſuppeteret, ſola etiam, quod volumus, evinceret. *Ut igitur*, ait, *quæ ob honorem & cultum Divinum a* PRÆDECESSORIBUS *ſive* PROGENITORIBUS *cum magna maturitate dudum fuerunt & ſunt collata, inconcuſſa ſemper & illibata permaneant, præſens privilegium, & donationem præſcriptam, ad inſtantiam* HENRICI *Abbatis & Conventus monaſterii præfati,* QUIBUS IN HAC PARTE NON CONSENTIRE RACIONI ESSET *contrarium*, *innovamus*, *ſigillisque . . . roboramus.* Confirmationem denegare, etiam rationi adverſum iudicat ALBERTUS; manifeſto ſigno, eundem hos ipſos ut veros ſuſpexiſſe progenitores, ut quibus debitum denegare honorem, lumini naturæ ſeu *rationi contrarium* ſit, ut quod maxime. Haud diſſimili ex cauſſa ſe ſe benignum monaſterio Ord. Ciſt. ad *Scaldim* exhibuit IOANNES III. Dux Brabantiæ, ut hic num. X. retulimus.

Aliorumque Principum Habsburgicorum.

XV. Concordant cum hac expoſitione perpulchre ceterorum Principum Habsburgicorum chartæ & diplomata. RUDOLPHUS *Provincialis Comes Alſatiæ*, RUDOLPHI I. Regis avus, monaſterio S. TRUTPERTI ius *caduci* donat, *quod eſt conſtructum a* PARENTIBUS *meis*, & paucis interiectis: *pro remedio animæ meæ &* PROGENITORUM, *atque ſucceſſorum meorum*, *devota mente decrevi donare*, *ut* DEVOTIUS ORATIO
a NOSTRÆ MEMORIÆ IBI AUGEATUR (a). In quæ verba P. HERRGOTTUS: *Contextus ille denotat*, *iam anteriori ævo in Trutpertino cœnobio preces pro domo Habsburgica fuiſſe perſolutas*, ſcilicet ut fundatoribus, iisdemque progenitoribus, quo-

(a) Tom. II. num. CCLXV. not. 3. pag 215. Iisdem fere verbis hæc confirmat RUDOLPHUS, RUDOLOHI I. R. R. patruus, ibid. num. CCCXXXV. p. 273. Add. ſi lubet ibid. pag. 615 num. DCCXXVII. ubi legimus: RUDOLPHUM *avum noſtrum . . . ac alios progenitores, ac anteceſſores.*

quorum intuitu insigne hoc, ab OTPERTO, RAMPERTO & LUITFRIDO solum adhuc sibi servatum, & ad laudatum usque RUDOLPHUM de manu ad manum propagatum ius *caduci*, monasterio cessit. Porro quemadmodum hic vocabulo *successorum* haud facile alios intelligere potest, quam filios ac nepotes; utpote qui parentibus primo ac praecipue curae sunt; ita & vocabulo *progenitorum* quis alius accipi potest, quam avi, proavique? quandoquidem ambae voces in eadem constructione sibi directe opponuntur. Utitur de cetero valde apposite voce *parentibus*, haud secus ac OTTO, Episcopus Constantiensis, de celeberrimo Asceterio Murensi mentionem faciens, *quia*, ait, *Gloriosissimus Comes* OTTO *de* HABESPURCH *nobile monasterium Mure*, *olim a* PARENTIBUS SUIS *constructum*, *donis honorifice augmentavit* (a): quod utique a progenitoribus eius lineae rectae constructum fuisse, vel ipsus non negabit Adversarius. Postremo, nisi posteri Habsburgici persuasissimi fuissent, se recta ex Luitfridigenis descendere, qualem caussam habuissent, monasterium S. TRUTPERTI tum temporis in terra situm non sua, tantis cumulandi beneficiis?

XVI. Facile nunc ergo intelligimus, quamnam significationem vocabulis *parentibus* & *progenitoribus* in praesenti argumento tribuendum sit. Patet & hoc: diplomati *Trutpertino* esse fidendum quam maxime; quis enim progeniem suam melius, accuratiusque sciat, quam ipsi Principes posteri? Quod si iidem alios habuissent avos, ac *Luitfridigenas*, qui factum fuisset, ut ne eadem occasione, qua LUITFRIDUM, OTPERTUM & RAMPERTUM in suis chartis nominarunt, aut uno saltem verbo gradum remotiorem indicassent, aut iis saltem non tantum detulissent honoris, aut profudissent impensarum? quandoquidem ius fasque exigit, ut ne, avis, proavisque silentio pressis, eos ut progenitores & parentes agnoscamus, qui nobis gradu remotiori coniuncti sunt. Id quod tamen per recitatas loquendi formulas tantum non iniustissime factum fuisset, si ex mente adversariorum explicandae essent.

Hinc applicatio fit ad diploma *Trutpertinum*.

(a) Ibid. num. CCXXXVIII. pag. 186. Eadem fere verba repetuntur num. CCXLI. pag. 189.

Genderii obiectio diluitur.

XVII. Dices tamen cum Cl. Genderio, posteros Habsburgicos, cum *monasterium* S. Trutperti *a parentibus ac progenitoribus* suis constructum dicunt, *progenitorum* dignationem Otperto & Ramperto, non Luitfrido tribuere; quippe cum illud non ab hoc, sed ab illis conditum fuerit. Contra vero a P. Herrgotto priores illos in linea collaterali, *Luitfridigenas* in linea collocari recta. Sed facilis atque varia est responsio. Cum Albertus in suo diplomate (quod equidem reliqua antecessit) satis distincte in hunc modum loquitur: *Privilegium felicissimæ recordationis* PRÆDECESSORUM & PROGENITORUM *nostrorum*, Luitfridi *Comitis*, Otperti & Ramperti, digitum intendit in ipsum Luitfridi *privilegium*, ubi dicti Otpertus & Rampertus *antecessores* duntaxat audiunt. Hinc consequitur, ut illum inter *progenitores*, hos inter *antecessores* adnumeret. Nam etsi distinctio hæc ex ipsis allatis verbis tam clare haud eluceat, quia tamen a Luitfrido ad Ethiconem usque ope documentorum sane luculentorum ascendendo, Otpertus & Rampertus in linea recta haud occurrunt (a), necesse est, ut eos ad lineam ablegemus collateralem. Deinde etiamsi hos ex serie maiorum Habsburgicorum expungeres, id certe systemati P. Herrgotti nihil usquam derogaret. Sufficit enim inter veros progenitores adnumerari Luitfridum, id quod Albertus quidem facit. Parum igitur refert, quod obiicit Genderius, Otpertum & Rampertum ab eo *antecessores* solummodo nominari. quanquam & illud sine vero sanguinis nexu factum haud fuisse, certum sit. Postremo valde credibile est, posteris Habsburgicis stemma suum non aliunde, ac a Luitfrido & Hunfrido cognitum fuisse (quis enim tum temporis notitiam in seculum usque septimum aut octavum suppeditasset?) cum e contrario tantis Principibus annorum ducentorum & quinquaginta, & quod paullulum excedit, nescire avos, pudori fuisset. Nihil igitur mirum est, si posteri Habsburgici stemma suum cum stemmate Luitfridi, quem sibi probe cognitum habuerunt, contendentes, eos quoque maiores in linea recta putarunt, quos ille *antecessores* suos, phrasi etiam avis, proavisque olim, ut ostendimus, tributa, nominavit.

CAPUT

(a) Cit. Lib. II. cap. XII.

CAPUT III.

Expenditur ſtemma GUNTRAMNI, de quo mentio fit in vita S. DEICOLI.

Præparatio ad obiectiones Rev. Abb. CALMETI. pag. 203.

I. CUm præcedens caput modum iam pene exceſſerit, viſum eſt, Reverendiſſimi Abbatis CALMETI obiectionibus ſingulari hoc capite obviare. Quod enim Adverſarius per hæc verba: *quæ in dubium revocata, ipſe ampliſſimus auctor propugnare noverit*, fieri haud obſcure optabat anno 1750., id iam tum executioni mandatum erat anno 1746. occaſione ſecundæ editionis hiſtoriæ eius Lotharingicæ. At nihil inexſpectatum obtigit; prævidit enim, quod futurum erat, P. HERRGOTTUS, atque ita præſagiit, dicens: *Subolet quidem mihi, animoque præſentio, non defuturos, quibus huic noſtræ, a communi genealogorum ſententia diſſenſioni, inſolentiæ vel audaciæ dicam ſcribere placitum fuerit; ſpero tamen, etiamque confido, quod benevolus Lector, ubi rationes, me ad hoc inducentes, audierit, nos hac cenſura abſoluturus ſit, noſtræque ſententiæ ſuffragaturus* (a). Optarem ego nihilo ſecius, me ab hoc virorum Eruditorum diſſidio extricare poſſe; at cum, eo ducente me Adverſario, rem declinare nullo modo valeam, id unum mihi ſolatio ſit, quod ſyſtema P. HERRGOTTI antiquitati Auguſtiſſimæ Domus Lotharingicæ tantum non detrahat, ut illi etiam vel maxime ſuffragetur; utpote, quod unum communem, cum *Habsburgicæ*, tum *Lotharingicæ* Domus apicem, ETHICONEM, Ducem Alſatiæ, conſtituit (b). Hinc *tantum abeſt* (ait denuo P. HERRGOTTUS) *ut communem hanc originem Sereniſſimarum Gentium, tanti nominis Genealogis, Hiſtoricisque probatam, integram inficiari velim, ut plane mihi propoſitum ſit, eorundem ſententiæ ſubſcribere, &* ETHICONEM, *Alemaniæ Ducem, conſtituere auctorem non modo Ducalis Domus Lotharingicæ, ſed & Illuſtriſſimorum quondam Egisheimii Comitum, nec non Augu-*

(a) Ibid. cap. IX. num. III.
(b) Non addo: & Alemanniæ, cum id contra plures non infimi ſubſellii ſcriptores, nec ſine gravibus fundamentis, neget Clar. D. SCHOEPFLINUS Alſat. Illuſtr. tom. I. pag. 755. §. XXXIII.

Augustæ Gentis Habsburgicæ. Solatio erit & hoc, quod, quæcunque dicturus sum, non tam ex meo, paucis exceptis, prolaturus sim horto, quam ex dictis P. HERRGOTTI, nec animo quidquam decidendi, Lectori relinquens benevolo, cuinam parti accedere lubeat.

Qui ex vita S. DEICOLI alium GUNTRAMNO patrem, quam HUNFRIDUM constituit.

II. Audiamus igitur, quid VARRO nostri temporis, Reverendissimus Abbas CALMETUS, systemati P. HERRGOTTI opponendum putaverit. Totius rei cardo in eo vertitur, num GUNTRAMNUS *Dives*, de quo mentio infertur in Actis Murensibus, seu CONRADO de S. Blasio, idem sit cum eo, de quo in vita S. DEICOLI apud BOLLANDUM (a), & apud ECCARDUM (b) memoratur: quod unacum patre HUGONE, cuius natu minimus erat, nec non fratre EBERHARDO & HUGONE vitam monasticam in monasterio *Lutrensi* professus fuerit? Affirmat Rev. Abbas, negat P. HERRGOTTUS, GUNTRAMNIque *Divitis* originem, fide & auctoritate laudati privilegii *Trutpertini* nixus, ab HUNFRIDO deducens, novum quoad hoc systema ita condit, ut tamen illud VIGNIERII, ECCARDI & CALMETI haud subvertat. Primum argumentum desumit P. HERRGOTTUS ex utriusque ætate, GUNTRAMNUM scilicet Habsburgicum, cuius in diplomate an. 973. (qualiter etiam D. ECCARDUS (c) iudicat) quasi etiamnum viventis mentio fit, non ante adfectum iam seculum X. vixisse: GUNTRAMNUM contra, filium HUGONIS, testante biographo S. DEICOLI, inchoante eodem seculo X. iam provectioris ætatis fuisse. Opponit Ven. Abbas, GUNTRAMNUM nasci potuisse anno 900., *Lutræ* vero monachum indui anno 930.; vitamque producere usque ad annum 970. vel 973. Quo posito nihil obstare, quin ante professionem monasticam LANCELINUM seu KANCELINUM procreare potuerit, Domus Habsburgicæ progagatorem.

Quæ tamen constituta ab eo epochæ haud suffragatur.

III. Verum ex vita S. DEICOLI, non nihil accuratius expensa, paullo alia discimus, ac primo quidem, laudatum Comi-

(a) XVIII. Ianuar. pag. 207.
(a) Orig. Habsb. col. 159.
(a) Ibid. col. 70.

Comitem Hugonem, eiusque filios, votum, de ampleɛtendo ſtatu monaſtico conceptum, exigua interpoſita mora, impleviſſe. Tenebantur ad id vi iuriſiurandi, *quatenus eorum nullus ſe ſubtraheret*, *quin* IN PROXIMO *ſeculo funditus abrenuntiaret* (a). Nec obſtat quod cap. X. num. 43. Baltrannum Eremitam hisce alloquantur verbis: *Sciat paternitas tua, nos monachilis vita moribusque voti* DIU *exiſtere, ſed Ducem ac Patrem non poſſe hactenus invenire;* adverbium enim *diu* non ita ſtricte accipiendum, docent verba eiusdem ſectionis ultima: *ut in præſentia tanti Patris ſacramentis horrificis* NUPERRIME *nos obligatos habeamus*, IN PROXIMO *monachicam profeſſionem arripere*, *& perpetuo ibi ſtabilitatem coſtodire. Nuperrime*, ait, repetitque etiam *in proximo*, ut adeo præfatis Comitibus integrum haud fuerit, votorum exſequutionem diu differre. Quod ut aſſequerentur, quid egerunt? Adierunt, ut mox audivimus, Baltrannum Eremitam, qui, audito eorum conſilio, rem longius differendam adeo non putavit, ut Comitibus a ſe diſcedentibus ſtatim adiunxerit Werdolphum, nepotem ſuum, *qui cum omni diligentia veritatem rei probaret*, id eſt, locum *Luteraba* oculis uſurparet; unde rediens Baltranno auctor fuit, ut eundem *ab ipſa Imperatoria manu* reciperet. Quod & ipſum magna cum celeritate perfectum eſt. Conſilio enim acceptato, Werdolphus ad Imperatorem ablegatus eſt; *qui* ILLICO *patris præcepto parere ſtudens*, *aſcenſis caballis*, *proſpero itinere Imperatorem adiit*, *& de quo agebatur*, *innotuit* (b). Atqui hanc ipſam legationem ante annum 959. ſuſceptam haud fuiſſe, docet diploma Ottonis I. eiusdem anni; ubi quippe primum de legatione Baltranni, deque donatione ac conceſſione loci *Luteraba* ſeu *Lutra*, ob quam Werdolphus miſſus eſt, actum fuit. Verba diplomatis ſunt hæc: *Qualiter legati Abbatis* Baltranni, *eiusque congregationis*, *qui manebant* Alanesberg . . . *noſtram adierunt clementiam*, *proclamationis cauſa & conſilii*, *ut . . . locum monachis convenientem concederemus. Nos vero legatione de tali congaudentes . . . locum*, *quem accepimus a filiis* Hugonis, Eberhardo

(a) Cap. VII. num. 34.
(b) Vid. cit. vit. S. Deicoli cap. X. n. 44. & 45.

& HUGONE, LUTERAHA *vocatum, monachis aptissimum, eis concessimus,* BALTRANNO *videlicet & eius subditis, modo sub regimine & regula S.* BENEDICTI *degentibus . . . data* VIII. *Id. Aprilis anno Dominicæ incarnatiodis DCCCCLVIIII. Indict. II. anno vero regni* OTTONIS *serenissimi regis XXIIII.*
a *Actum Quintilingaburg in Dei nomine feliciter Amen* (a). En quo tempore legatio BALTRANNI peracta, Comitesque voti sui compotes facti fuerunt! Concordant cum hisce reliqua; nam ut biographus porro pergit, BALTRANNUS non ante, quam ab Imperatore citatum diploma obtinuit, ad locum Luteraha migravit: *tali igitur tenore vir Domini in locum de-*
b *structum B.* DEICOLI *intronizatus est* (b). Legimus præterea
c apud eundem (c), quod BALTRANNUS iam tum, quando a laudatis Comitibus in patrem & Abbatem adoptatus fuit, quinquaginta annis vitam solitariam duxerit, *qui iam tunc per decem quinquennia vitam eremiticam inreprehensibiliter ab omnibus duxisse fatebatur.* Quare & hinc quoque iudicandum est, fieri haud potuisse, ut is, ætate iam consumptus, petitionem Comitum diu protrahere potuerit. Quorsum hæc? eo scilicet, ut iam pro primo ostenderem, esse non posse id, quod contendit D. Abbas, GUNTRAMNUM *San-Deicolanum* iam anno 930. monachum induisse.

Eidem GUNTRAMNI nomen forte assutum, ex silentio diplomatis *Ottoniani.*

IV. Video equidem, hisce, quamvis mox dictam epocham vehementer evertant, rem omnem nondum confici; quare Reverendissimum Abbatem, iuxta ac P. HERRGOTTUM porro audiamus. Nomen GUNTRAMNI vitæ S. DEICOLI a biographo, aut amanuensi, præpostere assutum fuisse, aut GUNTRAMNUM *San-Deicolanum* anno 959. iam fatis concessisse, ideo iudicat P. HERRGOTTUS, quod is in mox laudato OTTONIS I. diplomate alto prematur silentio, cum contra HUGO parens, ac bini filii, EBERHARDUS & HUGO, in eadem vita expressim memorentur. Iam cum ex adverso diplomata annorum 937. 952. & 959. GUNTRAMNUM nobis prodant ut superstitem, immo cum primum, ut addit Abbas, anno 997. ut

(*a*) Extat hoc diploma apud MABILLONIUM in Actis SS. O. S. BENED. sec. V. p. 278. & apud ECCARDUM loc. cit. col. 169.
(*b*) Cit. cap. X. num. 46.
(*c*) Ibid. num. 41.

ut mortuus occurrat, signum est, illum a GUNTRAMNO *Deicolano* longe esse diversum. Respondet Ven. Abbas: potuisse GUNTRAMNUM adhuc citius mori, ceterum quod an. 959. (adde & an. 973.) adhuc inter vivos fuerit, nullam esse caussam, biographum S. DEICOLI in suspicionem adducendi, quasi ille GUNTRAMNUM sine sufficienti ratione operi suo inseruisset; eo præsertim tempore, quo de hoc argumento nondum quærebatur, nec locus fuerat indagandi, de quibus hodie disputatur, genealogias. Ad hæc cum Imperator OTTO an. 959. mentionem faciat duorum fratrum GUNTRAMNI natu maiorum, ut etiamnum superstitum, supervacaneum esse de ætate GUNTRAMNI, natu minimi, quærere, quasi tum decrepitus fuisset; quippe cum non minus, ac fratres eius, ætate grandiores, vitam tolerare potuerit.

V. Verum enimvero vitam S. DEICOLI non ideo suspectam habuit P. HERRGOTTUS, quod GUNTRAMNUM, HUGONIS filium, an. 959. haud amplius vivere potuisse iudicaverit; sed ideo tantum, quod in laudato diplomate eiusdem nulla prorsus fiat mentio; unde coniecturæ locus, illum aut iam defunctum fuisse, aut eius nomen vitæ S. DEICOLI perperam infarcitum, aut ipsum denique auctorem (quod addere liceat) in eo deceptum, quod HUGONIS filium putaret, qui dictis Comitibus forte affinitate, vel consanguinitate, vel familiari demum consuetudine coniunctus tantum erat. Quidquid sit, si & GUNTRAMNUS inter filios HUGONIS, qui monasterium *Lutrense* in libertatem vindicantes, ibidem vitæ monasticæ nomen dederunt, accensendus est, cur non & eiusdem fit mentio in diplomate?

Quod tamen patris, fratrumque meminit.

VI. Reponit Abbas iterum, ex diplomatibus P. HERRGOTTI constare, quod gratia Imperatoris exciderit, adeoque civiliter mortuus, ac parte etiam bonorum exutus fuerit; mirum ergo non esse, in diplomate anni 959. altum de eo sileri. At vero, laudato biographo auctore, nec pater, nec fratres eius magna apud Imperatorem pollebant gratia, ut de quibus Consiliarii eius queruntur, quod locum *Lutra* iniuste possederint. Hinc *accersiantur*, inquiunt, *ante conspe-*

Cui argumento haud satisfacit D. Abbas.

ctum tuum viri iſti, QUI HUC USQUE CONTRA FAS & IUS
a *locum ſibi vendicaverunt*, *& lege publica coram reddant* (a),
& poſt pauca ipſe Imperator laudatos Comites, nullo excepto, *ſacri invaſores loci iniquos vocavit.* Non eſt itaque maior ratio, cur GUNTRAMNUS potius, quam reliqui filii reticeantur. Deinde non videmus cauſſam ſufficientem, ob quam id factum fuiſſet. Agebatur de reddendo monaſterio, a GUNTRAMNO æque, ac a reliquis, uſurpato; quando ergo illud, ſecundum relata biographi, ab omnibus ſimul occupatum, ſimulque redditum fuit, conditio plane ipſius negotii exegiſſet, ut & GUNTRAMNI, ſive hoſtis, ſive amici, memoria fieret, quo hiſtoriæ integritati conſuleretur, totumque negotium referretur ſincere. Nulla præterea ſubeſt ratio, cur ob pœnam pridem (nam bona eius circa annum 952. aut forte paullo antea, fiſco addicta fuerunt) toleratam, devoratamque, in negotio, quod cum præteritis aliunde nullam habebat affinitatem, nomen GUNTRAMNI ſupprimeretur; maxime cum ſtatum iam amplexurus monaſticum, atque adeo ad meliorem rediturus frugem, gratiam potius, quam perpetuitatem odii meruiſſet. Poſtremo ſi GUNTRAMNUS ſecundum D. Abbatis hypotheſin, ſeſe iam anno 930. in monaſterium Lutrenſe abdidit, eidem diplomata de annis 952. & 959., in quibus tum primum legitur, *res* GUNTRAMNI *populari iudicio in regiam rectamque veniſſe veſtituram*, nulla prorſus ratione ſuffragantur. Neque enim caſus eiusmodi adverſus eidem ut monacho obvenire potuit; cum factus monachus tanta bona haud poſſediſſet.

Hinc aut mutanda D. Abbatis epocha, aut vita S. DEICOLI ſuſpecta manet.

VII. Quod ad vitam S. DEICOLI attinet, eam plane P. HERRGOTTUS nec primus in ſuſpicionem adduxit, nec, ſi primus adduxiſſet, tam ingentem, ut opinor, eidem feciſſet iniuriam. Non repeto, quod eidem ECCARDUS iam obiecit (b), quanquam & id non ſine fundamento factum fuiſſe videatur: adverto duntaxat, parentem HUGONEM, cum
b monaſterio *Lutrenſis* reſtitutio facta fuit, annorum ad minimum octoginta ad nonaginta fuiſſe; quippe cuius filius ætate

(a) Ibid. num. 45.
(b) Orig. Habsburg. Lib. I. Cap. IX. col. 61.

ætate poſtremus, annos iam tum habuiſſet 59. quandoquidem is ſecundum ſæpius laudati D. Abbatis calculum an. 900. in lucem editus fuiſſet. Et de his, ut antea vidimus, tamen in dicta S. Deicoli vita refertur, quod Conſiliarii Imperatori ſuaſerint, ut viros adeo decrepitos ad ſe accerſeret. Quid? quod ex eadem vita habeamus, ſæpe dictos Hugonis filios ea in ætate venationi adhuc deditos fuiſſe, *cum poſt dulcitudinem ſomni evigilaſſent ad exercitium* VENANDI, *ſemetipſos invenerunt diſſimiles ſibi* (a). Eiusdem commatis eſt, quod non nullis interiectis, legimus: *Cerneres præfectorios barones, paullo ante* AQUILIS VELOCIORES, LEONIBUS FORTIORES, *alienis uti ſolatiis, & quaſi ferro vinctos, ante beati patris ſepulchrum deportari* (b). Hæc enim ſingula cum anno natali Guntramni, adeoque cum epocha D. Abbatis vix ac ne vix quidem componi poterunt; hincque ſtatuendum, in vita S. Deicoli aliquid eſſe non ſinceræ fidei, aut, quod magis credimus, Guntramnum, in eo memoratum, diverſum eſſe a Guntramno, ſanguinis Habsburgici propagatore. Quod ſi porro verum eſt, quod P. Herrgottus ex Mabillonii Annalibus Ord. S. Benedicti obſervat (c), Adelheidem, Ludovici *Balbi*, Regis Francorum, coniugem, ſæpe laudati Hugonis ſenioris ſororem fuiſſe, proh! quantæ anno 959. ætatis ſenecio erat? quandoquidem dictæ Adelheidis filius, Carolus *Simplex*, iam anno 889. *celebrem in Northmannos* (verba ſunt P. Herrgotti) *ad montem-Falconium victoriam reportaverat, regnumque an.* 898. *adierat.* At enim cum Clar. P. *Bernardus de* Montfaucon laudatam Adelheidem Principis cuiusdam Angli filiam fuiſſe doceat (d), hoc ultimum equidem urgere nolim.

VIII. Tertium argumentum deſumpſit P. Herrgottus ex ipſo Reverendiſſimo Abbate, *qui* (*quo orbi litterato notus eſt, candore*) *non diffitetur, præter ſcriptorem vitæ S.* Deicoli, *nullum ex tota retro antiquitate peti poſſe argumentum, ad*

Tertium P. H. argumentum a D. Abbate prætermiſſum.

(a) Cap. VII. num. 31.
(b) Ibid. num. 34.
(c) Geneal. Dipl. Lib. II. cap. IX. num. IV.
(d) Dans les Monumens de la Monarchie François tom. I. p. 296.

ad probandam fraternitatem trium horum Comitum , vel gradum Genealogicum parentis Hugonis *ſtatuminandum. Quin & inſuper adiungit Abbas ; adeo non demonſtrari poſſe, ut inter veroſimilia tantum maneat, quod fratrum hæc triga*, Eberhardus *nempe*, Hugo & Guntramnus, *antequam inter monachos Lutrenſes nomen profiterentur , matrimonium inierint, ullave prole aucti fuerint &c.* (a). Verum hoc ipſum , cum ſicco pede præterierit Abbas , nobis haud convenire videtur ; ut illi immoremur.

a

Quartum, ab agnomine *Dives* deductum, convellitur ab Abbate.

IX. Accedimus igitur ad ultimum P. Herrgotti argumentum, quod *Achilleum* eſt , atque ex agnomine *Divitis* , Guntramno noſtro, *ob luculentas, quas a maioribus ſuis acceperat, poſſeſſiones*, in Actis Murenſibus tributo, deducitur. Cum enim idem Guntramnus noſter in vita S. Deicoli ætate ultimus dicatur, atque aliunde, recepto , & antiquo iure, bona paterna & aviatica, in negotio familiæ herciſcundæ, natu priori obvenire ſoleant, comprehendi nulla ratione poteſt, quo pacto, quibusque artibus, Guntramnus ille *Divitis* agnomen promereri potuerit. Non negat Rev. Abbas Guntramno , qui in chartis P. Herrgotti occurrit, *Divitis* titulum deberi, quin ultro agnoſcit, id ipſum præclare ab eo fuiſſe demonſtratum (b): potuiſſe tamen ea bona partim iure ſucceſſionis , partim emptione , bello & connubii iure ſibi comparare, ceterum rem hanc eiusmodi eſſe , ait Abbas, ut eius rationem reddere haud teneatur.

b

Sed perperam.

X. Sed ego , &, ni fallor, quisque mecum rem longe aliter conſtitutam exiſtimaverim ; nam quod ad primum attinet , certum eſt , quod pater Guntramni noſtri ad annum usque 959. ſuperfuerit, atque adeo, ut ex dictis conſtat

(a) Loc. cit. pag. 152.
(b) Verba Abbatis ſunt hæc : Notre Hiſtorien prouve fort bien , que Gontram avoit des grands biens dans le Briſgau, Turgau & l'Alſace & qui il portoit à bon droit le ſurnom de *Riche*. Mais , dit il , d'ou lui venoient ces grands biens, ſ'il étoit le cadet de ſa famille? il pouvoit les avoir partie par droit de ſucceſſion, partie par acquiſition, par conquête, par alliance du côté de ſa femme; c'eſt une choſe, dont je ſuis pas obligé de rendre raiſon. Loc. cit. col. CLXXXI.

ſtat (a), ad eum usque diem, quo is unacum filiis in cœnobio *Lutrenſi* induit monachum. Quo igitur pacto filius, & is quidem natu poſtremus, in bona paterna ſuccedere potuiſſet? aut poſito, patrem abdicaſſe, quomodo ea bona in tantum accreviſſent cumulum; cum maximam eorum partem præripuiſſet frater ætate grandior, ſeu Princeps, ut aiunt, hereditarius? Præterea cum diplomatice certum ſit, GUNTRAMNUM noſtrum *Divitis* titulum iam longe ante annum 952. obtinuiſſe; utpote cum circa eum annum bonis ſuis exutus fuerit, credibile haud eſt, quod pater eius eo iam tempore abdicare, ſeu bona inter filios diſtribuere voluerit, maxime cum conſtet, quod bona monaſterii *Lutrenſis* usque dum votis ſe ſe obſtrinxit, uſurpaverit. Denique ſi opes ſuas a patre accepiſſet GUNTRAMNUS, *Divitis* titulus illi potius, quam huic obveniſſet; quandoquidem quod cumulate tenuiſſet pater, in partes minores diviſum fuiſſet inter filios. Atque hinc iam primus fons, unde ex mente Reverendiſſimi Abbatis tantas hauſiſſet fortunas, obſtructus eſt. Sed & vel ideo venæ reliquorum duorum intercidi poterunt. Cui enim paternæ fortunæ nondum obvenerunt, unde vires accepiſſet, aut bello gerendo, ſuſtinendoque? aut pecunias, emendis prædiis & dominiis ſufficientes? Quod ſi eum a patre, fratribusque, adiutum fuiſſe coniectes, opes bello partæ, ſicut & empta latifundia, non minus his, quam illi ceſſiſſent; adeoque iam iterum nulla adfuiſſet cauſſa, illum agnomine *Divitis* ſalutandi. Supereſt ius hereditatis, ex connubio obveniens. Sed præterquam, quod hucusque nemo demonſtrare quiverit, quod GUNTRAMNUS ille, de quo in vita S. DEICOLI memoria habetur, thori conſortem & qualem habuerit, notum eſt, nobilibus fœminis exiguam dari dotem, quin potius a viris accipere conſueviſſe, vel ſolum ITÆ *Habsburgicæ*

gicæ

(a) Poſſet idem ex laudati biographi cap. X. num. 43. amplius confirmari: ubi quippe legimus, HUGONEM *ac filios eius, lacrymabili precatu virum Domini* (BALTRANNUM) *non ſegnes petiiſſe* &c. Quando igitur, ut antea demonſtravimus, voti ſui ſtatim compotes facti ſunt, totumque negotium ſpatio unius anni confectum, recte infertur, patrem adusque ingreſſum in religionem perſeveraſſe ſuperſtitem, aut ſaltem (quod contendenti facile concedere poſſemus) non multo, id eſt non uno ante anno, obiiſſe. Unde ergo illæ divitiæ?

gicæ exemplum, de quo in Actis Murensibus, docere poterit. Quod si urgeas, potuisse GUNTRAMNUM fœminæ, paternorum bonorum heredi ex asse, iungi, haud equidem abnuo; sed & possibile fuisse, ut tali non iungeretur, æque contendo. Deinde cum insignis, &, ut videtur præcipua, latifundiorum GUNTRAMNI pars (a) in *Brisgovia* sita fuerit, fieri vix ac ne vix quidem potuit, ut filiam cuiusdam Comitis adeo *Divitis*, aut alterius dynastæ, inde in matrimonium sibi deligere quiverit; quandoquidem *Brisgovia* tum temporis Comitibus masculis abundavit, ut ex diplomate *Grandis-vallensi* advertit P. HERRGOTTUS (b), ubi legimus, quod LUITFRIDI VI., qui bona non exigua in *Brisgovia* æque, ac Alsatia possedit, posteritas *crescens multiplicata* sit; cuius proinde filiis bona & latifundia, ut iura exigebant, non filiabus cesserint. Sub idem tempus in *Brisgovia* floruit BIRCHTILO, cuius bona & latifundia numerosæ masculæ posteritati, postmodum temporis a castro *Zaringen* cognominatæ, iure hereditatis obvenerunt. Ægre etiam factum, opinor, fuisset, ut puella, avitorum bonorum heres ex asse, filio natu minimo nupsisset. Idem porro dicendum de bonis & latifundiis in Alsatia sitis, ubi tum *Divitis* cuiusdam Comitis, aut alterius insignis dynastæ progeniem extinctam fuisse, nuspiam legimus.

Id quod amplius monstratur.

XI. Præter hæc observare hic lubet, GUNTRAMNUM, HUGONIS filium, in vita S. DEICOLI memoratum, quum votum, religionem monasticam suscipiendi, conciperet, si non

(a) Discimus id ex diplomate HENRICI II. ubi legimus: *eandem curtem, quæ Riegol dicitur . . . in Comitatu Brisichgowe sub nominatis his locis, Endinga, Wenelinga, Chenzinga, Deninga, Burcheim, Baldinga*, & cetera loca ad præfatam curtem *Riegol* pertinentia, *sicuti quondam* GUNTRAMUS *visus est habere in sua investitura.* Qui enim non nescit, quantum tractum dicta loca efficiant, non nisi magnum fuisse dicet. Data est hæc curtis cellæ MEGINRADI, iam antea ab OTTONE II. an. 972. ubi eidem præter loca iam recensita, adhuc adnumerantur *Rotwila, Bezenhusa, Berga, Bochesberg, Zarda* (ab hoc loco integra vallis, nigram silvam versus, nomen gerit) *Liela, Tutervelda, Richulinga* & *Bürinheim.* Distat autem *Riegol* a *Liela* spatio præter propter novem milliarium Germanicorum. Vid. Geneal. Dipl. tom. II. num. CXL. & CLVII.

(b) Lib. II. cap. X. §. VII.

non admodum iuvenem, in flore ſaltem ætatis, minimæque provectæ fuiſſe; ut enim ſuperius iam animadvertimus, biographus trigam laudatorum Comitum inducit, ut *aquilis velociores*, *leonibus fortiores*, quæ prædicata cum hominibus iunioribus potius, quam decrepitis, conveniant, præcipue etiam GUNTRAMNI iuventutem probant; nam ſi fratres natu grandiores tales fuerunt, quanto magis iunior? cum ergo ficut nemo repente fit peſſimus, ita nemo ditiſſimus, plane conficitur, GUNTRAMNO *San-Deicolano* tempus & occaſionem nondum fuiſſe, ut *Dives* fieret, diceretur que. Sed hæc ſecundum biographum, non hypotheſin Abbatis.

XII. Ultimo loco *privilegium Trutpertinum* in dubium vocat Cl. Abbas CALMETUS, valde ſuſpectum eſſe aſſerens; ſed, quod mireris, nulla aſſerti adducta cauſſa. In eodem porro *privilegio* mentionem quidem fieri, ait, de LUITFRIDO, eiusque filio HUNFRIDO, at verbum non addi de GUNTRAMNO, prætenſo filio HUNFRIDI. Verum quidem eſſe, quod in Actis Murenſibus mentio ingeratur de GUNTRAMNO *Divite*, patre LANCELINI, ſeu KANCELINI; at cuius filius ſit, reticeri; ſe igitur contendere, quod filius ſit HUGONIS, & frater EBERHARDI, nec non HUGONIS de *Egisheim*, & id quidem ſecundum biographum S. DEICOLI, qui illud expreſſe notet, correſpondentibus locorum circumſtantiis, ætate ac perſonis. Ad quid ergo dubium præ certo eligatur?

Sollicitatur privilegium Trutpertinum, & GUNTRAMNI ex HUNFRIDO ortus.

XIII. Nos vero ſatis hucusque oſtenſum fuiſſe, exiſtimamus, nec rationem temporum, nec circumſtantias locorum, nec perſonarum pro D. Abbate militare. Contra vero pro P. HERRGOTTO quid hic non militat? LUITFRIDUS obiit circa annum 911. certe *privilegium Trutpertinum*, ab ipſo conditum, anno 903. eſt datum, HUNFRIDUS, LUITFRIDI filius, primo loco natus, obiiſſe cenſendus eſt circa annum 930. & GUNTRAMNUS denique poſt annum 973. LANCELINUS, ſecundum vetuſtiſſimos Einſidlenſes Annales an. 990. ac filius denique RADEBOTO ann. 1027. ut adeo, præter iam dicta, omnia ſibi cohæreant, ſecus ac fit in vita S. DEICOLI, & in hypotheſi D. Abbatis. Porro idem vere quidem

Vindicatur utrumque.

dem dicit, GUNTRAMNI filiationem non niſi inductione probari, at ipſe quoque fatetur (a) ſibi nullam hucusque probationem directam & formalem ſuppetere, qua, ADELBERTUM filium fuiſſe EBERHARDI, demonſtret. Quin immo ſæpe laudatos tres HUGONIS filios, ante ſuſceptum Ordinem S. BENEDICTI uxoratos fuiſſe, inter vero ſimilia duntaxat, ut paullo ſupra innuimus, non inter certa, reponit. Ex adverſo GUNTRAMNI pater non adeo longe quærendus eſt, ut prætenditur; quando enim ipſi poſteri Habsburgici non uno loco fatentur, ſe ex LUITFRIDO VI. deſcendere, quis dubitare queat, id non æque de GUNTRAMNO dicendum, qui haud dubie inter propagatores ſanguinis Habsburgici adnumerandus eſt? Ponamus igitur, GUNTRAMNUM non eſſe filium HUNFRIDI, ſi modo certum eſt, eundem recta a LUITFRIDO deſcendere, ad rem præſentem ſufficit; cum non tam ſeriem certam ac continuam, quam ſtemma & avos certos quæramus, ut ad ETHICONEM uſque aſcendere valeamus. Quod ad *privilegium Trutpertinum* attinet, illud ego non moror; quandoquidem authentiam eius adeo clare oſtendit P. HERRGOTTUS (b), ut res paradoxo ſimilis ſit, vocari adhuc in dubium. Certe genuinum eſſe, nobiſcum agnoſcit Vir Celeberrimus SCHOEPFLINUS (c), nobile antiquitatis monumentum eſſe, atque authentiam eius ex duobus tranſumptis probari, litteris etiam ad me datis, affirmans; ut adeo verbum addere nolim. Sed ponamus ex abundanti, vel eſſe dubium, vel ſuppoſititium: ſinceram eſſe chartam, qua illud confirmavit ALBERTUS, non utique negabit D. Abbas. Cum ergo & is verbis clariſſime expreſſis LUITFRIDUM inter *progenitores* & *anteceſſores* ſuos adnumeret, eidemque (quæ ſingula ſupra expendimus) teſtimonium quoque dicant reliqui non nulli Habsburgici Comites, perinde conſtat, unde deducendum eorum genus. Verum ſingula hæc maius, ut confido, robur accipient, ubi laudati D. SCHOEPFLINI Alſat. illuſtr. vol. II. quod dudum ſub prelo ſudare, accepimus, voto reipub. litterariæ, in lucem prodierit.

CA-

(a) Loc. cit. col. CCIX.
(b) Lib. II. cap. X. num. IV. ſeqq.
(c) Alſat. illuſtr. tom. I. pag. 782. in calce nota r. & t.

CAPUT IV.

De GUNTRAMNO *Divite* patre LANCELINI, seu LANTOLDI.

I. IAm demum in viam redimus. In viam? sic omnino est, hactenus extra oleas saltantes, nunc denique in viam redimus. Quæ enim Adversarius ex viris Clarissimis, GENDERIO, ac Rev.mo Ab. CALMETO attulit, ad institutum proprie non pertinent; quum de patre GUNTRAMNI HUNFRIDO, avoque LUITFRIDO, nihil admodum nec in Actuario, nec in mendosa genealogia præfixa, reperiundum sit; proindeque secundum Adversarii institutum, ac destinationem, quam ex titulo legimus, ceteris prætermissis, quæstio solummodo de eo procedere debuerat, num a P. HERRGOTTO demonstratum satis fuerit, quod GUNTRAMNUS *Dives* propagator Gentis Habsburgicæ dicendus sit, nec ne? Negat id Adversarius eo ex titulo, quod etsi P. HERRGOTTUS GUNTRAMNUM quendam Comitem, cuius ætas & possessiones cum GUNTRAMNO, quo de mentio fit in Actis Murensibus, apprime concordent, ex meris diplomatibus detexerit, exinde tamen coniecturam duntaxat emergere, GUNTRAMNUM hunc eundem fuisse cum GUNTRAMNO, sanguinis Habsburgici propagatore. En eius verba: *Unicum velimus diploma videre, quo vel obiter* GUNTRAMNUS *Habsburgici sanguinis & nominis insinuetur? Non sufficit* GUNTRAMNI *nomen & opulentiam ex chartis, ut ut contemporaneis eruere, sed oportet inde verum quoque stemma & progeniem adstruere: hoc demum Genealogi diplomatici est.* Excerpta deinde dat sat longa ex diplomatibus laudatis, subditque, *nullam uspiam fieri mentionem stemmatis*; hincque *confessa . . . & perspicua* (concludit) *res non est*, GUNTRAMNUM *propagatorem sanguinis Habsburgici fuisse, nisi ab auctoritate Actorum Murensium . . . qua quidem notitia præsupposita, coniectare demum licuit, eundem cum nostro fuisse* GUNTRAMNUM *illum, qui in chartis, ævo ipsius* GUNTRAMNI *nostri correspondentibus, legitur; coniectare, inquam, id licuit; neque enim infallibiliter asseverari potest, uno, eodemque*

[Margin: GUNTRAMNI *Divitis* stemma & gradum a P. H. haud ostensum fuisse, contenditur ab Adversario.]

[Margin: pag. 203.] [Margin: pag. 205.] [Margin: pag. 206.]

tempore alium a nostro GUNTRAMNO *non extitisse, luculentis & ipsum prædiis auctum . . . . Ut ut sit; nega* GUNTRAMNUM *sanguinis Habsburgici propagatorem fuisse, & experire, num te* P. HERRGOTTUS *per adducta sua diplomata, an per Acta Murensia, de contrario queat convincere?* Hæc, aliaque, his similia, Adversarius locis in margine citatis.

Qui tamen in mala hypothesi versatur.

II. At enim ratiocinatio hæc mihi equidem iure meritoque iis adnumeranda videtur, quæ primo quidem aspectu speciosæ sunt, re ipsa parum probant. Et ego quidem verba haud in multo ponenda discrimine putaverim, cum res ipsa loquitur. Non repeto dicta cap. huius libri primo, ubi, quantum a Genealogo diplomatico exigi debeat, exposui. Neque enim ulli unquam venit in mentem, ut ex solis diplomatibus & chartis, nulla unquam præhabita notitia, aliunde petita, integram, suisque numeris absolutam, genealogiam texendam putaret. At quando ex iisdem eruderantur plurima: quando auctori vacillanti suffragium ferunt, supponunt fulcimenta: & quando illud per singulas generationes nec segniter, nec parce fit: quis neget, Genealogum diplomaticum suo defunctum fuisse munere, idque demum haud proletarie effecisse, ut fides Genealogiæ Habsburgicæ non solis mendosis scriptoribus, sed insimul fide diplomatum, testium omni exceptione maiorum, nitatur?

Præterea diplomata cum auctore accurate consentiunt.

III. Iam vero, quam accurate sibi invicem respondeant diplomata & auctor, quantumque adeo mutuum alterum ab altero accipiat auxilium, ut veritas demum integra emergat, nulli potest non esse perspicuum. Diplomata *Divitem* fuisse ostendunt, auctor sic appellat: quantum ergo res cum nomine, tantum consentiunt diplomata cum auctore, qui cum ex se & per se fidem antea indubitatam non fecerit, facit iam, adiutus eiusmodi adminiculo. Regem Persarum ARTAXERXEM cognomine *Longimanum* appellarunt veteres, PTOLOMÆUM, PHILADELPHI fratrem, *Ceraunum.* Da mihi itaque scriptorem, qui de Rege quodam, post annum mundi 3531. aut circiter, in Asia regnante, memoret, quod alteram manum habuerit longiorem, hunc ego continuo dicam, fuisse

ARTA-

Artaxerxem *Longimanum*, etſi is neque de regno Perſarum, nec de cognomine verbum addat. Da mihi ſcriptorem alium, aut, ſi lubet, eundem, qui de Ptolomæo quodam, Ægypti Rege, narret, quod veluti fulmen omnia pervaſerit, deterrueritque, hunc ego nec Ptolomæum *Evergetem* quemdam, nec *Philopatora*, nec *Epiphanem*, nec *Laturum* &c. ſed *Ceraunum* intelligendum eſſe, pronuntiaverim; idque non alia ex cauſſa, quam quod tempus & locus conveniant, eidemque agnomen iſthoc adhæſerit, quod velut fulmen omnia pervaſerit, terrueritque. Haud diſpari ratione Guntramnum mihi diplomata memorant, luculentis præditum latifundiis: *Divitem*, quod idem eſt, appellat ſcriptor, convenit locus & ratio temporum, quid ſupereſt, quam ut concludam: eſſe unum eundemque, immo nec alium eſſe potuiſſe?

IV. Valde etiam peregrinum ſonat, quod ſequitur: *Coniectare, inquam, licuit* (Guntramnum nempe eundem eſſe cum Guntramno, in Actis Murenſibus laudato) *neque enim infallibiliter aſſeverari poteſt, uno, eodemque tempore, alium a noſtro* Guntramno *non extitiſſe, luculentis & ipſum prædiis auctum.* Quaſi vero abundantes divitiæ, quarum occaſione quis *antonomaſticôs Dives* audit, Comitis dignatio, communicatioque nominis, in eadem regione, eodemque præter propter tractu terræ, & in quovis angulo reperirentur. Hæc certe argumentandi ratio, ſi locum nanciſceretur, vix eſſet perſona quædam celebris, in hiſtoria præſertim medii ævi, cui non aliam ſimilem, ſi Adverſarii exemplo hariolari velis, producere quires.

Fierique haud potuit, ut duo Guntramni Divites in eodem tractu vixerint. pag. 206.

V. Multo minus deferri poteſt Adverſario, quando porro obtendit: *Vanumque omnino eſt huius idenditatis argumentum, inde petitum, quod poſteri Habsburgici,* Guntramni *noſtri heredes, in iiſdem terris bona adhuc poſſederint ampliſſima, ubi ſuis prætenſus ille* Guntramnus *exutus fuerat,* Dives *certe aliunde non agnitus, niſi a bonis deperditis.* Tantum enim abeſt, ut hoc argumentum *vanum* ſit, ut potius ante dicta mirum in modum confirmet. Cum enim exinde conſtet, poſteros Habsburgicos iiſdem in locis, id eſt in pagis

Huc faciunt detectæ ex diplomatibus Guntramni poſſeſſiones. Ibid.

Suntgoviæ, *Nortgoviæ*, *Brisgoviæ*, *Turgoviæ*, *Aragoviæ* &c. ſua bona habuiſſe, ubi antea GUNTRAMNUS *Dives*, plane conſequitur, ut is ipſe in his terris floruerit; cum enim, ut quis *Divitis* agnomen referat, neceſſe ſit, habere poſſeſſiones plurimas, difficile ſane fuerit, ut & ceteris GUNTRAMNIS, quos iisdem in terris exiſtere potuiſſe hariolatur Adverſarius, tantæ divitiæ obtingere potuerint, ut & ipſi tàli cognomine gauderent, aut tantis abundarent bonis, quantis GUNTRAMNUM noſtrum diplomaticum, ex iis, quibus privatus eſt, velut ex unge leonem, abundaſſe diſcimus.

Itemque tabulæ & indices P. H.

VI. Porro non plures uno GUNTRAMNO Comite, quo de nobis hic quæſtio eſt, in his terris floruiſſe, ex tabulis (a) & indicibus P. HERGOTTI elucet, ubi plerorumque ac præcipuorum, ea tempeſtate viventium nomina, ex diplomatibus educta, recenſentur. Nos certe eiusmodi exempla capitibus duobus ſequentibus producemus, hic locum indicaſſe contenti, ubi ſimilia, rei periculum facturis, occurrent. Hic etenim cum alia ſuppetant plurima, viſum eſt, eo labore ſuperſederi poſſe. Dixi plerorumque, ac præcipuorum; cum enim exploratum ſit, Maiores Comitum Habsburgicorum inter Principes & Comites primi ordinis iam tum adnumeratos fuiſſe, non puto, quemquam in Comitatibus minoribus & pagellis eſſe quærendum. Et ſi talis eſſet, quo pacto *Dives* fieri, & quo iure ſic appellari potuiſſet?

Nec non & Abb. CALMETI auctoritas.

VII. Ceterum, cum Adverſarium auctoritate duci, aliunde ſciamus (b) opportunum plane erit, ut hic ex abundanti eidem exemplum Reverendiſſimi Abbatis CALMETI in mentem revocemus, qui etſi P. HERRGOTTO, quoad hunc ipſum GUNTRAMNUM *Divitem* contraria, ut cap. præcedenti vidimus, ſentiat; tantum tamen abeſt, ut vir, in his rebus apprime verſatus, diplomata P. HERRGOTTI incerta eſſe iudicet, ut divitias, agnominis eius cauſſas, præclare ab ipſo oſtenſas fuiſſe, ingenue agnoſcat; manifeſto ſane indicio, Adverſarium hæc non tam tutiora ſtatuendi ſtudio, quam ut

(a) Vid. prolegom. VI. ante pag 51. & cap. noſt. ſeq. num. XIII. & XIV.
(b) Vid. lib. noſtri I. cap. VI. num. II. ſeqq.

ut ſpartam ſuam quam optime exornaſſe, nihilque intactum reliquiſſe videretur, protuliſſe.

VIII. Quod Adverſarius porro obiicit, ſtemma GUNTRAMNI in diplomatibus nuſpiam indicari, eiusmodi eſt, ut illi diu, aut operoſe, immorandum haud cenſeam. Neque vero id, ut opinor, exiget Adverſarius, ut diplomata ſeculi X. de cognomine Habsburgico, ſub finem primum ſeculi XI. aut initium XII. exorto, loquantur; hoc quippe quid aliud eſſet, quam inutiliter collocare tempus? At, ſi rem aliter accipit, non ideo magis ſtringimur. Cum enim P. HERRGOTTUS a RUDOLPHO *Habsburgico* ad ETHICONEM usque aſcendendo, de progenie in progeniem proceſſerit, quis dubitare poſſit, Maiores in quocunque gradu eiusdem cum RUDOLPHO ſtemmatis, licet non cognominis eſſe? Gradatim enim aſcendendo tam parum aberraveris a ſtemmate, quam cum ſupremum ſcalæ gradum petens, inciperes ab infimo. Hinc expreſſa ſtemmatis mentione haud opus.

IX. Ultimo loco diplomatum epochas impetit Adverſarius. *Chronologiam quod ſpectat*, inquit, *certum non eſt, loquantur prælibata diplomata de* GUNTRAMNO . . . *tum adhuc vivente, an iam mortuo?* Qua de cauſſa? quia diplomata vg. anni 997. immo an. 1003. verbis non aliter conceptis loquuntur, ac diploma anni 973., in quo tamen P. HERRGOTTUS, loc. cit. §. IV. GUNTRAMNI *etiam tum ſuperſtitis, ſeu tanquam viventis memoriam fieri* aſſeverat. Non ergo maiorem eſſe rationem, cur GUNTRAMNUS etiamnum anno 1003. quam an. 973. ſuperſtes fuiſſe dicatur. Verum ratio, ut P. HERRGOTTUS poſt ECCARDUM id cenſeret, hæc fuit; quod licet poſteriora illa diplomata de GUNTRAMNO, ut etiamnum tunc vivente, memorent, ob longiorem tamen temporis intercapedinem præſumendum haud ſit, quod is vitam ſuam eo usque protraxerit; adeoque tum mortuis potius, quam vivis adnumerari debere videretur. Quod ſi vero quis urgeret, eum anno 1003. adhuc vixiſſe, cum hoc ſane cupide haud contenderem; cum communi naturæ curſui contrarium haud eſſet, ut nepos LUITFRIDI, qui anno primum 1011., ut diximus, obiit, poſt annos a morte eius nonaginta duo Chronologia quoque bene ſe habet. Ibid.

ſuper-

superfuisset. Id porro certissimum est, neque ex Actuario, neque ex diplomatibus tuto constare, quando obierit, licet ex diplomate HENRICI II. anni 1004. 17. Iunii, ubi legimus: *ficuti* QUONDAM GUNTRAMNUS *visus est habere*, colligendum esse videatur, eum longius ante id temporis obiisse. Sed relinquamus incerta tantisper in medio, dum deteguntur certiora.

CAPUT V.

De LANCELINO, seu KANZELINO, RUDOLPHI I. Rom. Reg. Maiore in gradu VIII.

LANCELINUM *Altenburgi* Comitem constituit Abbas TSCHUDIUS,

I. CAput Adversarii primum, cui tria singularia opponere necesse nobis fuit; tandem eluctati, ad caput eius II. descendimus, ubi is duo sibi præstanda sumpsit. Primo probationes DOMINICI Abbatis de LANCELINO, seu KANZELINO, recenset, tum vero argumenta P. HERRGOTTI, eiusque diplomata examinat. Atque illud quidem tota hac parte II. agit, ubique præmittens sententiam, ut vocat, Abbatis TSCHUDII: post asserta adiungens P. HERRGOTTI. Verum hoc loco, si dicere licet, quod sentio, famæ Abbatis adeo non consulitur, ut errorem eius, quem circa fictitium *Al-*
a *tenburgi* seu *Vindonissæ* Comitatum (a) post GUILLIMANNUM, aliosque, erravit, resuscitando, ei quam maxime obsit. Mirum est, fieri posse, ut cum P. HERRGOTTUS Comitatum hunc non nisi in concavo lunæ extare posse, tam solide, quam perspicue, demonstraverit, aliqui tamen sint, qui post inventas fruges, glandibus vesci præoptantes, veritatem hanc in dubium vocare ausint. Piget ergo, quod huic rei adeo tritæ, adeo evisceratæ, nolens volens non nullas adhuc hic consecrare debeam lineas.

II.

(a) Vid. hic lib. I. cap. XXV. num. CCXL.

II. Inter cetera, quibus GUILLIMANNUM aliter sentire docuit P. HERRGOTTUS, chartam anni MCCXCIX. in medium produxit, ubi *Altenburgum* dominiis & possessionibus Habsburgicorum hisce verbis, ab eodem ex Germanico traductis, adnumeratur: *Altenburgi intra muros curtis, seu domus est & piscatura, quæ huc spectat. Ambo ad dynastiam pertinent . . . quæ ibidem iurisdictionem exercet.* Excipit hæc verba Adversarius, dicens: „ Quod etsi per curtem, germa„ manice *hoffstat*, domum duntaxat intelligi velis, per addu„ cta verba ambitum castri non ita limitari, ut reliquum spa„ tii longius latiusque excurrere negent. Multo minus inde „ inferri debere, locum iam superioribus seculis, hoc est, „ ante extructionem castri Habsburg, ita desertum fuisse, ut „ intra muros suos domum colono, non vero sedem Comi„ ti, REGIONIS DOMINO, præbuerit. „ Quod, negante P. H. approbare videtur Adv. pag. 208.

III. Non nescimus, vocabulo *curtis*, seu *cortis*, variam inesse significationem, ut vel ex solo Cl. CANGII Glossario intelligimus. Amplissima non nunquam eo designari bona & latifundia, ex iis colligi poterit, quæ superius in calce pag. 271. seq. de insigni *curte Riegol* adnotavimus: hic autem vocem germanicam *hoffstat* recte per *curtem* seu *domum* redditam fuisse, vel inde cognosci poterat, quod illa intra muros sita esse dicatur, adeoque eius ambitus tam amplus haud fuerit, ut ex Adversarii mente *longius*, *latiusque excurrere potuerit.* Porro eadem notione, qua P. HERRGOTTUS, vocem *cortis* seu *curtis* accepit VARRO (a). Alterum in hoc scirpo nodum quærit Adversarius circa traductionem vocis *hoffstat:* sed illa proprie & native *curtem* aut domum, seu locum significari, ad prædium spectantem, vel recipiendæ villæ idoneum, ab *hof* prædium, *villa* domus, & *stat* locus, docebit Cl. WACHTERUS in Glossario Germanico hac voce. Qui de notione vocabuli *curtis*, a

IV. Quod ad secundum membrum pertinet, fatemur ultro, ex verbis P. HERRGOTTI, ab Adversario adductis, consectarium haud esse, ut locus ante extructionem castri *Habsburg* capiendo Comiti, quam colono, non æque idoneus Nec non de argumento P. H. male censet.

(a) Lib. I. cap. III. & Lib. III. cap. III. apud cit. du CANGIUM.

neus esse potuerit, at non proinde est cum superstructa eidem domo; quandoquidem habitaculum, Comiti destinatum, alterius, opinor, formæ, quam habitatio coloni esse solebat. Cum ergo domicilii, Comite digni, seculo iam tertio decimo, nedum GUILLIMANNI ævo, vestigium adfuerit nullum, signum est, nullum unquam Comitem ibi habitasse. Quæ res GUILLIMANNI opinamenta subvertit cum ceteris; quando enim ille ex celebritate loci, ædificiis, ruderibus, similibusque, assertum suum probare adnisus est, recte ei e contrario humilitas loci, ut in quo nulla veteris cuiusdam celebritatis præter unicam turrim (at Romanam, non medii ævi) rudera supersint, obiecta fuit; quippe quæ tam cito non pereunt, ut vel mox dictæ turris reliquiæ docent. Verbo: novum assertum probationibus indiget positivis, non quæ ex mero possibilitatis principio ducuntur.

Ac præterea ceteras P. H. rationes, secundam nimirum.

V. Verum non id solum fuit, quod ex recitato textu intulit P. HERRGOTTUS. Cum enim Comites locum regionis præcipuum inhabitare, ibique ius dicere solerent, comparationem hic inter loca *Altenburg*, *Arovium*, & *Bruggam* instituit, quorum prius illud ab his posterioribus multis superari parasangis, docuit his verbis: *Cum econtra* AROVIUM *&* BRUGGA *plures cives, maiora latifundia, & ampliora iura complecterentur, prout non ex laudato solum instrumento patescit, sed etiam ex comparatione insignium horum oppidorum cum castro Altenburg, cuique planum proponitur.* Non ergo ob loci humilitatem solum, sed & ob celebritatem aliorum, qui Comitibus magis convenissent, locorum, *Bruggæ* videlicet & *Arovii*, *Altenburgum* sedem olim Comitum fuisse negavit P. HERRGOTTUS: quod tamen, cum optime procederet, Adversarius est prætervectus.

Et tertiam prætermisit.

VI. Omisit præterea aliud argumentum, GUILLIMANNO, eiusque asseclis, eodem loco oppositum. Probare is suam opinionem inter cetera etiam ex eo conatus est, tum quod *Altenburgum proprium & allodiale bonum Habsburgensium fuerit*, tum, quod ibidem Romanarum antiquitatum lipsana reperiantur. Reposuit P. HERRGOTTUS: *nono aut decimo*

Christi

Christi seculo nomina a castris Nobilium familiis indere, nondum usu receptum fuisse, id quod palmare est, & vanas GUILLIMANNI coniecturas prorsus evertit. Quid enim quoad hoc iuvat, castrum fuisse *allodiale*, quando ex *allodialibus* nondum cognomina fabricarunt Nobiles? Deinde si a possessionibus veteris cuiusdam castri cognomen Habsburgensium Maioribus tribuendum est, eisdem pari iure nomina Comitum *Aroviensium* & *Bruggensium* concedi debent; cum eodem tempore eversa civitas *Vindonissa*, *Arau* & *Brugg*, non ignobilia oppida, inter bona *allodiolia* adnumerarentur. Quæ quidem rationes, occasione præcitati instrumenti congestæ, & una coniunctæ, multo aliter sonant, quam quas Adversarius truncatim hic adduxit. Verum de hoc toto argumento fusius alibi.

VII. Denique quod idem Adversarius Comites Habsburgicos iam tum CHRISTI seculo nono, aut decimo, regionis Dominos esse potuisse existimat, loco, paullo superius adducto, dicens: *non vero sedem Comiti*, REGIONIS DOMINO, *præbuerit*, id equidem multis confutare nolim; quandoquidem nemo unus, in his studiis vel parum versatus, ignorare queat, Comitatus eo tempore, quin multo post, hereditarios haud fuisse, (a) adeoque nec Comites *regionum* fuisse *dominos*, sed Imperatores. Verum hæc nihil ad propositum.

Comites num regionum Domini?

a

VIII. Ut ergo ad eum tandem propius deveniamus, cuius occasione Comitatum *Altenburgensem* seu *Vindonissensem* e rerum natura P. HERRGOTTUS exesse iussit, id est ad LANTOLDUM, seu LANCELINUM: hunc Maiorem RUDOLPHI Rom. Regis in gradu VIII. inde iudicavit P. HERRGOTTUS, quod Actuario Murensi, seu CONRADO de S. BLASIO, *hac in re diplomata*, *ceteraque antiquitatis monumenta . . . non modo non contradicunt*, *sed magnam sane partem suffragantur* (b). Reclamat Adversarius non sine sale: „Diplomata, aiens, cete„raque antiquitatis monumenta, HAC IN RE Actis Murensi„bus non tantum non contradicere, sed neque suffragari „possunt;

Diplomata P. H. Actuario haud suffragari, contendit Adv.

b pag. 209.

(a) Vid. Cl. SCHOEPFLINUS Alsat. Illustr. t. I. p. 775. §. LXXI.
(b) Lib. II. cap. VIII. §. I. p. 145.

„ possunt; cum HAC DE RE non loquantur. An vero contradictionem metuat, vel suffragium expectet Genealogus „ inde, ubi de re genealogica minime agitur? Praeterea per „ non contradictionem firmari nequit, quod non aliunde „ subsistit. Esset hoc largum nimis principium, quo patrocinante verum, quidquid absque contradictione. Finge alium pro KANCELINO nostro GUNTRAMNI filium, errabis, „ quamvis securus a contradictione diplomatum. Dicimus „ ergo, nullam penitus Actis Murensibus esse auctoritatem ex „ eo praecise, quod diplomata P. HRRRGOTTI non contradicant. „

Quod tamen, primum non contradicendo,

IX. Effudit haec Adversarius adeo fidenter, adeo ampliter, ac si de fide Actuarii ne verbo quidem unquam disputatum fuisset, quin nec cogitatum. Putares, illum nil nisi oracula locutum. Sed aliter res se habet. Contradictionem passus est Actuarius (loquor hic semper in hypothesi, qua tam a P. HERRGOTTO, quam Adversario, aliisque, antea creditum fuit, tam Genealogiam, saltem quoad priorem, maximamque eius partem, quam Acta ipsa ab uno eodemque auctore profecta fuisse.) Contradictionem, inquam, passus est Actuarius in multis, quid ni & hic loci errare potuisset? at cum ei hic loci diplomata non tantum non contradicant, ut contradixerunt in reliquis non nullis locis, sed & magnam partem faveant, signum est, eum hic non errasse, adeoque eius vestigiis tuto insisti posse. Nolo hic recoquere, quod praecedenti libro varie disceptavimus: iuvabit tamen, exempla in medium adducere saltem aliqua; cum ea pro rebus etiam facere possint consecuturis. Genealogus Murensis post medium suae scriptiunculae sic habet: ITA *de Tierstein sive Homberg genuit* WERNHERUM . . . *Idem* WERNHERUS *genuit* ADELBERCTUM. Finge tibi, nullum de hisce WERNHERIS, eorumque successoribus, praeter Genealogum, seu, ut ex hypothesi communi loquar, Actuarium Murensem, extare monumentum, quid fiet? id profecto, quod a multis factum iam est, qui sibi nempe ex hoc Genealogi loco persuaderi sinebant: Habsburgicos ex Comitibus de *Tierstein*
a descendere (a). Cum enim ITA de *Tierstein* sive *Homberg*, Co-

(a) Vid. ECCARD. loc. cit. in praefat.

Comiti cuidam *Tiersteinio* nupserit, indeque cognominata fuerit, vi verborum, prout hic iacent, & nisi aliis adminiculis, ex antiquitate petitis, instructus fueris, quid quæso! aliud statuendum, quam quod diximus: insecutos Habsburgicos Comites, ortum suum debere *Tiersteinianis?* Similia dici possent de ITA, coniuge RADEBOTONIS, ac huius fratre WERNHERO, Strasburgensi Episcopo, aliisque; in quibus a diplomatibus, ac monumentis ceteris, contradictum fuit Actuario. Hac vero cum eodem agendi ratione, quid æquabilius? Contradicunt diplomata, deseritur: non contradicunt, quin & suffragantur, eundem sine ullo erroris metu admitti posse, docetur. Hinc est, quod P. HERRGOTTUS non sine caussa, nec uno loco monuerit, quousque Actis Murensibus deferendum sit. (a) Recte igitur dixisset Adversarius: *Præterea per non contradictionem firmari nequit, quod non aliunde subsistit &c.* si Actuarius nullam ullibi passus fuisset contradictionem; secus, cum constet de contrario, nemo non facile videt, qualem & hic commiserit paralogismum.

X. Verum quo pacto ab iis fulcimentum expectemus, si *ea de re* ne quidem loquuntur? Credat hoc iudæus apella. Quando enim primo nomen Comitis synonimi, quo de Auctor mentionem facit, detegitur: quando is ipse iisdem in regionibus *Comitivam* exercuit; ubi eius posteri: quando denique notæ diplomatum chronologicæ cum eodem Auctore concordant: quis dicere ausit, eidem diplomata non suffragari? id est, eorundem adminiculo fidem fieri plenam, quæ alias labefactata, etiam hic loci non nullis suspecta videri poterat? Sane singula hæc momenti sunt haudquaquam spernendi. Cum enim eo tempore, quo cognomina Nobilium nondum in usum veniebant, homines ex uno duntaxat nomine inter se distinguerentur; non ultima certe cura fuisse debuit, ut iisdem in finibus plures, eiusdem conditionis mortales, idem nomen ne gererent, aut si id forte evenisset, alter ab altero agnomine quopiam (quanquam utrobique non nunquam secus evenisse, non ignorem) discerneretur. Regimen præterea eiusdem regionis, robur suum inde accipit, quod Comitum

Deinde etiam aperte consentiendo, fieri ostenditur.

 filii,

(a) Vg. lib. II. cap. IV. pag. 137.

filii, si modo idonei haberentur, a patrum munere haud excludi solerent, quod observarunt viri Eruditi, & inter eos passim sæpe laudatus SCHOEPFLINUS (a). De temporum congrua entia quid dicam? ITAM ex sanguine *Lotharingico* hodierno haud descendere, adversus Actuarium statuunt, ut sæpe diximus, Eruditi ideo; quod temporum ratio non conveniat: illa ergo hic loci cum diplomatibus correspondente, quid superest, quam ut locum Actuarii sanum, verum, & incorruptum esse censeamus? Ubi enim ab auctore quopiam (si modo totus quantus fabulosus aut malignus non sit) discedendi nulla subest caussa, ubi nulla contradictio, ubi suffragium ex diplomatibus: quis sine temeritatis nota discedere audeat, aut velit?

Nec obest, plures tum vixisse LANTOLDOS.

XI. Certum est ergo, diplomata P. HERRGOTTI Actuario etiam quoad LANCELINUM suffragari, & ita suffragari, *ut humana mens acquiescere possit*, quanquam, quod mireris, nondum acquiescat Adversarius, varia adhuc proponens dubia. Ac primo quidem diplomata P. HERRGOTTI, quorum excerpta dat, de LANTOLDO seu LANCELINO certo intelligenda esse, negat: „ cum plures tunc temporis extiterint LANTOLDI, & plures forte, quam chartæ meminerint. „ Ad hæc in dubium vocat, num LANTOLDI nomen idem sit, cum nomine LANCELINI, seu KANZELINI? & si hoc, non ideo sequi, ut is GUNTRAMNI filius fuerit. Neque præterea possessiones, in eodem regionis tractu sitas, quæ olim possedit GUNTRAMNUS, ad rem quicquam facere; nam legi quidem, quod is illarum iacturam fecerit, at quid ex iis dicto GUNTRAMNO, aut eius heredibus reliquum manserit, nuspiam legi. Tantum itaque abesse, *ut allegata diplomata suffragium ferant Actis Murensibus*, *quæ sola* KANZELINUM GUNTRAMNO *Divite progenitum asserunt*, *ut potius illa ab Actis ipsis suffragium requirant*, *ut vel coniecturam huic stemmatis gradui addere queant*; ita ut sine eorum auctoritate *loco suffragii periculum Genealogiam confundendi afferant*, uti factum fuerit a P. HERRGOTTO lib. II. cap. IV. §. II. p. 138. ubi ex subscriptione cuiusdam diplomatis deceptus, WERINHERUM quemdam, ex Comitibus de *Baden* ortum, genti Habsburgicæ

pag. 211.
pag. 212.

(a) Alsat. illustr. tom. I. pag. 766. §. LIV.

gicæ perperam asseruerit, hincque prelo iam absoluto, errorem in *addendis & corrigendis*, hunc in modum emendare debuerit: pag. 138. linea 11. *memoria* WERNHERI *Comitis, Badensis familiæ Comiti in Argovia tribuenda.* „ Adeo (subiun- „ git ille) seducunt genealogos monumenta, licet chronolo- „ giæ consentanea, quæ indefinite loquuntur. „ pag. 213.

XII. Non minus hæc speciosa sunt, quam præcedentia; quibus etsi ex parte satisfactum iam fuerit, operæ tamen pretium erit, iis singillatim respondere. Quod igitur ad primum pertinet, non negamus, ea tempestate plures esse potuisse, immo & fuisse LANTOLDOS: seu, quod verius est, LANTOLDUM in chartis P. HERRGOTTI sæpiuscule recurrere. Sed id tantum abest; ut aut Actuario, aut P. HERRGOTTO quidquam deroget, ut præclarum potius utrique ferat suffragium. Nam si e diverso diplomata nullius LANTOLDI memoriam facerent, atque præterea ex diplomatis tam P. HERRGOTTI, quam aliorum, perspicuum fieret, in omnibus ceteris pagis, non longe ab Argovia, aut finibus eius, sitis, alios atque alios, quam LANTOLDOS, seu LANCELINOS tum temporis fuisse Comites; tum enimvero Actuario iure, meritoque negaretur fides, diceretur que, LANCELINO nullibi esse potuisse locum. Nunc ergo cum ex dictis diplomatibus eruatur contrarium, ita, ut vere dici possit, LANTOLDUM quemdam ibidem tunc exercuisse *Comitivam*, fieri nequit, ut ne illud fidem auctoris confirmet; quod idem est, ac suffragium accipere a diplomatis.

Quin & hoc ipsum suffragatur.

XIII. Atque hoc ipsum quidem illud est, quod Adversarium tota hac parte II. aut fugit, aut, quod minus crediderim, ab eodem silentio suppressum fuit. Consistit id in regula generali, quam P. HERRGOTTUS non uno loco exposuit, quæque circa Comitum nomina, antequam hisce cognomen accederet, eorundem possessiones, iura successionis in bona aviatica, atque ecclesiarum advocatias, & similia versatur, de quibus omnibus idem P. HERRGOTTUS graviter hunc in modum monet: *Quamobrem in rebus Habsburgicis firmiter insistendum est fundamentali regulæ : ex solis nimirum vetustis-*

Quæ res amplius urgetur ex Comitum possessionibus, advocatiis & similibus.

tustissimis etiam chartis Pagensibus discriminari non posse, hunc illumque Comitem ad hanc potius, quam ad aliam gentem longe diversissimam, pertinere . . . . Insignis tamen usus est notitiæ veterum nominum, ex antiquissimis chartis depromptæ, in ipsis etiam rebus genealogicis: si contemporanei, aut proxime coævi scriptores non desint, qui hoc illudve nomen certæ familiæ ac genti adscribant: si ratio temporum bene se habeat: si denique possessiones, iura successionis in bona aviatica, atque in ecclesiarum Advocatias, ceteraque accedant, quæ fidem firmare a *valeant* (a). Probe hic notanda sunt verba: *si contemporanei, aut proxime coævi scriptores non desint*, quibus hic Acta *Trutpertina*, ac præsertim *Murensia* indigitat; unde, ut hoc obiter addam, magis, magisque confirmantur dicta hic capite nostro primo: nimirum P. Herrgotto nunquam venisse in mentem, ut seposita omni notitia, ex auctore Actorum Murensium hausta, solis ex diplomatibus rem conficere vellet. Deinde quoad præsens propositum id præterea intelligimus: illum tot Comitum nomina ideo collegisse, ut, iis inter se collatis, Actuario non solum maior atque indubitatior fides, sed & maior lux accenderetur. Quod si ergo ulterius ostendero, quo pacto id factum fuerit, non dubito, quin Adversarius manus daturus sit, atque ingenue confessurus, quantum clienti suo, iamque meo, inde accesserit pondus.

Itemque ex serie Comitum, eum tempore viventium.

XIV. Pagi & Comitatus, in quibus maiores Habsburgici non solum bona sua habuerunt *allodialia*, sed & inde a seculo præter propter VIII. *Comitivam* exercuerunt, fuerunt sequentes: *Argovia*, quæ ceterorum fere media est, & in qua antiquitus Comitatus *Rore* in provincia *Burgundiæ* Transiuranæ. *Zurichgovia* & *Turgovia*, quibus adiacent, orientem versus, *Rhetia Curiensis*, pagus *Curwalaha* seu *Curvalia*. Porro *Argovia* ad septentrionem *Frickeæ*, *Sissgoviæ* & *Cleggoviæ* pagos habet, quibus confines sunt *Alpigovia*, *Brisgovia* atque *Elisatia*, & in hac præcipue *Nortgovia* & *Suntgovia*. Videamus nunc, num Lancelini ætate, de quo in Actis Murensibus memoria habetur, in his partibus alius, præter Lantoldum floruerit. Occurrit is ex mente P. Herrgotti

(a) Proleg. VI. §. VIII. pag. LII.

GOTTI in chartis annorum 976. & 986. nec non & in aliis, infra adducendis, unde eum Comitem in pago *Turgoviæ* fuiſſe diſcimus. Sub idem tempus in Brisgovia quidem PIRITHILO, ſeu PIRCHTILO (a), itemque alter, ut probabile eſt, LANTHOLDUS (b) Comes de *Zaringen*, ut tempore poſteriori nuncupatur; qui tamen a P. HERRGOTTO ex ſtemmate Habsburgico abſolute haud excluditur. In pago *Mortunowa* CONRADUS (c). In pago *Rore* ARNOLDUS (d). In pago *Zurichgauge* MANAGOLDUS (e). In *Rhetia Curienſi*, ſeu *Curvalia* ADELBERTUS (f). In pago *Alpigowe* anno ſaltem 929. 12. Febr. LIUTHO. Nihil addo de *Alſatia*, aut *Suntgovia* & *Nortgovia*, ubi tamen poſteros EBERHARDI, HUGONIS filii, longe lateque ſe ſe diffudiſſe, Reverendiſſimus Abbas CALMETUS docet (g). Hisque præterea addendum ſæpius citatum diploma OTTONIS II. datum Conſtantiæ 972. 28. Aug. ubi plerique veteris Alemanniæ Comites hoc ordine enumerantur: *Sub noſtri præſentia, ceterorumque noſtrorum Primatum*, BERNONIS *videlicet Comitis Palatini*, CHUONRADI, ODALRICI, ADELBERTI, HUCBALDI, RICHUUINI, GOTEFREDI, MANAGOLDI, LANTOLDI, WOLFRADI, LUTTOLDI *Comitum.* Recenſentur inter eos MANAGOLDUS, quem in pago *Zurichgoviæ*, ADELBERTUS, quem in *Curvalia*, CONRADUS, quem in *Mortenovia* Comitum munere functos fuiſſe, mox diximus: nec dubito, quin LANTOLDUS ibidem nominatus, idem ſit cum LANTOLDO in pago *Turgoviæ;* quem quippe pagum ad Alemanniam pertinuiſſe, conſtat. Hæc ſi advertiſſet Adverſarius, futurum vix fuerat, ut P. HERRGOTTI argumenta

O o adeo

(a) Vid. chartæ P. HERRGOTTI annorum 968. fer. IV. 990. 18. Iun. 994. 22. Dec. & 995. 9. Dec. itemque ad finem ſecul. X.

(b) Ibid. an. 972. num. CXLI.

(c) Ibid. an. 973. 25. Iul. 997. 6. Febr.

(d) Colligitur id ex diplomate anni 972. 28. Aug. ubi Eccleſia *Skenines*, quæ a Comitibus Lenzburgenſibus fundata fuit, ad Comitem ARNOLDUM pertinere dicitur. Porro Comitatum, qui poſtea *Lenzburgi* nomine venit, antiquitus *Rore* nuncupatum, atque una bona aviatica Habsburgenſium, ut credibile eſt, concluſiſſe, docetur a P. HERRGOTTO proleg. V. §. III. Add. hic lib. I. cap. XVI. num. V. pag. 160. ſeqq.

(e) Ibidem an. 972. 28. Aug. & 975. 26. Dec.

(f) Ibidem an. 965. 23. Ian. 972. 28. Aug.

(g) Origine de la Maiſon de Lorraine col. CCIX.

adeo crude reiecisset. Quando enim plerosque pagos & Comitatus tam *veteris Burgundiæ*, quam *Alemanniæ*, hic ante oculos habemus, in quibus alii, aliique Comites, quam LANTOLDI, occurrunt, una excepta *Turgovia;* consectarium plane est, LANTOLDO illi, quo de in Actis Murensibus, haud alium pagum, aut Comitatum, quam *Turgoviam* assignari posse, esseque adeo unum, eundemque LANTOLDUM. Scio equidem, superesse non nullos alios pagos, pagellosque: verum, cum hi minus celebres sint, Habsburgici contra, ut Comites primi ordinis, quærendi sint in celebrioribus: putaverim, Adversario satis esse posse allegatos, qui iam, ut nullus dubito, usum, virtutemque diplomatum ultro agnoscet.

LANTOLDI & LANCELINI nomen idem fuisse probatur.

XV. Atque ex his facilis iam est responsio ad Adversarii cetera, atque inter hæc cumprimis ad dubium, ex inflexione nominis motum. Rebus enim ita constitutis, ut in omni illo, de quo disputamus, tractu, sola excepta *Turgovia*, alius atque alius nomine Comes ius dixerit, quam LANTOLDUS; eo elaborandum vel maxime est, ut LANCELINO nostro reperiamus locum, ne, dum Actuarium vel maxime defendere cupimus, imprudentes condemnemus, atque hostibus nominis Habsburgici, si qui sunt, præbeamus fundamentum, quo ex stemmate Habsburgico LANCELINUM nostrum eiiciant. Cum enim, ut mox diximus, omnium, saltem celebriorum Comitatuum & pagorum Comites, tam in *Alemannia*, quam in *veteri Burgundia*, eodem tempore viventes, ope diplomatum detexerimus; necesse est, ut KANCELINUS seu LANCELINUS, in Actis Murensibus memoratus, LANTOLDUS sit, aut nullus. Neque enim Comitatus eius in alia facile mundi plaga, quam ubi Comitatus patris & filii eius circiter fuerunt, quærendus est. Postremo nobiscum, præter alios, etiam facit, aut certe
a præivit Clariss. ECCARDUS (a), qui & vitio scribæ tribuit, quod in Actis Murensibus erronee KANZELINUS legatur. Et quis demum varias, frequentesque apud veteres nominum in-
b flexiones ignorat? quando ETHICO pro ADALRICUS (b), HE-

ZILO

(a) Cit. Orig. Habsburg. col. 71. num. II.
(b) Varias huius nominis inflexiones affert Cl. SCHOEPFLINUS loc. cit. pag. 754. §. XXXI. quibus addi potest ea, quam in MS. Bibliothecæ

ZILO pro HEINRICUS, CHUNO pro CONRADUS, DIETRICUS pro THEODORICUS, & alia similia passim occurrunt?

XVI. Eodem modo Adversarium excipimus, cum argumentum, ex possessionibus deductum, sugillat. Nemini enim unquam in mentem venit (quod & ex verbis P. HERRGOTTI, hic supra num. XV. adductis, manifeste patet) ut ex solis possessionibus seriem quandam genealogicam deducere attentaret. At illa reliquis probationibus accedente, quis non magnum inde accedere robur, videt? Quandoquidem filiorum bona & latifundia haud facile alibi, quam ubi sua & pater habuit, quærenda sunt. Possessiones quid huc faciant?

XVII. Iisdem ex principiis obviamus Adversario, cum, concesso etiam, LANCELINUM cum LANTOLDO eundem, nec non & hunc Comitem in pago *Turgoviæ* fuisse, non ideo tamen inde consequi dicit, LANTOLDUM GUNTRAMNO natum. Neque enim necesse est, ut diplomata gradum & stemma indicent, si modo id efficiant, ut illi, qui utrumque indicavit, nimirum Actuario, præstari possit fides, ac mens humana acquiescere ne reformidet. Nemo enim unquam dixit, Actuarium, aut nihil conferre, aut nullam facere fidem, sed id duntaxat: certam fidem ab illo *solo* haud præstari. Alias enim cur P. GERRGOTTUS illum secundis curis ederet, cur eidem illustrando integrum destinaret prolegomenon, cur diceret, *illum gravem, quin & gravissimum* esse? cur & adderet, illius *magnum & frequentem in hoc opere genealogico contexendo usum* fore. E diverso autem si Actuarius fidei fuisset integræ, si non tot in eo (nam semper & ubique ex communi & recepta antea hypothesi loquor) detecti fuissent errores, tum demum dicendum foret: solum & unicum, quoad decem generationes sufficere Actuarium, quanquam & tum, ut seculo hoc delicato fieri amat, non nulli fuissent, qui unico in hac re auctori, ut ut integræ famæ, nimium fidendum haud esse, contenderent; maxime si nullum uspiam productum fuisset instrumentum, quod ei in una saltem progenie suffragaretur. Quidque diplomata quoad stemma? pag. 211.

 XVIII.

thecæ nostræ codice annorum 900.), THEGANUM de LUDOVICO *Pio* referente, legimus: *qui fuerit de stirpe cujusdam Ducis, nomine* EDIC.

Exemplum de WERINHERO suffflaminatum.

XVIII. Exemplum de WERINHERO, Comite *Badensi*, huc non quadrat; ibi enim error non ex formula, diplomati subiecta, exortus est, sed ex ea male intellecta. Certum est enim, atque a P. HERRGOTTO invicte demonstratum (a), Comitem, qui in chartis Pagensibus sub finem cuiusdam instrumenti unacum Rege, & quandoque etiam cum Duce, quasi subscribens, nominatur, Rectorem fuisse illius pagi aut Comitatus, ubi bona & latifundia, quorum caussa instrumentum illud conditum fuit, sita erant. Hinc formulae illae solemnes: *In pago vero Thurico Comitis Adalgozzi in villa Hoënka.* Item: *Ego itaque* LIUTO *scripsi & subscripsi, notavi an. XXXIII.* LUDOVICI *regis, & sub filio eius* CAROLO, *Rectore eiusdem pagi, in quo praefatae res sitae fuerant, id est, Prisiconve.* Et alibi: *In praesentia* OLDARICI *Comitis de Baden, in cuius Comitatu idem locus situs est.* Equidem similis fere habetur formula in diplomate, quo de hic quaeritur, in cuius fine sic legimus: *Denuo renovatum in fisco Turreginsis aulae, sub* WERINHERO *Comite, ipso praesidente.* At discrimen in eo cubat, quod hic nec de pago, nec de Comitatu mentio aliqua inferatur, sed de *fisco* duntaxat, ubi praesidium advocati, quali munere WERINHERUM illum tum functum fuisse, ex alio instrumento discimus (b), exigebatur, non Comitis aut Rectoris pagi. Hoc ergo cum primum non advertisset P. HERRGOTTUS, advertit plane postea, atque ad calcem operis ingenue correxit. Ob quem candorem gratiam potius, ut opinor, meruisset, atque laudis mercedem, quam publicam, in orbe litterario, reprehensionem.

De anno LANTOLDI emortuali quid sentiendum.

XIX. Obitum LANTOLDI P. HERRGOTTUS, praeeunte ECCARDO, ad annum 990. consignavit. Uterque nixus est auctoritate Annalium Einsidlensium vetustissimorum, a Cl. MABILLONIO, secul. Benedictino V. laudatorum, ubi legimus: DCCCCXC. *obiit* LANTOLDUS *Comes.* Displicet haec epocha Adversario, quamvis & ille aliam, aut certiorem afferre nequeat; unde coniectat hunc in modum: *Quandoquidem autem & iste*

pag. 214.

(a) Proleg. VI. S. IV.
(b) Tom II. pag. 178. ubi habetur: *Praesente Comite & Advocato* WERINHERO *de Baden, & fratre suo* CHONONE.

iste Lantoldus *Einsidlensis facile potuerit esse diversus a* Kanzelino *nostro*, *huius decessui annum assignare certum frustra contendamus.* Ergo omnia in dubium vocanda sunt, quæ ab Actuario Murensi non proficiscuntur? Crederes, hoc solo vidente, cœcutiisse ceteros. Sed grates Musis mansuetioribus; quod ipsis non invitis, Conradus noster, post multorum annorum obscuritatem, feliciter detectus, atque *ad locum suum restitutus* tandem fuerit: ubi deinceps pro dignitate quidem, at non supra, quam meretur, honorabitur. Sed ut redeamus, unde paullulum digressi sumus, verum quidem est, plures circa hoc tempus occurrere Lantoldos, at non plures Lantoldos Comites. Neque enim Comitum dignatio tam frequens olim erat, ut in quovis apparerent aut foro, aut trivio. Quod si P. Herrgottus alium attulit Lantoldum, eundemque Comitem, quem stemmati Habsburgico, ex hypothesi, quod *Zaringensis* fuerit, inserere dubitavit, inde certe nihilo secius a codice Einsidlensi standum est; quum Einsidlenses Lantoldi *Turgoviensis* vicinioris facilius, quam *Brisgoviensis*, notitiam habere potuerint. Quod si præterea mortem filii Radebotonis, quæ ann. 1027. aut, si cum Adversario facere velimus, paullo serius evenit, cum morte patris contendimus, utrumque sibi ita respondet, ut mirum sit, hoc dubium Adversario venisse in mentem. Sed quidquid sit, neque Eccardus, neque Herrgottus hoc ut exploratum quid, aut pro certa veritate vendiderunt, in id præcipue intenti, ut apices genealogicos, non chronologicos, nisi quantum hi illis lucem fœnerantur (ubi tamen & numerus rotundus utcunque sufficit) exputarent.

CAPUT VI.

De Radebotone, Rudolphi I. maiore in gradu VII.

I. Quatuor admodum in capite suo III. agit Adversarius: primo doctrinam Abbatis Tschudii recenset, ostendens, quibus ille adminiculis suffultus, stemma Radebotonis Habsburgicum probaverit. Facit id, ut iam monui, ex

Prætervecta Abbatis Tschudii de Radebotone doctrina.

ex instituto, quod in hac tota parte II. præ oculis habens, laudes Abbatis atque famam velut ex cineribus resuscitat. Hoc peracto, asserta perpendit P. Herrgotti, tum vero, occasione arrepta, de auctoritate chronici *Novientensis* disputat, ac ultimo denique in annum Radebotonis emortualem inquirit, subnectens non nulla de eius sepultura. Molliter cubent ossa Tschudii, viri & generis nobilitate, & præclaris in rempublicam litterariam, ac monasterium, sibi commissum, meritis, longe celeberrimi; id tamen, ut ingenue loquar, comprehendere ac pervidere vix possum, cui bono, post ingentes P. Herrgotti (ut de Celeb. Eccardo nihil dicam) labores, exiguæ istæ merces denuo nobis, & quidem tanto studio venditentur. Quare mihi nemo succenseat, si illum deinceps totum quantum in medio relinquam, iis unice occupatus, quæ P. Herrgottum, seu potius Genealogiam eius Diplomaticam, concernunt.

P. Herrgotti de gradu Radebotonis asserta Lib. II. Cap. VII.

II. Stemma Radebotonis ut ostenderet P. Herrgottus, hunc in modum disseruit: „ In præcepto, inquit, Henrici II. Imp. quo *Rhinaugiensi* monasterio prædium *Wizzenburc* donatur an. 1023. dicitur, prædictum prædium „ situm esse in pago *Chleugeuve*, in Comitatu vero Radebotonis Comitis. Quoniam vero tunc temporis, in „ tractu *Argoviæ* & *Alsatiæ* nullus alius hoc nomine Radebotonis Comitis occurrit, quam hic noster in pago *Chleugeuve*, id est *Cleggoviæ*, quem Acta Murensia filium Kanzelini, patremque Ottonis, Alberti & Wernharii „ constituunt, qui citra controversiam Habsburgici Comites „ fuerint; sequitur, hunc ipsum Radebotonem Maiorem „ quoque, & quidem in VII. gradu, censendum esse respectu Rudolphi I. Regis Rom. siquidem Wernharium, Radebotonis filium, eiusdem Regis tritavum fuisse, argumentis sat solidis paullo ante a nobis demonstratum est. „ Ex abundanti insuper hunc genealogiæ gradum evincunt „ memorata sæpius Acta Murensia, suffragante iisdem diplomate Henriciano. „

III.

III. Multa hic excipit Adversarius, quæ, compendio reddita, huc redeunt: esse hoc instrumentum eiusdem omnino cum prioribus, a P. HERRGOTTO adductis, rationis, eiusdemque periculi; cum nomen duntaxat prodat non stemma. Quam parum convincens sit paritas nominis, tam fallacem esse convenientiam temporis, huicque iniuriam fieri, *quod plures simul ferendi cognomines potentia privetur.* Sed dato etiam, unicum duntaxat exstitisse tunc temporis RADEBOTONEM, aliunde tamen, ipso agnoscente P. HERRGOTTO, ac ex Actis Murensibus, non constare, hunc filium esse LANCELINI. Hinc admiratione dignum, quod, gradu hoc ex Actis Murensibus sufficienter demonstrato, ultimo subiungere non dubitet P. HERRGOTTUS: *Ex abundanti insuper hunc genealogiæ gradum evincunt memorata sæpius Acta Murensia.* Nam *ubi numerus deest*, reponit Adversarius, *ibi nulla abundantia. Præter Acta Murensia nullum* P. HERRGOTTO *est monumentum . . . Quî ergo Actorum assertio abundet?*

Exagitantur ab Adversario. pag. 227. pag. 228.

IV. Ad eundem scopulum offendit hic Adversarius, ad quem eum offendisse docuimus capite præcedenti: nomina videlicet Comitum non nisi numerum facere existimans, illos eodem tempore, iisque in regionibus adeo frequentes, adeo obvios esse potuisse credit, quantum vix non gregarios milites, quos tamen & ipsos nominibus inter se distingui, exploratum est. Veruntamen parum hoc esset, nisi & iidem restringerentur ad regiones, ita, ut non plures fuerint Comites (*fisci* (a) *saltem*) quam Comitatus. Poterat Adversarius vim huius argumenti ex ipsis P. HERRGOTTI verbis colligere, ut qui expresse ait: *quoniam vero tunc temporis in tractu Argoviæ & Alsatiæ nullus alius hoc nomine* &c. sed eundem vel non recte percepit, aut percipere noluit. Etsi ergo cap. præced. num. XIV. non spernendum Comitum catalogum, qui tempore LANTOLDI, seu LANCELINI, GUNTRAMNI filii, hisce in regionibus floruerunt, dederimus, operæ tamen pretium

Quem tamen in antiquo versari errore.

tium

(a) Comites *Fisci* haud improprie eos appellari posse, docet sæpe laudatus D. SCHOEPFLINUS, qui re ipsa Comites fuerunt cum exercitio *Comitivæ*; Comites *Fundi* contra, quibus eiusmodi titulus honoris tantum caussa tributus fuit; quod ex Ducali prodirent familia. Vid. l. c. pag. 776. §. LXXIV.

tium erit, etiam RADEBOTONIS coætaneos, in numerum & seriem hic redactos, exponere; ut pateat, etiam huic non alio in Comitatu, quam *Cleggovia*, fuisse locum, adeoque unum, eundemque fuisse cum RADEBOTONE, in Actis Murensibus memorato.

Ostenditur ex serie Comitum, eo tempore viventium.

V. Quæ igitur tabula P. HERRGOTTI, prolegomeno VI. ante pag. LI. inserta, Comitum, tempore RADEBOTONIS, qui in diplomate anni 1023. occurrit, viventium, nomina prodit, sequentia sunt: In *Alsatia* superiori DIETHARDUS an. 986. 30. Oct. ODO, UTTO, an. 1003. 21. eiusd. item an. 1004. 1. Iul. GISILBERTUS an. 1027. num. CLXIX. nec non & WEZILO ibidem. In pago *Aragaugensi*, alias *Rore*, ARNOLFUS an. 1045. 23. Iun. Huic enim cum pater, ut ex charta anni 972. 28. Aug. patet, OLDARICUS fuerit, sequitur; hunc tempore RADEBOTONIS præcessisse, eique adeo coævum fuisse. In pago *Brisigowe* BIRCHTILO, de quo superius. BERTHOLDUS 1004. 26. Iun. ADELBERO 1005. 14. Iul. & 1010. 28. Mart. itemque BERTHOLDUS 1028. num. CLXX. 1048. 1. Iun. &c. In provincia & pago *Churowalla*, seu *Curvalia* ADELBERTUS, qui supra, MARQUARDUS 1032. 30. Ian. In pago *Zurichgowe* præter MANAGOLDUM, supra memoratum an. 975. 26. Dec. nullum scimus, qui tamen RADEBOTONIS ætatem facile attigit. In *Turgovia* post LANTOLDUM BERTHOLDUS an. 997. num. CLII. occurrit: itemque BERTOLDUS an. 1049. 11. Iul. Hi sunt Comites, tempore RADEBOTONIS viventes: nisi ergo RADEBOTONEM alibi, quam in his tractibus & confiniis, quanquam frustra, quærere velis, concedendum est P. HERRGOTTO, illum Comitem fuisse in pago *Cleggoviæ*, aut nullibi. Sed hæc ad maiorem conciliandam Actuario, seu CONRADO nostro, fidem.

Quibus & reliquæ obiectationes facile enervantur.

VI. Nunc, quæ Adversarius porro obiiciat, dispiciendum. Et ego quidem priora illa, quæ de pari erroris periculo, ac de pluribus Comitibus synonymis opposuit, non moror; quippe cum ab obiectationibus, capite præcedenti allatis, & explosis, haud differant. Restant solummodo verba P. HERRGOTTI, quibus ab Actuario gradum hunc *ex abundanti evinci*

k post

poſt cetera dixit, quæque Adverſarium adeo male habere videntur. Sed non advertit ille, Actuarium duobus modis conſiderari poſſe, & in hypotheſi, de qua ſæpius dixi, communiter recepta, ita conſiderari debere; nimirum una ex parte, qua genealogiam præfixam, altera, qua Acta ipſa conſcripſit. Itaque, quando in adductis verbis Actuario uſus eſt P. HERRGOTTUS, Acta primum ipſa, ubi de RADEBOTONE ampliſſimus ſermo eſt, intellexit: quando contra ſubiunxit: *ex abundanti inſuper hunc genealogiæ* GRADUM *evincunt* &c. per Acta Murenſia genealogiam præfixam intellexit. Numeret Adverſarius genealogiæ huius gradus, & videat, an non a RUDOLPHO *Habsburgico*, ſeu, quod idem eſt, ab eius fratribus ad ITAM usque, RADEBOTONIS coniugem, aſcendendo, gradus VII. emergant? Per gradus ivit P. HERRGOTTUS, atque a RUDOLPHO *Habsburgico* R. R. ad RADEBOTONEM usque aſcendendo, iam ſeptimum attigerat, qui ex rebus, ante præmiſſis, quaſi ſponte exſurgebat: huic ergo cum accederet dicta genealogia, quæ ab ITA, RADEBOTONIS coniuge, incipit, quæque gradus iſtos ex inſtituto digerit, quid rectius dici potuiſſet, quam *ex abundanti hunc gradum evinci ex Actis Murenſibus*, id eſt, a Genealogo quoque, iisdem præfixo? Oportuerat verba P. HERRGOTTI aut diligentius examinare, aut interpretari rectius, aut, quod præſtabilius fuerat, non publice reprehendere.

VII. Iam ut ad Chronicon *Novientenſe* deveniamus, adiunxit illud Actuario Murenſi, ſuisque diplomatibus, P. HERRGOTTUS, dicens: *Actis Murenſibus addi poteſt Chronicon Novientenſe, in quo* RADEBOTO, WERNHERI *epiſcopi frater diſerte planeque nuncupatur. Nec obſtat, hoc ipſum in Actis Murenſibus perperam negari.* Reponit Adverſarius: *Non arbitramur*, WERNHERUM *fratrem negari* RADEBOTONIS, *quia & ITÆ frater nominatur.* Verum cum ea de re iam actum ſit, remittit ad ſuperiora, quo & nos; quoniam ibi plus ſatis demonſtratum fuit, quo pacto hæc verba accipienda ſint, Lectorem, ſi id quidem operæ pretium duxerit, ablegamus (a). Deſcendit deinde ad Chronicon *Novientenſe*, ſeu *Ebersheimenſe*, cuius

Chronicon *Novientenſe* etſi mendoſum,

pag. 229.

ibid. ſeqq.

(a) Nimirum Lib. I. cap. XXIV.

pag. 233. cuius fidem subleſtam eſſe, cum ex Gallia Chriſtiana, Magno MABILLONIO, atque aliunde etiam oſtendiſſet, ad ultimum concludit, auctorem, ſeu, ut illum appellat, *conſarcinatorem* eius talem eſſe, *cuius latus merito recuſet ſcriptor Murenſis.*

Mendoſo tamen Genealogo recte aſſociatur.

VIII. Hoc omni labore ſuperſedere poterat Adverſarius. Neque enim nobis non cognitum erat, quid de Chronico illo ſentiendum: nec tamen ideo cauſſam videmus, cur ſcriptor Murenſis, præſertim Genealogus, latus eiusdem refugiat; quandoquidem ut graculus graculo, ita ſcriptor *mendoſus mendoſiſſimo* recte aſſociatur (a). Quod ſi dictus Murenſis Genealogus, ſcriptor videlicet ſex & viginti linearum, peccavit toties in opella tam exigua, quid futurum fuiſſet, ſi opus ſuſcepiſſet par operi Anonymi *Novientenſis?* Incidit porro Adverſarius in eundem hic paralogiſmum, in quem illum lib. I. cap. I. incidiſſe vidimus, exiſtimantem, *uſu interdicendum* eſſe eorum ſcriptorum, qui *in errorum devia abrepti*, una, aut altera vice, lapſi ſunt. Quaſi vero inter plures fabulas nullus apparere poſſet veritatis radius? Si Anonymus *Novientenſis* ubique deferendus eſt, væ laudato MABILLONIO (b), væ aliis, qui eundem non raro ut teſtem adhibere nulli dubitarunt, ſi non ſolum, iunctum ſaltem cum ceteris. Atque hic præſertim cur reiiciatur, non video; cum, vel ipſo non diffitente Adverſario, vera ſcripſerit, cumque Actuario congruat; cui igitur bono tam operoſa Chronici *Novientenſis* recenſio?

ITA & RADEBOTO quo anno obierint? disquiritur.

IX. Non minori opera aliud dubium diſſolvendum in ſe ſuſcipit Adverſarius. Verſatur id circa annos emortuales tam RADEBOTONIS, quam ITÆ, coniugis eius, quorum illi in Necrologio Murenſi annus 1027., huic annus præcedens aſſignatur. Non usque adeo huic Necrologio fidendum, monet Adverſarius; (pag. 234.) quum illud anno 1623. *collatione quidem veterum codicum reſtitutum* fuerit, at chronologia ex ſcriptoribus (pag. 235.) non nunquam recentioribus ſuppleta. Quare utriusque obitum tempore non nihil ſerius eveniſſe contendit; id quod ei, ponderatis rationum momentis, ex toto haud abnuimus, ſi

(a) Vid. lib. noſtri I. cap. I. §. IV. pag 4. not. c.
(b) Vid. inter cet. Annal. BENED. lib XV. n. 60. quanquam quod ibi ſtatuit MABILLONIUS in dubium vocet LAGUILLE dans *l' hiſtoire d' Alſace* lib. VIII. pag. 87. Add. Cl. D. SCHOEPFLIN. l. c. p. 755. & alias paſſim.

ſi modo id non ultra modum protendat: quanquam forte præſtabilius fuiſſet, rem hanc totam in medio reliquiſſe; quandoquidem tota ſua diſputatione nihil aliud effecit, quam ut Necrologio Murenſi minor circa chronologica deinceps haberi poſſit fides, & ipſe demum in fine fateri cogatur: annum pag. 240. Itæ emortualem (quanto magis & Radebotonis?) etiam poſt tantas contentiones, adhuc ſibi obſcurum atque indefinitum manere. Porro ſi verum eſt, quod alibi oſtendere nitebatur Adverſarius, Comitiſſam hanc ex Friderico *Lotharingico* & Beatrice fuiſſe progenitam, mors eius anno 1026. non incongrue aſſignatur; cum Beatrix iam anno 938. ut alibi obſervavimus, *Duciſſa* nuncupetur; proindeque filiam hanc ſuam Itam iam tum forte enixa fuerit. Verum hoc ex hypotheſi Adverſarii, cui etſi non ſubſcribimus, eiusdem tamen defenſorem ſtringat, neceſſe eſt. Multo minus annus, Radebotoni aſſignatus, diſconvenit; cum frater eius Wernherus, qui anno 1029. ut ſupra diximus, obiit, ad minimum ſexaginta annorum fuerit. Conſtat enim, epiſcopos etiam tum temporis ante annum ætatis triceſimum nec eligi, nec ordinari conſueviſſe (a); cumque ſedem *Strasburgenſem* in annum nonum & viceſimum tenuerit; ſequitur, ut vitam ſuam, ſi minimum, in ſexageſimum protraxerit. Electus eſt enim anno 1001. quandoquidem anteceſſor eius eodem anno vivere deſiit (b). Quando ergo Radeboto, ut paternorum bonorum heres, haud dubie natu maximus fuit, conſectarium ſit, ut eiusdem annus emortualis, ſi communem naturæ curſum intuemur, non multo ultra dictum annum differri queat.

CAPUT VII.

De Wernhario, Rudolphi Rom. Regis tritavo.

I. Wernharii II., Comitis Habsburgenſis, Rudolphi Rom. Reg. tritavi, ſtemma & gradum ut oſtenderet P. Herrgottus, cum Actis Murenſibus, tum aliis

Argumenta, quibus Wernharii ſtemma & gradum probat P. H.

(a) Vid. *Lud.* Thomassini Vetus & nova Eccleſiæ diſciplina, P. I. lib. II cap. LXIX. & LXX

(b) Gallia Chriſt. tom. V. col. 791. ſeqq.

aliis quoque monumentis, ſynchronis videlicet, uſus eſt. „ Habsburgi, inquit, Comiti OTTONI II. patrem fuiſſe WERNERUM, ſeu *Wernharium*, non docent modo Acta Murenſia . . ſed & antiquiora aliquot monumenta mentionem „ eius ingerunt, quo gradus hic genealogicus confirmari poſ-
a „ ſit, ut mox audituri ſumus (a). „ Verba Actuarii ſunt hæc: *Poſt cuius* (RADEBOTONIS) *obitum filius eius* OTTO *&* ALBERCTUS *&* WERNHARIUS *diviſerunt ſibi locum iſtum, prout eis placuerat. Poſt multos autem dies occiſus eſt* OTTO *ab Erinliero quodam milite, ſepultus eſt in Argentina civitate ante altare* S. LAURENTII, *pro cuius anima dedit huc Comes* WERNHARIUS, *frater eius, prædium ſuum, quod habuit ad Chuiſnach. Frater quoque* ADELBERCTUS, *cum moriturus eſſet ad Huonigin, remiſit tertiam partem ſuam, quam poſſiderat in loco iſto, & ſic defunctus eſt; cuius corpus huc delatum, poſitum eſt in ſepulchrum patris ſui* RADEBOTONIS. Adſtipulantur hisce diplomata P. HERRGOTTI; nam in charta Cardi-
b nalium, ipſis Actis inſerta, de qua nos alibi (b), nuncupatur *egregius Comes* WERNHARIUS *de Habsburg*. Et in diplomate HENRICI IV. R. R. quo libertas dicti monaſterii confirmatur, tom. II. num. CXCIII. anni 1114. IV. Non. Martii ſcribitur: WERNHARIUS *Comes de Habsburg*, ubi mentio quoque ingeritur Argentinenſis epiſcopi ſequentibus verbis: *A* WERNHARIO, *Argentinenſi epiſcopo, parente ſcilicet* WERNHARII *Comitis de Habsburg*. Ambo hæc inſtrumenta, ex Actis educta, capite ſuo IV. integra refert Adverſarius, repetitque denuo in Actis ipſis, ad calcem Vindiciarum ſuarum, impreſſis, ut adeo poſt tot alias editiones, puta PEIRESKII,
c d GUILLIMANNI (c), *Dominici* (d) & *Ægidii* TSCHUDIORUM
e f (e) *Muri & Antemuralis* (f) ECCARDI in Originibus, P. HERRGOTTI, & forte aliorum, qui vel ambo, vel alterum ſaltem ediderunt, periculum nullum ſit, ea aliquando interi-
pag. 242. tura. Porro hoc ipſum diploma, quod toties prelum fatigavit,

(a) Lib. II. cap. VI. §. I.
(b) Lib. I. cap. XIV. pag. 134.
(c) Habsburg. lib. V. pag. 262.
(d) In ambabus editionibus Origg. Habsburg.
(e) Chron. Helvet. P. I. pag. 10.
(f) Sect. II. pag. 9.

gavit, *memoratu valde dignum* vel ipſe agnoſcit Adverſarius, tacite ſcilicet innuens, quantum eiusmodi monumenta fidem auctorum, eorum præſertim, qui vacillant, adiuvent.

II. At nihilo ſecius ad antiquam hypotheſin ſuam recidens Adverſarius, ex his diplomatibus rem adeo non confici obtendit, ut etiam obſcurior reddatur. *Litteræ Cardinalium duntaxat de ſtemmate loquuntur*, ait, *Diploma etiam* HENRICI *Imp. gradum ſtemmatis adeo non elucidat, ut potius, ſi Acta non explicent, obſcuriora reddat.* Quare? quia, ut diploma illud recte explices, vox *parens* pro patruo accipienda eſt, cuius interpretationis fundamentum non alibi, quam ex ipſis Actis hauriri queat.

Soli Actuario adſcribit Adverſarius, pag. 249.

III. Ergo cum iam ſtemma negare nequeat Adverſarius, negat gradum. Ego contra putaſſem, patrem naſci ante filium, & filium poſt patrem. Sint igitur diplomata de anno 1023. qui RADEBOTONEM, & ſint diplomata de anno 1096. qui WERNHARIUM produnt, hunc ego, nil niſi communem naturæ legem attendens, filium RADEBOTONIS potius, quam patrem eſſe dixero. Grande igitur errandi periculum? WERNHARIUM deinde, Argentinenſem epiſcopum, diploma quoddam *parentem* vocitat WERNHARII *Comitis de Habsburg*: fungus ſim, id eſt, omnium rerum ignarus, niſi protinus intelligam, hanc vocem pro *patruo* potius, quam *patre* accipiendam; cum conſtet, WERNHARIUM vitam, quoad vixit, egiſſe cœlibem. Scio equidem, neque hiſce omnia confici, ſed accedente Actuario, quid luculentius, quid certius? Enimvero hic ſi nihil uſpiam præſtaret, eccur de eo non omnino taceretur? Dicendum igitur, diplomata non eſſe clariora, ſed certiora; ut de quibus nullum poteſt eſſe dubium. At ego quo vehor? cum toties reſpondi, cum integra capita præmiſi, cum ne quidem verbum me repoſiturum mecum conſtitui, identidem tamen alia & alia ſuccurrunt. Sed remitto iam ad priora, ac præſertim capitis mox præcedentis num. XIV. ad XVII.

In antiquo verſatus errore.

IV. Iam quid Adverſarius porro hic emendandum ſibi ſumpſerit, diſpiciamus. In Bulla quadam INNOCENTII PP. II.

Mendum Amanuenſis recte e-

mendat Adv. ex Archivo monaſterii Murenſis educta, apud P. HERRGOTTUM tom. II. num. CCXVI. ſic legitur : *quæcunque eidem loco a fratre noſtro* WERINHARIO *Comite de* HABEKSPURG (a) *eorumque conſanguineis collata ſunt.* Emendat hunc locum Adverſarius, atque, exigente autographo, ſic reſtituendum monet : *Quæcunque eidem loco a fratre noſtro* WERINHARIO, *Argentinenſi epiſcopo*, *& eius nepote* WERNHERO, *Comite de* HABEKSPURG, *eorumque conſanguineis collata ſunt.* Hunc in modum locum illum emendandum eſſe, cum aliunde non dubitamus, præſertim affirmante Adverſario, tum etiam ex laudato *Muro & Antemurali*, ubi hæc Bulla inter Inſtrumenta Pontificia pag. 4. refertur, intelligimus.

pag. 254.

Quanquam non ſine ſale.

V. Gratiam igitur mereretur hoc monitum omnimodam, non ſolum a P. HERRGOTTO, ſed & omnibus iis, qui hæc ſtudia colunt, ſi breviter, ſimpliciterque propoſitum fuiſſet; at cum res tanto ſtudio, tantisque verborum phaleris, atque ambagibus agitur, neſcio, quid de eo cenſendum. „ Miramur hic (ait Adverſarius) quod P. HERRGOTTUS ad diplomatice probandum, WERNHARIUM, Comitem de Habsburg, nepotem fuiſſe WERNHARII Ep. atque adeo filium RADEBOTONIS, terminum illum *parentis* tam æquivocum ex diplomate HENRICIANO aſſumpſerit, prætерito alio, quod ipſi Archivum quoque Murenſe ſuppeditarat, in quo dictus WERNHARIUS ET COMES DE HABSBURG, ET WERNHARII EPISCOPI ARGENTINENSIS NEPOS diſertiſſime ſcribitur. „ Adducit deinde laudatam INNOCENTII PP. Bullam integram, denuo ſubiungens : „ *Hanc bullam Pontificiam* MIRAMUR, *hic a* P. HERRGOTTO *neglectam.* „ & paucis interiectis: „ Verum *mirari* deſinimus, obſervantes: dictam bullam . . . a P. HERRGOTTO alibi non ſemel citari, . . . atque . . recenſeri, ſed enormiter læſam; utpote parte principali, qua genealogiam reſpicit, *mutilatam*, cum genuini ſenſus non levi alteratione. „ Hoc facto Bullam ipſam modo iam dicto ex autographo emendat. VI.

pag. 251.

(a) HABECKSPURG, inquam, non *Habsburg* (ut Adverſarius p. 254. ante finem perperam ſcribit) edidit P. HERRGOTTUS. Vid. loc. hic cit. p. 161. quanquam enim in hoc lis non pendeat, monendum tamen fuit, ne ex uno errore duo excreviſſe viderentur.

VI. Habemus itaque Adversarium hic *mirantem* & non *mirantem*, seu talem, qui, cum bis miratus fuisset, rem tandem eandem, cuius totam naturam ante & post admirationem æqualiter noverat, mirari desinit. Novimus figuram hanc Grammaticalem, quam si unquam inutilem vidimus, vidimus certe in præsentia. Quid enim hic admiratione dignum est? Num miraculum est, erraſſe hominem? Quid si totus error amanuensi, quid si monacho etiam Murensi adscribendus? Certe P. HERRGOTTO ideo adscribi non potest, quod Bullam, antequam in *Genealogiæ Diplomaticæ* volumine II. edita fuit, in primo tomo *non semel*, ut ipse Adversarius advertit, *citet*, atque adeo *MS.* non nisi mendosum ante oculos habuerit. Atqui illud submissum ei est a Murensibus, qui Sodales P. HERRGOTTI, ut is prolixe laudat (a), adiuverunt, quanquam ego absolute discernere nolim, cuinam error adscribendus. Sed quidquid sit, immunis plane est P. HERRGOTTUS, & ego doctis viris librariorum errores obiicere nollem.

Incertus quoque, an non se ipsum petat.

VII. At enim non id solum voluit Adversarius, quin potius eo collimavit, ut duas P. HERRGOTTI observationes, ex hoc ipso Instrumento deductas, infringeret. Primam iam retulimus lib. I. cap. XIV. num. III. (b). ubi ex hac ipsa charta a P. MARQUARDO ostensum fuisse diximus, WERNHARIUM Ep. in chartis posterioris ævi *Comitem de Habsburg* fuisse appellatum, secus in chartis, ipso vivente, emanatis. Alterum P. HERRGOTTI observatum lib. VI. cap. I. §. IV. reperitur, ubi de æquivocatione vocabuli *frater* agens, sic proloquitur: *Singulare tamen illud est, quod* INNOCENTIUS *Papa in Bulla, cœnobio Murensi concessa, Idibus April.* 1139. *tom.* II. *n.* CCXVI. WERNHARIUM COMITEM DE HABSBURG, *nominet* FRATREM; verba eius hæc sunt: *Confirmamus etiam vobis quæcunque eidem loco*, & cetera, quæ iam retulimus. Paucis utrumque expedit Adversarius, subdens: *Interpretatione hac non indigebit Bulla, si suæ integritati restituatur.*

Alius hac in re Adversarii finis.

VIII.

(a) Proleg. III. §. XXIII. pag. XXXV. Vid. etiam supra lib. I. cap. IV. pag. 33.

(b) Add. cap. XXV., mox citandum.

Frustra ab eo quæsitus.

VIII. Quod ad primum attinet, eandem Bullam & nos quidem, ut ab amanuensi quodam corruptam, laudavimus cit. lib. I. cap. XXV. num. III. quippe cum ea typis mandata fuerint, antequam hanc Adversarii emendationem legeremus. At res egregie compensatur Instrumentis aliis, ibidem laudatis, quemadmodum & P. HERRGOTTUS cit. loc. chartam FRIDERICI, Ducis Austriæ, anni MCCCCVI. in rem suam adduxit, ubi idem WERNHARIUS similiter *Comes de Habsburg* nuncupatur, ut adeo asserta nostra tuto subsistant, etsi hæc Bulla, prout emendata, iam non suffragetur. Quod ad alterum spectat, Adversarius non nihil fallitur. Enimvero cum dicto loco sermo sit de formulis loquendi, vocibusque, circa res genealogicas ambiguis, inter ceteras quoque vocem *frater* examinavit P. HERRGOTTUS, de qua cum observasset, ea non solum illos, qui eodem patre & matre nati sunt, significari, sed non nunquam fratrum filios, id est patrueles, esseque præterea honoris vocabulum, subiungit demum: *singulare tamen est illud* &c. ut num. præcedenti. *Quæ subintellecta voce*, EPISCOPI, *de* WERNHARIO *Argentinensi Episcopo interpretanda erunt.* Sive ergo citata verba, ab amanuensi omissa, adsint, sive non, observatio tamen in eo locum habet, quod probet, *fratris nomen æquivocum* esse, id quod P. HERRGOTTUS voluerat: quanquam tum, adiecta voce *episcopus*, exemplum haud amplius *singulare* fuisset, cum usu pridem receptum sit, ut summi Pontifices episcopos *fratres* appellitent.

Quin sibi ipsi obest.

IX. Ceterum non advertit, opinor, Adversarius, hac sua animadversione se ipsum multo magis, quam P. HERRGOTTUM stringi. Etenim meminisse iuvat dictorum eius cap. XII. p. 84. (a), quibus ex testamento laudati WERNHARII Ep. extundere voluit, eum iam tum an. 1027. cognomen, a castro Habsburg deductum, familiæ suæ, aut si mavis, Anonymo Murensi, quem vocat, dictasse. Vel enim per hæc Bullæ verba: *fratre nostro* WERINHARIO *Argentinensi episcopo, & eius nepote* WERNHERO, *Comite de* HABEKSBURG, cognomen Habsburgicum episcopo WERNHARIO pariter tribuitur,

(a) Vid. etiam caput nostrum XIV. *lib. I. num. VI. pag.* 130.

buitur, vel soli nepoti? Si prius illud? recte P. HERRGOTTUS etiam ex hac Bulla (nam alia quoque Instrumenta nobis suppetere, iam diximus) intulit, WERNHARIUM Ep. in chartis posterioris ævi *Comitem de Habsburg* nuncupari. Si posterius? indicium habemus manifestum, WERNHARIO, dum viveret, cognomen *Habsburgicum* nunquam fuisse inditum, adeoque nec *dictasse* aliis; quandoquidem, ex hypothesi, in hoc Instrumento solus eius nepos eo nomine salutatur: ab ipsius contra cognomine, quia scilicet nullum unquam habuit, abstinetur.

CAPUT VIII.

De OTTONE, WERNHARII II. filio, RUDOLPHI Regis Rom. atavo.

I. STemma & gradum OTTONIS II. varie demonstrans P. HERRGOTTUS, primo omnium Instrumentum anni 1145. allegat, ubi sic habetur: *ut impleatur hæc conditio, pro qua tradita est, prius in Altare S.* MARTINI *ab Comite* OTTONE, *patre* WERNHARII *Comitis de Habsburg*. Cum enim cum aliunde, tum diplomatice constet, quis sit iste WERNHARIUS, nec non & eius posteri, & in quo gradu a RUDOLPHO I. distet, facile fuit, & stemma & gradum eruere. Addidit nihilominus & alia duo Instrumenta P. HERRGOTTUS: alterum anni 1168. tom. II. num. CCXXXVIII. *ubi Gloriosissimus Comes* OTTO *de Habesburch*, & an. 1171. num. CCXLI. ubi *Illustris Comes* OTTO *de Habisburc* dicitur. Nec denique prætermisit Acta Murensia, ut apud eundem videri potest (a).

OTTONIS II. stemma & gradus, ut demonstratus fuerit a P.H.

a

II. Aliam hic rationem init Adversarius, sed tamen more solito. Negat nimirum, admisso stemmate, gradum; quem quippe non aliunde, quam ex ipsis Actis patere obtendit. Ad hæc dictum Instrumentum partem esse eorundem Actorum, non Instrumentum, demonstraturum se cap. sequenti asserit.

Contra quod frustra nititur Adv. pag. 264. & 266.

Q q De

(a) Cit. lib. II. cap. V. §. I.

De hoc & nos videbimus : de priori autem ideo nihil reponimus; quod id plus ſatis iam factum ſit (a). Omittere tamen haud debeo, quod Adverſarius inter cetera ait, patrem OTTONIS tamdiu a nobis ignorari, „ quamdiu SOLIS EIUSMODI DIPLOMATIBUS ET CHARTIS INHÆREBIMUS; id quod „ minime latebat P. HERRGOTTUM, hinc ad Acta Murenſia, „ pallio diplomatico licet ab eo obtecta, confugere coactus, „ hic ſubdit : *quandoquidem etiam quæ de* OTTONE *produnt* „ *Acta Murenſia, nec non de ipſius patre, chartis & diplomatibus adeo non repugnant, ut etiam conſonent, nihil hic* „ *obſtare videtur &c.* „ Confirmantur nempe hiſce dicta hic cap. I. oſtenditurque, Adverſarium conſtanter ea in hypotheſi verſari, ut exiſtimet, vel Actuarium, vel Genealogum, a Genealogia Diplomatica penitus excludi, omnemque genealogiæ Habsburgicæ notitiam ſolis adſcribi chartis & Inſtrumentis, eo in opere productis. At vel ex hoc ſolo, quem adducit, P. HERRGOTTI textu, intelligi poterat, id unum exigi, ut eis diplomata *conſonent* potius, quam *repugnent.* Recte autem & appoſite dicit Adverſarius, Acta Murenſia, ac præcipue Genealogum præfixum, a P. HERRGOTTO *pallio diplomatico* obtegi; qui enim toties ſe ſe proſtituit, pallio indiget, ad tegendam ſuam nuditatem, ne, qui hanc forte viderint, oculos etiam a ceteris, quæ ſana ſunt & ſuſpicienda, avertant. Sed & de his fuſius alibi. Quare nihil hic nobis ſupereſt, quam ut parerga huius capitis, quoad eius fieri poterit, brevibus expediamus.

a pag. 265.

GUILLIMANNI errorem ab Abbate TSCHUDIO caſtigatum.

III. Erroris poſtulatus fuit ab Abbate DOMINICO GUILLIMANNUS, quod WERNHERUM II. Comitem, de quo in diplomate HENRICI V., anni 1114. pro libertate Murenſis monaſterii dato, & ſæpe laudatis Actis etiam inſerto (b), mentio fit, pro WERNHERO III. venditaverit; cum tamen ex ipſis Actis liquido conſtet, ſermonem eſſe de WERNHERO II. ut id Abbas TSCHUDIUS luculenter probat.

pag. 261. b

Excuſare conatur Adv.

IV. Non omni quidem culpa carere GUILLIMANNUM, reponit Adverſarius; at eam tamen minui ex eo, quod errandi cauſ-

(a) Sup. cap. I. nec non capp. V. & VI.
(b) Extat quoque apud P. HERRGOTTUM tom. II. pag. 131.

caussam ipsa diplomatis verba præbuerint, quæ ita habent: NUNC *autem idem Comes* (WERNHARIUS) *a quo præfatum monasterium sive Abbatia hereditario iure possessa est, nutu Dei tactus & instinctus, ipsum scilicet locum Mure cum omnibus nunc inpræsentiarum collatis institutis legitimis, & pertinentiis prædiorum, mancipiorum, censorum - - - contradidit Domino Deo* &c. Ista in medium adducens Adversarius „ Quis „ amabo (subinfert) hæc legendo iudicaret, Imperatorem „ hic loqui de WERNHARIO Comite, annis iam decem & „ octo ante defuncto, & non potius de WERNHARIO NUNC, „ id est tempore dati diplomatis vivente? Vixerat autem „ non WERNHARIUS ille II. sed WERNHARIUS III. Adeo „ infallibile non semper est principium illud (videlicet P. „ HERRGOTTI (a)) *Scriptores medii ævi cum in notioni-* „ *bus chronologicis, tum in ipsis narrationibus historicis exigi,* „ *corrigique posse & debere ad fidem diplomatum, ac charta-* „ *rum Pagensium, standumque potius esse pro re diplomatica,* „ *quam scriptoribus coævis.* „ Hucusque Adversarius.

V. Cave autem credas L. B., GUILLIMANNI tuendi potius, quam elevandæ auctoritatis diplomaticæ caussa, hæc proferri ab Adversario. Patet id non solum ex mox recitato epiphonemate, atque tentato axiomate P. HERRGOTTI, sed &, quod GUILLIMANNI, quem aliunde non omni culpa vacare censet, ne verbo quidem amplius meminisse eum videas, atque demum concludere: quod nisi ex Actis Murensibus edocti fuissemus, WERNHARIUM II. iam tum anno 1096. ad plures abiisse, nemini potuisse venire in mentem, hunc potius, quam WERNHARIUM III. laudatis diplomatis verbis comprehendi.

Ut diplomata deprimeret, pag. 263.

VI. En igitur novum GERMONIUM! in cuius tamen gratiam optassem, ut assertum suum tantis firmare potuisset rationibus, quanta illud proposuit fiducia. Impugnat autem hoc suo glossemate non solum P. HERRGOTTUM, sed & eruditissimos Benedictinos Congr. S. MAURI, ut ex verbis P. HERRGOTTI, quæ allegatis præmissæ fuerunt, patet, quæ-

Atque adeo viris eruditis contraveniret;

Q q 2 que

(a) Proleg. I. §. IV.

que ſic habent: *Verum cum doctiores poſtmodum adverterent, eiusmodi ſcriptoribus* (medii ævi) *non ubique tantam ineſſe fidem, ut iis acquieſcere poſſent; ortum eſt litterarium diſſidium inter eruditiſſimos Bollandi ſocios, noſtroſque monachos Benedictinos Congregationis S.* MAURI, *in quo omnium litteratorum calculo deciſum fuit: ſcriptores medii* &c. ut mox ſuperius (a). Poſſem igitur, ſi vellem, contra Adverſarium hos viros doctos, immo univerſum cœtum litterarium appellare (quotus enim quisque iam eſt virorum doctorum, qui axioma, ab Adverſario hic impugnatum, non acceptaverit?) ſed cum haud dubie futurum foret, ut illi, rem pridem, & ſexcentis in libris deciſam eſſe, reſponderent, mihi iam ſolum relinquitur, ut, quomodo Adverſarii ſuppoſitum hic ſubſiſtat, diſquiram.

Non ſatis advertens notionem vocabuli *nunc*,

VII. Omnium igitur primo obſervandum fuerat, particulæ *nunc* duplicem ineſſe ſignificationem. Nam uſu quidem recepto *adverbium temporis* eſt, non nunquam tamen poteſtatem habet coniunctionis adverſativæ. Hoc modo uſus eſt CICERO, quando dixit: *Quæ quidem multo plura evenirent, ſi ad quietem integri iremus:* NUNC *onuſti cibo & vino,* con-

(a) Vid. etiam le *Nouveau traité de Diplomatique* ſæpe laudatorum duorum Benedict. e Congr. S. MAURI P. I. ſect. 1. cap. III. ubi hoc argumentum ſpeciatim tractatur. Iuvat inde pauca hic dare excerpta: Nous ſoutenons (diſent ils) au contraire, avec nos plus habiles critiques (citant hic in margine ſequentes: *Schannat Vindic. Archivi Fuldenſis* p. 91. *Marquard. Hergott. Geneal. diplom. Gentis Habsburg. præf.* p. III. IV. *Perez. diſſert. Eccleſ.* p. 167. *Chronicon Gottwicenſe prodrom. part. I. lib.* 2. p. 77.) que les diplomes doivent être crus préférablement à l' hiſtorien, quelque contemporain qu' il ſoit. Avons-nous tort? Qu' on en juge par l' événement. l' hiſtorien par lequel on prétendoit combatre ces diplomes, ſe trouve contredit lui-même par une ſi grande foule d' autres, qui ſpecifient le jour de la mort de Pépin, conformément aux diplomes conteſtés; qu' independémment de ces pieces, on ſeroit obligé de corriger les dates des continuateur de Fredegaire ſur celles des autres annaliſtes. Il étoit donc ſûr, de s' en tenir à l' autorité des diplomes ſeuls, préférablement au témoignage de l' hiſtorien (laudant hic verba P. HERRGOTTI Geneal. Dipl. Proleg. I. p. III. *Omnium litteratorum calculo deciſum fuit, ſcriptores medii ævi* &c. ut ſupra) C' étoit donc à juſte titre, que nous le mettions au deſſous au diplome. Voila une de plus fortes objections du P. GERNON, tournée en preuve contre lui.

confusa & turbata cernimus (a). Pulcherrima est apud LIVIUM *Tulli* HOSTILII in *Mettium* FUFFETIUM proditorem, a sententia, huc apprime faciens, quam ob sui elegantiam integram adponere liceat. *Metti* FUFFETI, inquit, *si ipse discere posses fidem ac fœdera servare; vivo tibi ea disciplina a me adhibita esset.* NUNC *quoniam tuum insanabile ingenium est, at tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quæ a te violata sunt. Ut igitur paullo ante animum inter Fidenatem, Romanamque rem, ancipitem gessisti, ita iam corpus passim distrahendum dabis* (b). Idem sensus inest recita- b tis verbis diplomatis. Referens enim, qualiter olim, id est, *tempore* CONRADI *Imperatoris* monasterium *Mure* a WERNHARIO, Strasburgensi episcopo, ædificatum fuit, inferensque, quid eidem quoque contulerit WERNHARIUS, nepos eius ex fratre, a *præterito perfecto* haud discedit, adversative subsequens: *Nunc autem*, id est, EX ADVERSO AUTEM *idem Comes, a quo præfatum monasterium, sive Abbatia, hereditario iure* POSSESSA EST &c. Evincunt præterea hunc intellectum verba, ante finem hunc in modum posita: *Hoc etiam nos ipsi Imperiali auctoritate nostra sanctimus & confirmamus.* SANCIMUS *nos ipsi*, ait, quod dicere non posset, nisi alia sanctio, de qua scilicet per totum diploma locutus fuerat, præcessisset. *Confirmat* quoque (c) ut adeo certum sit, omnia præ- c cedentia de facto præterito, non præsenti, seu, quod idem est, WERNHERO mortuo, non vivente, accipienda; adeoque particulam *nunc* adversativam esse, non adverbium temporis. Hoc si probe animadversum fuisset, nec GUILLIMANNUM errantem, nec Adversarium habuissemus defendentem.

(a) CICERO lib. I. de Divinat. c. 29. Vid. *Laurent.* VALLA Elegant. lib. I. c. II.

(b) LIVIUS lib. I. c. XXIIX.

(c) Hoc diploma confirmationem Instrumenti cuiusdam præcedentis esse, colligitur quoque ex ipso Actuario, qui pag. 30. refert, UDALRICUM Abb. ad HENRICUM Regem *Basileam* profectum fuisse, non tam, ut nova privilegia acquireret, quam ut antiqua, a WERNHARIO accepta, confirmarentur. En verba Actuarii: *Audiensque hoc Abbas* UODALRICUS, *venit illuc . . . & quicquid bone memorie* (Adversarius perperam edidit *nemorie*) WERNHARIUS *Comes; pater scilicet eiusdem Comitis* ADELBERTI, *huic loco* CONCESSIT, *& ad* WIZINGIN FIRMAVIT, *hoc coram Rege, & coram Principibus . . . declaratum ac* FIRMATUM *est.*

Nec vim axiomatis, ab Eruditis statuti,

VIII. Sed & præterea secundo loco observandum fuerat, qua ratione dicta illa regula, seu axioma, ab Eruditis statutum, ad usum redigendum sit. Suppeditasset hanc notitiam abunde P. HERRGOTTUS, insecuto dicti prolegomeni §. VI. si consultus fuisset. Ait enim: *Solent autem tria potissimum circa documenta in controversiam venire, priusquam pro* IRREFRAGABILI PROBATIONE *in rebus genealogicis admittantur.* I. *an sint genuina?* II. *quomodo interpretanda?* III. *an recte fiat applicatio documenti ad factum?* Quæ singula ibidem longius deducit, hicque cum primis locum habet observatio II. *quomodo interpretanda?* Hoc enim si rite præstitisset GUILLIMANNUS, quomodo errasset? quandoquidem interpretatio, qua, dicto loco, WERNHARIUM II. intelligi dicimus, a nemine iam, & vel nec ab ipso Adversario reprobatur. Ex adverso igitur cum erraverit GUILLIMANNUS, nemo, opinor, diplomati adscribet, sed interpreti, aut in arte parum versato, aut sibi non satis præsenti.

Quare suppositum eius vacillat.

IX. Quare haud sane cum iniuria statuimus, *suppositum* Adversarii vacillare, ut quod maxime. Quando enim diplomata præferimus scriptoribus coævis, non dicimus, ea luculentiora esse, sed certiora. Atqui hic de claritate diplomatis egit Adversarius, cum dictum axioma de certitudine procedat. Certe Adversarius ipse fateri debet, GUILLIMANNO errandi occasionem præbuisse, non argumentum diplomatis, sed verba, id est, particulam *nunc*, quæ cum hic, uti non diffiteor, non nullam obscuritatem faciat, erroris ansa fuit, non caussa. Ut ergo Adversarii observatio cohæreret, probare debuerat, in diplomate illo revera falsam contineri relationem, secus ubi vitio librarii, hominis non satis Latini, verbum obscurum loco clarioris irrepsit. Sed neque tamen tunc dici posset, argumento Adversarii multum inesse ponderis; cum enim constet, scriptores multo frequentius falsa narrare, quam diplomata, ac ut plurimum multo deprehendi obscuriores, tamdiu & in hac hypothesi hæc illis præponderent, oportet. Verbo: quantum auctoritas publica superat privatam: quanto maiorem fidem meretur testium multitudo præ paucitate: graves & spectabiles viri præ hominibus privatis:

vatis: tantum præſtat, ut de ceteris nihil nunc dicam, fide diplomatica, fide hiſtoricorum, etiam ſynchronorum.

Abbas Tschudius per incuriam notatus. pag. 267.

X. Iam patrocinium eius ſuſcipit Adverſarius, cui paullo ante non nihil contrarius erat, Abbatis Tschudii. Hunc a P. Hrrrgotto fruſtra notatum aſſerit in eo, quod in laudato diplomate Henrici V., Actis Murenſibus inſerto, loco Adelberctus *Comes de Habsburg*, legerit de Hasenburg. Concedit equidem, *in prima quidem editione Actorum Murenſium, in quibus & diploma illud continetur*, ita legi, at illud a Dominico Abbate factum eſſe, negat; cum in utraque editione eius expreſſe legatur Habsburg: quod revera ita eſſe non dubito. Nam etſi priorem editionem non viderim, tamen rem ita ſe habere animadverti in editione ſecunda, fidemque pleniſſimam etiam quoad priorem illam adhibeo Adverſario. Non ſatis igitur aſſequerer, cur Abbatem Dominicum hic tetigiſſet P. Herrgottus, niſi mihi ipſemet fundamentum præberet ſuſpicandi, eſſe lapſum memoriæ, ita ut, quod legerat in editione Eccardi (a), id inter meditandum & ſcribendum *Dominico* attribueret Tschudio. Ubi enim hunc incuſat, nominatque, expreſſe monet: *quem errorem ſuo loco corrigemus* (b). Iam ubi ad locum eum pervenit, non Tschudium ſed Eccardum appellat, dicens: „ Notat quidem Cl. Eccardus, in ipſis Actis Murenſibus „ mentionem fieri Adelberti *Comitis de Haſenburg*; at legenti „ mihi locum illum aliud nihil occurrit, quam nudum nomen „ Adelberti *Comitis*. (c) „ Potuit & Peireskium, primum huius erroris auctorem, intellexiſſe; cum enim dictum §. in margine ſic inſcripſerit: *Notantur editores Actorum Murenſium*, alios, quam hos duos, in mente habere vix potuit; præſertim cum Abbas Tschudius ſæpe laudata Acta ex integro nunquam ediderit.

XI.

(a) Loc. cit. inter probationes col. 214.

(b) Proleg. I. §. XIII. pag. VIII.

(c) Lib. II. c. V. n. V. Non alium etiam notat, quam Eccardum in lectionibus, quas ad idem diploma congeſſit, variantibus, ubi dicit: *pro voce* Habsburg *legit* Eccardus *de* Hasenburg: manifeſto indicio, eum neque alium voluiſſe, quam Eccardum.

Adalbertus II. quandonam Advocatiam Murensem inierit? pag. 268.

XI. Eodem Henrici diplomate suffultus P. Herrgottus, Adelbertum istum, seu Albertum, quem alii de Hasenburg cognominant, eo ipso anno, quo illud datum est, id est, anno 1114. Ottoni II. in Advocatia Murensi successisse, loco cit. docuit. Aliter iudicat Adversarius, videri asserens, id contra Acta pugnare Murensia; quippe quæ „ post adnotatam mortem & sepulturam Ottonis II., „ quem *in ipsius* Udalrici *Abbatis* (electi an. 1108.) *se-* „ *cundo anno* ab Hessone interfectum scribunt, immediate „ subiungunt: *cui successit in Advocatiam frater eius* Adel- „ berctus. „ Hæc ille.

Ea in re cum P. H. facimus.

XII. Nos vero cum P. Herrgotto hic facere eo minus dubitamus, quod ei aperte suffragetur sæpe laudatum diploma, immo ipsa, quæ in rei testimonium adducuntur, Acta. Verba Instrumenti, quibus Advocati munus exponitur, sunt hæc: *Hic* (Advocatus) *denique*, *Abbate petente*, *a Rege accipiat bannum legitimum*, & *ter in anno*, *si necesse fuerit . . . . placitum iustum peragat:* ex quibus facile patet, non fuisse integrum Abbati, sine Regis consensu & voluntate, Advocatum instituere, bene vero eundem designare, qui deinde, antequam munus suum obire poterat, *bannum*, id est, iurisdictionem (a) a Rege, seu Imperatore accipere tenebatur. Concordat cum diplomate Conradus noster, qui pag. 30. expresse memorat, quod Udalricus Abbas, accepto, Henricum Regem Basileam venisse, *illuc cum fratribus suis* & *eodem* Adelbercto se contulerit, quatenus nempe & hic dictam iurisdictionem Regalem obtineret. Quare, licet idem Actuarius, hunc Ottoni *in Advocatia successisse*, dicat, quia tamen tempus, quo illam legaliter adiit, haud exponit, tenendum est, adiisse primum, cum per Imperatoris voluntatem licuit, adeoque post annos a nece Ottonis II. quatuor, quo ab Imperatore, *petente*, seu *præsentante Abbate*, accepit investituram: quamvis interim negare nolim, illum prius ab eodem Abbate fuisse designatum.

Comitatus Ottonis II. ubinam

XIII. Antequam hinc discedamus, paucis adhuc attingendus est Comitatus Ottonis, quem in *Suntgovia* situm fuis-

(a) Vid. Glossar. Cangii mediæ & infim. latinitatis, hac voce.

fuiſſe, Adverſarius negat, ut vidimus, alibi (a). Qua tamen in re eundem haud multis moramur; remittimus duntaxat, ſecundum dicta capitibus hic præcedentibus (b) ad diplomata P. Herrgotti, undique conquiſita, quæ ſi illum alio in Pago *Comitivam* exercuiſſe docuerint, quam in *Suntgovia*, manus dabimus: ſecus ubi Adverſarius indulgere pergat meris coniecturis ſuis negativis, nec omni conatu ſuo oſtendere queat oppoſitum. quærendus? a b

CAPUT IX.

De Wernhero III. Rudolphi I. Rom. Reg. abavo, nec non Alberto III., eiusdem proavo.

I. Unde ſtemma & gradum patris oſtendit Herrgottus, inde etiam filium didicit Wernherum III. ex Inſtrumento videlicet, Actis Murenſibus ſuffixo, ut cap. præced. num. 1. prælibavimus. Hoc ut negaret Adverſarius, *ad oculum* ſe demonſtraturum in ſe hic recipit, fruſtra obtendi, illic haberi *formale Inſtrumentum.* Quod antequam faciat, chartam ipſam hic integram inſerere, operæ pretium erit: „ Notum omnibus ſit præſentibus & futuris, quia factus ſermo Venerabili epiſcopo Hermanno Conſtantienſi, „ & Abbate venerando Chunone preſentibus, & aliis ſpiritalibus viris tam Clericis, quam laycis; in quo decretum eſt in ipſa conſecrationis die ab ipſo epiſcopo, ut „ quandocunque Plebanus ſcilicet, Hupoldus, noviſſimum „ clauſerit diem, ſuperior capella in *Boſwil* tam firmiter „ ac ſtabiliter in poteſtate huius cœnobii ſit, ut nec ipſe, „ qui ſacerdos futurus eſt hic, nec alius omnino ullam poteſtatem habeat, ut impleatur hec conditio, pro qua tradita eſt prius in Altare S. Martini a Comite Ottone, „ patre Wernheri Comitis de Habspurg. „ Hucusque Inſtrumentum.

Recitatur Inſtrumentum, ex Actis Mur. eductum, pag. 169.

(a) P. I. cap. XII. pag. 85.
(b) V. & VI.

Non agnitum ab Adversario. Ibid. pag. 271. pag. 273.

II. Huius ergo auctoritatem ut elevaret Adversarius, haud pauca in medium attulit, quibus nomen Instrumenti abiudicet, atque adeo ostendat, *nec maioris* illud *fidei esse*, *quam cetera*, *quæ in codice Murensi stilo historico traduntur.* „ Nam ingressum quidem specimen Instrumenti referre, secus esse cum contextu; utpote qui totus narrativus sit. „ Præterea silentio prætermitti monasterium Murense, cui „ donatio facta sit. Memorari quidem Abbatem CHUNONEM, „ sed cuius monasterii, reticeri. Dici præterea: *capella in* „ *Boswil tam firmiter ac stabiliter in potestate huius cœnobii sit*, „ sed cœnobium silentio iterum involvi. Reliqua demum nimium generalia esse, nec explicari satis voluntatem donantis. „

Quod tamen restituitur,

III. Omnia ista etsi veritate nitantur, non plus tamen probant, quam Instrumentum, de quo quærimus, citato loco referri non integrum, sed truncatum, omissis scilicet omnibus iis rebus, quas Adversarius desiderat. Sed non ideo Instrumenti, quo ad eruendas veritates historicas, virtutem amisit, quin ne quidem nomen. Ingressus, ipso fatente Adversario, adest. Solemnitatem intervenisse, docet conventus Episcopi & Abbatis. Et qui fieret, ut, istis convenientibus, atque de re quapiam, ut hic factum fuisse palam est, tractantibus, nihil traderetur scripto authentico? Aut quis amabo! stilum narrativum unquam exclusit a veri nominis Instrumento? Tantundem dicendum, si Instrumentum illud non integre relatum contendit. Neque enim id vel auctoritati, vel nomini quidquam detrahit; quandoquidem ea, quæ non omisit, nihilominus adsunt: secus iudicandum foret, si constaret, librarium nonnulla immiscuisse falsa. Quot habemus diplomatum, chartarumque fragmenta? at num ideo non diplomata sunt, id est, monumenta authentica? aut si qua ab aliis truncatim, aut compendio referuntur, num ideo fidem & auctoritatem amittunt? Frustra denique dicitur, contextum Instrumenti nimis generalem esse, nec *explicari satis voluntatem donantis*; quandoquidem tam donans & donatarius, quam donatio expresse nominantur: nec voluntas donantis alia esse potest, quam Abbatis rogantis, ut scilicet ecclesia *Bozwilo* in potestate cœnobii sit. De mentione cœnobii statim dicam. IV.

IV. Verum hæc gratis omnino, ac præter debitum. Quis enim in re diplomatica tam hospes est & peregrinus, ut nesciat, omnia hic haberi, quæ ad verum Instrumentum, sub *Notitiæ* nomine cognitum, pertinent, & requiruntur? Nolo mox laudatos duumviros Benedictinos hanc in rem denuo excitare; cum eam graphice & quasi hoc ipsum, quod disceptamus, Instrumentum, ante oculos habuisset, describat Cl. DU CANGIUS in *Glossario mediæ & infimæ Latinitatis*, voce *Notitia* hunc in modum: „ *Notitiæ* aliæ ab ipsis DONATARI- „ IS interdum describebantur, ut eorum posteris notum fie- „ ret, qualiter prædia ipsis & a quibus, quibusque præsen- „ tibus testibus, essent collata: quæ quidem nudam rei gestæ „ narrationem continebant, nullis adhibitis signaculis, ac sub- „ scriptionibus, cum eas in *polyptycha* sua referre, satis esse „ ducerent - - - Atque hæ quidem NOTITIÆ vim diploma- „ tis habebant - - - Eiusmodi Notitiarum mentio post annum „ 1100. rarius occurrit. „ Omnia hic mirum in modum cum sæpe dicto Instrumento conspirant: *Notitiæ aliæ ab ipsis donatariis* interdum describebantur, atqui donatarius erat CHUNO, seu CONRADUS noster, indubitatus Actorum Murensium auctor. Is ergo cum, ut supra Lib. I. cap. XII. p. 117. & 118. retulimus, successores suos admonuerit, ut sicut & ipse fecisset, res monasterii in hoc suo codice describerent: exemplum hic præire voluit, *Notitiam* hanc inscribens *polyptycho*. *Nudam rei gestæ* NARRATIONEM *continebant:* stilum *narrativum* esse, contendit ipse Adversarius. *Nullis adhibitis signaculis ac subscriptionibus:* & hæc quoque absunt. Hinc eas loc. cit. perperam exigit Adversarius his verbis: *idque vel maxime confirmatur inde, quod ex parte Episcopi nullum authentiæ signum, factaque confirmationis testimonium ac robur adiectum habeatur.* Additur ulterius: *cum eas in polyptycha sua referre satis esse ducerent:* Codicem Murensem *polyptychon* recte dixeris; maxime post mox laudatam CHUNONIS admonitionem ad successores. Hinc quoque mentio monasterii frustra exigitur; quandoquidem in eiusmodi *polyptychis* res alienæ haud inscribebantur. Adde præterea formulam: *Notum sit*, huiusmodi *notitiis* quam frequentissime præponi solitam (a). Cum denique

Atque inter *Notitias* iure, meritoque adnumeratur.

Rr 2

(a) Vid. laudat. BENEDICT. in novo tractatu diplomat. P. I. sect. II. c. 2. p. 297.

denique id genus notitiæ *vim diplomatis* habeant, abunde etiam de auctoritate cautum esse, confido. Quanto igitur præstabilius erat Adversario, citatum Instrumentum prorsus intactum reliquisse, ne insectando unum, contraveniret multis, cumque suo damno experiretur, quantum P. HERRGOTTUS in diiudicandis veteribus Instrumentis versatus sit.

Alia obiectatio.

V. Non minus autem in gratiam Adversarii optaremus, ut aliam quoque censuram, circa notam, dicto Instrumento a P. HERRGOTTO subiectam, versantem, omisisset. Est hæc huiusmodi: HERMANNUS, inquit P. HERRGOTTUS, *fuit Episcopus Constantiensis ab anno* 1139. *obiit an.* 1165. CHUNO *seu* CONO S. BLASII *monachus, fit Abbas Murensis* 1145. *ineunte. Resignata an.* 1166. *Abbatia, obiit in* S. BLASIO *an.* 1188. 11. *vel* 12. *Novemb. Hinc est, quod monumentum istud* CIRCA *an.* 1145. *referamus; extat porro hoc ipsum in Actis Murensibus circa finem* (a). Addit hisce glossema Adversarius, iudicans, annis utriusque huius Prælati inter se collatis, dictum monumentum non circa annum 1145. potius, quam circa annum 1155. aut *multo adhuc posteriorem*, referri potuisse. Pulchra profecto & utilis observatio! Ego verbum non repono; retulisse hæc, refutasse est. Quærat Adversarius peregrinum.

Acta Mur. num fulcimentis indigeant,

VI. *Ubi Actis Murensibus* (ait P. HERRGOTTUS lib. II. cap. IV.) *correspondent monumenta coæva, non video, cur illis fides denegari debeat; quandoquidem non tam Actis ipsis, quam diplomatibus, quibus suffulciuntur, illa fides omnino habenda est.* Non accipit hanc laudem Adversarius, aut si mavis, exiguam ei fidem habet; nam „ hoc, ait, si *verum* huc-
pag. 275.
„ usque saltem voluisset Clar. auctor Diplomaticus, opus fu-
„ isset, diplomata proferre, quæ Actorum Murensium aucto-
„ ritatem superarent, atque adeo ad texendam ordinate & in-
„ confuse genealogiam sufficerent; secus non *Acta Murensia*
„ Diplomatibus, sed *Diplomata* Actis Murensibus *suffulciri*,

confe-

(a) Ex his verbis coniicio, Instrumentum istud P. HERRGOTTO, quasi illud separatim quoque extaret, submissum fuisse aut a sodalibus, aut Murensibus.

„ consequenter, non tam Diplomatibus, quam Actis ipsis „ fidem genealogicam habendam esse, ex hactenus dictis, „ quis non iudicabit? „ Hæc Adversarius interrogando.

Et qualibus?

VII. Ego vero, si generali huic interrogationi a me respondendum est, nullus dubito, responsum dare prorsus contrarium. Quantum enim integra structura columnis, quantum exercitus copiis auxiliaribus, Dominus servo, tantum præstat suffultus fulcimento. Non ergo hac animadversione clienti suo prodest Adversarius, sed obest. Quod si vero rem penitius & ex adverso intueri velimus, quis iure negare poterit, a P. HERRGOTTO diplomata prolata fuisse, auctoritatem Actorum Murensium (quatenus mendosæ genealogiæ, ut sæpe diximus, iuncta sunt) superantia? An non enim communi assensu receptum est, maiorem illis auctoritatem, fidemque maiorem inesse, quam auctoribus ut ut coævis; (a) Cum ergo laudatus Actuarius non tam claritate indiguerit, quam fide, hanc autem, ut sæpiuscule demonstravimus, P. HERRGOTTUS eidem denuo conciliaverit, diplomata afferendo aut idem dicentibus, aut suffragantibus saltem: consectarium omnino est: cognitionem quidem genealogicam, quoad non nullas progenies, Actis, fidem vero diplomatibus adscribendam esse, labentem suffulcientibus (b). Recte igitur P. HERRGOTTUS in præfatione: *Qui vero id sibi negotii datum existimaret, ut vetera diplomata, e situ & pulvere extracta, conferret, ex* HISQUE SOLIS, AUT PRÆCIPUE SALTEM EX ISTIS, *historiam de genealogia Augustæ gentis Habsburgicæ conderet; prorsus inveni neminem.* Sola enim, aut saltem præcipue, diplomata sunt, quæ fidem, atque adeo utramque in hoc opere paginam faciunt, ut ut negari non possit, nec debeat, tam Genealogum, quam Actuarium, & hunc maxime, suppeditare plurima, quæ deinde chartis & diplomatibus firmata, opus reddunt perfectum & absolutum.

Adelberti III. gradum pag. 276.

VIII. De ADELBERTO III., WERNHARII III. filio, agit Adversarius capite suo VII. ubi cum asserta TSCHUDII, ac

(a) Vid. dicta paullo superius pag. 307. seq. item 310.

(b) CICERO pro C. RABIRIO *Post.* circa finem: LABENTEM . . . FULSIT *& sustinuit re, fortunis, fide.*

ac duo Instrumenta, ab eodem, nec non a P. HERRGOTTO
pag. 282. pridem edita, per expansum retulisset, HERRGOTTUM demum arguit, illum haud probasse, quod voluit, nempe ADELBERTUM WERNHARII III. filium fuisse. Verba P. HERRGOTTI lib. II. c. IV. sunt hæc: OTTONEM II. *inter & ALBERTUM III.*, *proavum* RUDOLPHI I. *Rom. Reg.*, *titulo Habsburgici Comitis insignitus intercedit nemo in monumentis nostris circa medium seculum* XII., *nisi* WERNHERUS, *Comes Habsburgi*, *qui isto temporis intervallo frequenter recurrit*, *& qui*, *uti modo audivimus*, OTTONEM II. *Habsburgi Comitem*, *patrem habuit*, *ex quibus sequitur*, WERNHERUM, *seu* WERNHARIUM *hunc patrem* ALBERTI III. *& consequenter abavum* RUDOLPHI *Regis Rom. fuisse.* Hæc P. HERRGOTTUS inter cetera argumenta, ad probandam paternitatem WERNHARII, prolata, ex quibus tamen Adversario hoc unicum seligere placuit.

Ex solo Actuario patere, contendit Adversarius.

IX. Cum nempe diplomatice constet, ADELBERTUM hunc RUDOLPHI R. Reg. proavum fuisse, idque Adversarius iam negare nequeat; quippe quod ei obstet supra laudatum diploma *Wettingense*: saltem ex nullo alio Instrumento, quam ex Actis Murensibus doceri posse contendit, illum WERNHARIO progenitum esse. Rationem adducit hanc:
pag. 283. quod quidquid hic a P. HERRGOTTO de WERNHARIO III. dicitur, etiam de ADELBERTO II. dici queat; „ nimirum : „ WERNHERUM II. inter & WERNHERUM III. titulo Habs- „ burgici Comitis insignitus intercedit nemo . . nisi ADEL- „ BERTUS II., eiusdem WERNHERI II. filius & OTTONIS II. „ frater . . nec tamen hunc, sed fratrem eius OTTONEM II. „ patrem WERNHERI III. agnoscimus; & quare? quia licet „ duo præcitata Instrumenta, nempe OTTONIS Ep. Con- „ stantiensis circa annum 1168. & ARNOLDI Præpositi Mo- „ gunt. circa an. 1171. eius meminerint, ævum tamen haud „ expresserunt. „ Sic instat & urget hic Adversarius.

Sed perperam.

X. Sed ingens est discrimen. In exemplo namque Adversarii gratis asseritur, inter WERNHERUM II. & III. neminem, Habsburgico nomine insignitum, intercessisse, præter ADEL-

ADELBERTUM II.; cum revera & OTTO, frater eius, intercesserit. Similiter frustra omnino dicitur, ævum non exprimi. Nonne enim in Instrumento, de quo hic num. I. ad IV. egimus, quodque intra annum 1145. & 1165. emanavit, expresse habetur: *a Comite* OTTONE, *patre* WERNHERI *Comitis de Habspurg.* Quando igitur cuique notum est, filium post patrem vivere, patrem ante filium, laboriosum utique haud fuerit, patris inde dimetiri ævum, maxime cum filii ætas aliunde exputata sit. Omnia aliter se habent in argumento P. HERRGOTTI. Hic enim, cum chartæ & diplomata WERNHERO III. fratrem haud assignent, de cetero autem nemo circa hoc tempus duas lineas hucusque agnoverit, aut constituere ausus fuerit: quid consequentius, quam ADELBERTUM descendere ex WERNHERO; quandoquidem tum nemo alius in rerum natura fuit? Putant quidem nonnulli, eidem WERNHERO III. præter ADELBERTUM fuisse OTTONEM III. Episcopum Constantiensem, qui anno 1169. decesserit; in cuius vicem VIGNIERIUS filium RUDOLPHUM substituit: sed cum hæc omnia incerta sint, ac Episcopus præterea genus haud propagaverit, facile videmus, quæ sit infirmitas obiectationis. Hinc quoque P. HERRGOTTUS citatis verbis alia subiungit, ab Adversario præpostere omissa: *Si enim hæc consequentia in rebus genealogicis haud valeret, sequeretur necessario, adfecto iam seculo XII. binas gentes floruisse, eandem denominationem Habsburgicam usurpantes, vel saltem duas eiusdem gentis stirpes tunc temporis iam extitisse; quod, utpote novum & absurdum, a nullo hactenus Genealogo admissum fuit.* Ad hæc non utique hoc suo argumento ita nixus est P. HERRGOTTUS, nihil ut Actuario ea in parte deferret, quin ultro fatetur, eodem admisso, omnia clariora fieri. *Si Actorum Murensium auctoritati fidem hic arbitramur*, inquit noster, *gradus iste genealogicus maiorem adhuc claritatem adquiret; siquidem tabula Genealogiæ, Actis præfixa, asserit, quod* ITA DE THIERSTEIN, SIVE HOMBERG, GENUIT ADELBERTUM, GERTRUDEM DE MUMPELGARD, RICHENZAM DE FIERRITO. Ubi tamen cum primis notandum, quod dicitur: gradum hunc clariorem fieri, non certiorem, id quod cum iis, quæ passim disputavimus, convenit.

CA-

CAPUT X.

Reſpondetur ad Adverſarii reliqua: nimirum cap. VIII. IX. & X. ubi de RUDOLPHO, ADELBERTI III. filio, nec non de ADELBERTO IV. eiusque fratre RUDOLPHO *Taciturno*, ac RUDOLPHO, poſtea Rom. Rege.

Dicenda. I. AD ea iam loca devolvimur, ubi Adverſarius & ſtemma & gradum non ex ſolo Actuario, aut Genealogo, ſed & ex diplomatibus, liquido conſtare & probari agnoſcit. Sed neque tamen ideo ab omni cenſura abſtinet. De iis igitur breviter adhuc videndum, tum vero ultimo loco concluſio eius examinanda.

Genealogus Mur. cur & quando admittendus? pag. 293. a

II. Iam cap. præcedenti, ſeptimo ſcilicet, id æquitati tribuerat Adverſarius, ut diceret, Inſtrumentum *Wettingenſe* Actis Murenſibus, ſeu potius Genealogo, palmam præripere: quia tamen P. HERRGOTTUS eidem ſubiunxerat (a): *Quod inſuper confirmatur* (gradus ſcilicet & ſtemma ADELBERTI III.) *Actis Murenſibus, quorum hic admittimus auctoritatem binis de cauſſis, I. quod huic aſſerto memoratorum Actorum fides diplomatis modo laudati de an.* 1259. *ſuffragatur. II. quod Actorum ſcriptor, tanquam ſuppar huic ætati, reſpectu dicti gradus genealogici absque ulla difficultate audiendus.* Hæc, inquam, quia ſubiunxit P. HERRGOTTUS, incurrit cenſuram Adverſarii. „ Admittit ergo Cl. Auctor Di„ plomaticus (regerit ille) auctoritatem Murenſium Acto„ rum, ubi ea carere poſſet, quam voluit labefactatam, ubi „ ea quam maxime indigebat. „ Atenim cur illum non admittat? anne hic docet contraria, aut anachroniſmum committit? anne contra genealogiam, ac chronologiam peccat? anne obſcurus, aut incompletus eſt, ut alibi? Et nonne expreſſam huius admiſſionis rationem reddit P. HERRGOTTUS; quod

Ibid.

(a) Lib. II. cap. III. §. I.

quod eidem fides diplomatis *suffragetur*, quodque *suppar* sit? quarum quidem altera ex his rationibus non solum hic, sed & a GUNTRAMNO *Divite* ad RUDOLPHUM *Habsburgicum* usque, locum habet. Sed recidit Adversarius identidem in antiquam hypothesin, qua sibi inaniter persuasum habet, aut aliis certe persuadere voluit, P. HERRGOTTUM docuisse, aut ex illius saltem censura consectarium esse: fidem Actuario Murensi esse nullam, usum eius nullum: quod quantum distet a vero, forte ad Lectoris usque fastidium demonstravimus. Sed hæc ad finem Capitis eius septimi, ubi etiam cornu illud venatorium ALBERTI consulto omisimus, ventilatum iam occasione alia.

III. Sub initium capitis insecuti iam iterum hederam suspendit Reverendissimo Abbati TSCHUDIO. Fatetur is, de RUDOLPHO *Seniore* nullam præter eam, quam Genealogus subministrat, mentionem *reperiri* in monumentis cœnobii Murensis. Celeriter adest Adversarius, asserens, sed neque id necessarium esse. „ Si enim Genealogus ille Murensis, ait, tanquam suppar huic ætati, respectu gradus Genealogici, proxime antecedentis, iudice P. HERRGOTTO, „ absque ulla difficultate audiendus, eadem quoque circa „ subsequos gradus pollebit auctoritate. „ Admittimus hoc non inviti, si modo ostendi queat, alia quoque Instrumenta, seu documenta, eidem non solum non contradicere, sed & suffragari: quæ quidem P. HERRGOTTI altera ratio fuit; cur illum haud ulla cum difficultate ibi admitti posse diceret: secus foret, cum illa aut silerent, aut contravenirent. Præterea quis nescit? quantum dictus Genealogus quoad progeniem ultimam hallucinatus, & quam merito oscitantiæ ac ignorantiæ postulatus fuerit (a). Indiguisset ergo TSCHUDIUS vel maxime Instrumentis, non quidem ad eruendas quasdam progenies; quippe quas Genealogus, paucis exceptis omissionibus, sic satis accurate subministrat, sed ad eas firmandas, atque fide dignas reddendas; quandoquidem alias scire non poterat, an monumenta cetera contradicerent, an suffragarentur. Cum enim semel deprehensus, centies

Studium Adversarii erga Abb. TSCHUDIUM.

pag. 294.

a

(a) Vid. lib. I. cap. XXI.

ties reus: nunquid non Genealogo modo hallucinanti, modo obſcuro, modo oſcitanti, recte denegatur fides tamdiu, quamdiu nullum ei ex reliqua antiquitate ſuffragium accedit? Verum nondum habemus, quod volumus: Reverendiſſimo Abbati TSCHUDIO ad ulteriores, quo ad hanc progeniem, progreſſus faciendos, non occaſionem, aut quid ſimile defuiſſe, contendit Adverſarius, ſed voluntatem: potuiſſeque ex iisdem diplomatibus proficere, ex quibus profecit P. HERRGOTTUS, *ſi extra propoſitum divagare voluiſſet.* Ergone extra propoſitum divagatur, qui veritatem ſtatuminat, quantum poteſt maxime? Sed tamen „ reperiſſet, ait, in Chro-„ nico *MS. Ægidii* TSCHUDII . . . varia Inſtrumenta, quæ „ nomen & ſtemma RUDOLPHI noſtri commendant. Re-„ periſſet etiam in collectaneis *MS.* . . . *Auguſtini* STÖCK-„ LIN &c. Reperiſſet demum Abbas DOMINICUS famoſum „ illud . . . Inſtrumentum Wettingenſe „ &c. Nihil repono. At ſicut alibi memoriæ occurrit ovum *Chriſtophori* COLUMBI, ita nunc nodus Gordius.

pag. 295.
pag. 296.

Digreſſio eius ad notandum P HERRGOTTUM, pag. 203.

IV. De filio RUDOLPHI *Senioris*, ALBERTO, ubi egiſſet Adverſarius, memoriam quoque RUDOLPHI *Taciturni*, ALBERTI fratris, ſibi celebrandam eſſe adiicit. Quem in finem Inſtrumentum quoddam a P. HERRGOTTO velut mutuo accipit, dicens: „ Unicum iam concedat nobis Cl. Pa-„ ter, ex collectione ſua Inſtrumentum, quo memoriam „ præfati quoque RUDOLPHI, tametſi alterius lineæ ſatoris, „ celebremus; ne videlicet de hoc ALBERTI noſtri fratre... „ nimium tacuiſſe videamur. „ Prætexitur itaque digreſſionis huius cauſſa, quædam quaſi congruentia; ne dum de ALBERTO agitur, frater eius RUDOLPHUS velut intempeſtivo ſilentio prætermiſſus eſſe videatur. Sed vanus eſt prætextus. Hoc enim ſi in mente habuiſſet Adverſarius, cur in capite mox inſecuto, decimo videlicet, de RUDOLPHO agens, fratres eius ALBERTUM & HARTMANNUM totos quantos prætervehitur? aut cur ex tot inſignibus, ut ea ipſe nominat, P. HERRGOTTI Inſtrumentis illud tam ſtudioſe ſeligit, unde eidem dicam ſe ſcribere poſſe ſperabat; cum ſuppeterent plura alia? Fuit igitur vera atque genuina huius transgreſ-

ſionis

ſionis cauſſa non RUDOLPHUS *Senior*, ſed ut P. HERRGOTTUM notaret. Quod quam feliciter conſecutus fuerit, modo diſpiciendum.

V. In dicto ergo monumento apud P. HERRGOTTUM tom. II. num. CCCXXXVIII. reperiundo, prima memoria habetur alterius caſtri HABSBURG, ad lacum *Lucernenſem* ſiti, hunc in modum: *Qualiter nobilis Dominus* RUDOLFUS *ſenior, Comes de Habesburch, Landgravius Alſatiæ, collem, qui dicitur* RAMEFLU, *cum appenditiis . . .* IUDENTE, *Abbatiſſe Turicenſis . . . libere reſignavit, & iam dicta Abbatiſſa ipſum Comitem prædicto colle . . . infeodavit, ita ſcilicet, quod de caſtro, quod dicitur* NOVA HABESBURCH, *in prædicto colle conſtructo, . . . tres libras cere, ponderis Turicenſis, in vigilia ſanctorum* FELICIS & REGULÆ, *ipſi monaſterio ſæpe dictus Comes & ſui poſteri, nomine cenſus perſolvant annuatim.* Ex his verbis coniecit P. HERRGOTTUS, fundatorem novi caſtri *Habesburg* illius, quod alii antiquum putarunt, eſſe RUDOLPHUM ſeniorem. *Nos vero e charta noſtra anni* 1244. inquit, *data Id. Nov. eruimus, fundatorem eiusdem fuiſſe* RUDOLFUM, *ex linea Lauffenburgo-Habsburgica* (a). Et non nullis interiectis: *Caſtri igitur, quod dicitur* NOVA HABESBURCH, *a* RUDOLPHO, *Comite Turicenſi, Abbatiæ traditi, atque ab eodem iterum in feudum recepti, quis conditor fuerit, iam facile, ni fallor, divinari poterit.*

Novi caſtri Habsburg fundatorem eruderantem, a

VI. Non divinat hic Adverſarius, ſed dubitat tantum, num divinatio P. HERRGOTTI locum habeat, ac non potius ex citato Inſtrumento *doceamur:* caſtrum illud iam ante a quocunque demum conditum, tunc temporis ad RUDOLPHUM *iure proprietario pertinuiſſe*? Verum hæc ipſa dubitatio divinatio eſt; quandoquidem vel ipſe, qui dubitat, nihil quidquam circa hanc rem in medium afferre poteſt, quod aliquam conciliet veriſimilitudinem. Divinat ergo P. HERRGOTTUS, divinat & Adverſarius: at utrisque divinantibus, non plus emergit, quam *divinatio*, quæ ſemper & ubique incerta eſt. Quod ſi vero & mihi divinare licet,

Qui tamen rem multo melius, quam Adverſarius, tetigit. pag. 504.

 feli-

(a) Lib. I. cap. VI. §. VII.

feliciorem in sua divinatione existimaverim, quod vere dico, P. HERRGOTTUM, quam Adversarium. Ut enim ille recte observat: novi illius castri *Habesburch* possessor & Dominus RUDOLPHUS *Taciturnus*, lineæ *Lauffenburgo - Habsburgicæ* sator, extitit: id quod & ipse Adversarius quoque agnoscit, qui dictum Instrumentum, ut ad hunc RUDOLPHUM spectans, adduxit. Primam hanc fuisse Gentis *Habsburgicæ* in duas familias divisionem, apud omnes similiter constat. Nova familia, nova sedes! Familiam ergo novam cum condiderit RUDOLPHUS *Taciturnus*, quid verosimilius, quam illum novæ quoque sedis, atque adeo NOVÆ HABSBURGÆ conditorem fuisse, a quo nova Habsburgica linea incepit? Antecessores enim unicam lineam constituentes, cur id fecissent? cur castra multiplicassent gentilitia, non multiplicata Gente?

Id quod amplius firmatur. VII. Consonat huic coniecturæ, firmæ profecto & validæ, ratio temporum. Obiit enim pater ADELBERTI IV. & RUDOLPHI anno 1232. (a), post cuius mortem iidem hereditatem inter se diviserunt, testante Instrumento, apud P. HERRGOTTUM tom. II. num. CCCXI. reperiundo, ubi RUDOLPHO *Aragoviam* (quid ni & collem *Rameflu*, ibidem situm?) cessisse intelligimus. Quare intra tempus, quod ab anno 1232. quo divisio Habsburgicorum bonorum, ut diximus, facta est, ad an. 1244. effluxit, dictum castrum cum facile ædificavit, tum suam & fratris successionem attendens RUDOLPHUS, ædificandi caussam habuit talem, qualis apud antecessores nunquam obversabatur; ut inter quos inde a RADEBOTONE usque, una semper familia, atque unicus semper extitit, qui genus propagavit. Videat nunc amicus Lector, quis in divinatione sua perspicacior fuerit, Adversarius, an HERRGOTTUS? Divinatione, inquam; cum P. HERRGOTTUS, cuius textum paullo superius recitavimus, verbo *divinare* expresse utatur: cum contra Adversarius scribere non sit veritus: „ Quem vero castrum illud Habsburgi- pag. 304.
„ cum, quod respectu veteris, seu primi, a WERNHARIO
„ episcopo Argentinensi in Argovia olim fundati, novum di-
„ cebatur, conditorem habuerit, scriptorum hactenus *definivit*

(a) Gen. Dipl. lib. II. cap. II. §. VII.

„ *vit* nullus, præter P. HERRGOTTUM. „ Eſtne *divinare* idem, ac *definire*? ſed & ſi definiiſſet, quis non, excepto Adverſario, illum ſolidis nixum fuiſſe fundamentis, agnoviſſet?

VIII. Concludit Adverſarius *Vindicias* ſuas hunc in modum: „ Quo ergo ex fonte uterque (Abbatem TSCHU- „ DIUM puta & P. HERRGOTTUM) notitias ſuas Genealogi- „ cas derivarit, ex hactenus dictis neminem latere, id au- „ tem præcipue inde perſpectum haberi putamus. 1. Abba- „ tem TSCHUDIUM ex ſolis documentis Murenſibus Genea- „ logiam Habsburgicam ſolide texuiſſe, & 2. monſtraſſe „ inde, etiam ſepoſitis extraneis Inſtrumentis, a RUDOLPHO „ Imp. ad GUNTRAMNUM *Divitem*, omnia expedita fieri; „ hinc 3. non plus fidei, quam par erat, ſuo ſcriptori tri- „ buiſſe; maxime quod 4. ad hunc Genealogus Diplomati- „ cus pari fide recurrens, auctoritatem Actorum Murenſium „ æque magnam ac neceſſariam, atque adeo inconſulto prius „ impugnatam, agnoſcere cogatur. „ Concluſio Adverſarii pag. 319.

IX. Ego vero *ex hactenus dictis* totidem contraria conſequi, haud difficulter oſtendero. Nam quod ad primum attinet: putabat quidem Reverendiſſimus TSCHUDIUS, ſe copiis duntaxat ſuis rem gerere, at exercitu non nihil diligentius luſtrato, manifeſte apparuit, robur eius ex terra conductum fuiſſe aliena, *ſilva* nimirum *nigra* (a): Acta intelligo Murenſia, quæ Adverſarius alibi *documentum principale* appellare non dubitat, quorumque auctorem, ut defenderet idem, ſuas conſcripſit *Vindicias*, at de quibus dici iam queat: Refellitur. a

Sic vos non vobis mellificatis apes.

Verum neque etiam hoc in magno diſcrimine ponam. Sive enim ex *domeſticis*, ſive *alienis* documentis veritatem haurias, manum non verterim; dummodo (quod quidem Abbatem TSCHUDIUM feciſſe prætenditur) bene & ſolide fiat. At hoc opus, hic labor eſt. Quomodo enim *ſolide* ex Genealogo *mendoſo*, immo & *mendoſiſſimo?* (b) Hincque e- b

 tiam

(a) Vid. caput libri ſuperioris XII.
(b) Reper. dicta lib. I. cap. I. & III. nec non a cap. XIV. ad finem.

tiam per ſe ruit membrum concluſionis adverſæ ſecundum & tertium. Quo enim pacto omnia expedita fierent, ubi auctor ipſe impeditiſſimus eſt ? Et qua ratione non ei *plus fidei, quam par erat*, tributum fuit a TSCHUDIO ? quando Genealogus ipſe fidem variis modis proſtituit ſuam ? Aut quo demum fundamento adſtruere quis auſit, HERRGOTTUM æque ac TSCHUDIUM, *pari fide* recurriſſe ad Actuarium ? quando nec affirmanti, nec eidem neganti fides unquam data eſt ab eo,
a nisi diplomatibus ſuffragium ferentibus (a).

Suffecta in eius locum alia.

X. Hæc igitur cum ita ſe habeant, quid ſupereſt ? quam ut perorationi huic, nulla ex parte conſiſtenti, ſubſtituamus alteram, eamque haud paullo veriorem, ſtatuamusque, quod hactenus diffuſe demonſtratum eſt : Actuarium Murenſem, quatenus *mendoſo* inprimis Genealogo iunctum, ob proſtitutam non ſemel fidem, ad condendam, maxime vero ſtabiliendam Genealogiam Habsburgicam, haud ſufficere: eſſe contra ingentis pretii & uſus, fide illa, ope diplomatum, reſtituta. Quare tantum abeſt, ut eum P. HERRGOTTUS *inconſulto oppugnaverit*, ut potius, dicendo, quod res eſt, viris cordatis inſignem probaverit animi candorem: tum vero tot egregia producendo diplomata & chartas, teſtes omni exceptione maiores, cum genealogiam Principum Habsburgicorum, tum opus ſuum, ringentibus licet æmulis, conſecraverit ad æternitatem.

Ratio appendicis ſubſequentis.

XI. Ohe ! concluſimus, nec tamen ad finem pertigimus. Adverſarius etenim quanquam & ipſe operi ſuo ultimam appoſuiſſe manum iam videretur, tabulam ſubiungit Genealogicam, a nobis hic ſupra pag. 242. etiam productam,
pag. 320. hoc ei præponens rubrum : TABELLA GENEALOGICA ABBATIS TSCHUDII ET P. HERRGOTTI, *Maiores Auguſtæ Domus Habsburgo-Auſtriacæ a* GUNTRAMNO *Divite, usque ad* RUDOLPHUM I. *Reg. Rom. lineæ rectæ continua ſerie deductos, exhibens, conformis utrinque Actis & documentis monaſterii Murenſis.* Nemo non videt, quo hæc comparatio tendat ; ut igitur diſcrimen inter TSCHUDII & HERRGOTTI labores aliquo

(a) Revolv. dicta cit. lib. I. cap. XX. num. III. & toto hoc lib. II.

aliquo modo pateat, tabulas eiusdem Gentis Genealogicas Lectoris benevoli oculis hic ſubiiciam, ex libris eiusdem II. III. IV. & V. concinnatas, adiunctis ubique probationibus, compendio redditis. Quo quidem conſilio apud eos præterea gratiam initurum me ſpero, quibus voluminoſum P. Herrgotti opus percurrendi aut otium deeſt, aut occaſio. Ceterum, ut operarum compendium faciam, *Genealogiam Diplomaticam* litteris G. & D. citabo, *Anonymum Denudatum* (nam & hunc adducere iuvabit; utpote, in quem multa ex eadem Genealogia translata fuerunt, nonnulla etiam enucleatius oſtenſa) litteris A. & D. ac denique Actuarium ſignis C. S. B. id eſt Conradus *San-Blaſianus*. Hoc enim capite libri I. duodecimo abunde oſtenſum fuiſſe, ſperare me per litteras iubet (a) magnus ille Lotharingiæ Polyhiſtor, noſtrique Ordinis decus eximium, Reverendiſſimus *Remigius* Ceillierius, Prælatus *Flaviniacenſis*, cui priores opellæ meæ plagulas, vix ubi prelum reliquerant, ut Patrono & Moecenati ſummo, ſpeciminis loco & ut, ſi res integra foret, de eodem in præſtantiſſimo atque utiliſſimo eius opere mentio fieret, miſeram. Cum denique hæc genealogica ſeries a Cl. Schoepflino in eximio opere, *Alſatia Illuſtrata* inſcripto, non uno loco confirmata, atque non parum illuſtrata fuerit: viſum eſt, & ea quoque hic uti, atque per litteras A. I. indigitare.

(a) En tibi epiſtolam: „ Ad umbilicum pene iam erat vigeſimus ſecun„ dus Bibliothecæ meæ tomus, atque ad an. 1154. perductus, cum „ tuas accepi litteras, primumque Anonymi Murenſis denudati li„ brum. Ne in mora tibi eſſem, ſtatim duodecimum eiusdem libri „ caput perlegi, Conradumque *San-Blaſianum*, Murenſium authorem „ eſſe Actorum, nitidis, ſolidisque argumentis a te probari, facillime „ comperi. Lubenti itaque animo Conradi cauſſam in præfato vo„ lumine pertractabo, ubi primum Acta Murenſia, tua benignitate „ ad me pervenerint. De iis namque facienda mihi erit mentio, at„ que exinde erunt eruenda, quæ ad res eccleſiaſticas, propoſitum„ que meum, pertinebunt. „



APPENDIX I.

Stemma Habsburgicum exhibens, adiectis brevibus ubique probationibus.

TABULA PRIMA.

Schema Genealogicum sistens, ab ETHICONE, Duce Alsatiæ, usque ad MAXIMILIANUM I. Imp.

Apex ETICHO. Dux Alsatiæ (alii Ducem Alemanniæ constituerunt A. D. p. 263. not. b.) nat. circa an. DCXXVI. A. I. p. 755. §. XXXI. †. circa an. DCXC. ibid. p. 756. §. XXXV. Uxor BEREHSINDA, matertera S. LEODEGARII ep. † nono post maritum die. Ibid. p. 761. §. XLIV.

Vita S. ODILIÆ apud MABILLONIUM: *Temporibus* HILDRICI *Imperatoris* (Regis) *erat quidam Dux illustris, nomine* ADALRICUS, *qui etiam alio nomine* EDICHIN *dicebatur... huius ergo thalamis venerabilis coniux adhærebat, ex nobilissimis progenitoribus orta, nomine* BERESHINDA . . . *adfinitate* S. LEODEGARII *redimita, soror beatissimæ* SIGRANDÆ, *matris ipsius sanctissimi* LEODEGARII. G. D. p. 196.

Progenies prima 1. ETICHO II. Dux, Sator *Eberhardigenarum*, cuius posteritas in A. I. quærenda. Eiusdem tabula genealogica, ad mentem aliorum confecta, reperitur G. D. p. 197.

2. ADELBERTUS Dux Alsatiæ. Hunc ETICHONI, seu ADALRICO, secundo loco genitum putarunt hactenus Eruditi, emendati in A. I. p. 766. §. LIV. Res in medio relinquitur G. D. lib. II. p. 196. §. IV. † inter an. DCCXX. & DCCXXIII. ibid. p. 768. §. LVIII. Uxores: GERLINDIS & BATILDIS seu BACHILDIS, teste biographo S. ATTALÆ, apud MABILLONIUM vet. Analect. tom. III. p. 234.

3. ANO-

3. Anonymus, a patre occiſus. Vit. S. Odiliæ apud Mabillon. in Actis SS. O. S. Bened. item apud Pistorium & Vignierium.

4. S. Odilia, Abbatiſſa Hohenburgenſis † circa annum 720. Ead. vit.

5. Hugo I. Comes, obiit ante patrem, ſator *Hugonidarum*, de quibus plura ſcire volenti, A. I. adeat, ſuademus.

Pistorianus vitæ S. Odiliæ ſcriptor coævus: *Venerunt ad exequias parentum* Ethico *Dux* & Adelbertus *Dux pariter*, Ethiconis & Beruswindæ *glorioſiſſima progenies.* Et paullo poſt: *Præfatos Duces ita Domino ſubiugavit* (Odilia) *ut non tantum illi bona ſua fundandis monaſteriis impenderent, ſed illius nepotes, tam* Ethiconis, *cuius filii fuerunt, epiſcopus Argent. æquivocus,* & Albericus *Comes, quam* Adalberti *liberi*, Eberhardus *ſcilicet* & Luitfridus, *ſed etiam* Hugonis, *qui ante parentes ſuos defunctus erat, largiter monaſteria dotaverint & conſtruxerint.* Diploma apud Lazium de migrat. gent. lib. VIII. ſic inſcribitur: Attico *Duci*, & Adalberto *Comiti*, *ceteriſque fiſci exactoribus.* G. D. l. c. A. I. p. 762. Ex Adelberto nati ſunt:

1. LUITFRIDUS II. Dux Alſatiæ an. 720. † circa 750. Hoc nomine II. ab Eccardo, Herrgotto & aliis, ex ſuppoſito, quod Leudefridus quidam, Dux Alemanniæ, Ethiconem in linea recta præceſſerit, dictus: Primum contra hoc nomine appellat Cl. Schoepflinus, ſyſtema aut *Leudeſianum*, aut *Leutherianum*, quæ Eruditis tantum hactenus negotium fecerunt, haud acceptans, quod & quoad ſubſequentes *Luitfridigenas* notandum. * Progenies II.

2. Eberhardus Comes, fundator Abbatiæ Murbacenſis. † circa 747. Ux. Emeltrudis. His filius erat N. ante patrem defunctus.

Tt 3. Eu-

* Eadem mens P. Herrgotto quoque fuit. Nam etſi, in numerando, Vignierium & Eccardum ſecutus fuerit, alibi tamen pag. nempe 185. §. I. opportune monet, quod, cum in Ethicone lineam rectam clauſurus ſit, Luitfridus VI. ſecundum ſuum ipſius calculum, ordine *Quintus* cenſendus ſit. Porro hoc quoque notandum: ſi Luitfridus III. & IV., ut ſtatim monebimus, in unum contrahendi ſunt, Luitfridus hic VI. revera IV. nominandus erit.

3. EUGENIA, Abbatiſſa Hohenburg. an. 723.
4. ATTALA, Abbatiſſa S. STEPHANI Argent. circa 718.
5. Poſt hanc in A. I. collocatur MASO, fundator MASONIS monaſterii.
6. GUNDELINDIS, Abbatiſſa Inf. monaſterii Hohenaug.
7. LUITGARDIS & SAVINA ex 2. matrimonio.

Probationes deſumuntnr ex chartis & traditionibus Honaugienſibus apud Cl. MABILLONIUM Annal. Benedict. tom. II. p. 695. & apud ECCARDUM in Probat. num. VI. col. 100. ſeq. ubi inter alia: *Cœnobio, quod dicitur Hohenaugia, in honore S.* MICHAELIS *ſuper fluvium Rhenum conſtructo*, LUITFRIDUS & EBERHARDUS donant, *quantumcunque genitor illorum*, ADALBERTUS *Dux*, ipſis *moriens dereliquerat.* Data eſt charta *in monaſterio, quod dicitur Hohenaug*, III. *Id. Decembr.* an. III. THEODORICI *Regis*, h. e. anno Chriſti 722. *Signum* LUTFRIDI *Ducis*, *qui conſenſit.* S. EBERHARDUS &c. Eidem Inſtrumento ſubſcribit EUGENIA, ſoror eorum: *S. Ego* EUGENIA, *ac ſi indigna Abbatiſſa, que conſenſi.*

Diploma LUDOVICI *Pii* Imp. an. DCCCXXIII. apud LAGUILLE Hiſtoire d' Alſace Probat. pag. 15. *Præcipimus, ut Abbatiam, in parte Vogaſi a quondam Principe Viro nobili* MASONE, *unde etiam nomen traxit*, *quod vocatur vallis* MASONIS, *fratre videlicet Ducis* LUITFRIDI, & EBERHARDI, *qui* MORBACH *conſtruxit.* Huic filium fuiſſe, qui in *Olrunna*, ſeu *Tolra* fluvio, interiit, teſtatur Topologus *Novientenſis.* THEODORICUS IV. in diplomate anni DCCXXVII. regni ſui VII. Abbatiæ Murbacenſi dato, monaſterium *in loco, qui dicitur Vivarius peregrinorum*, *noſtris temporibus in alodo fidele noſtro* EBORHARDO *Comite*, conſtitutum fuiſſe tradit. Præterea ipſe EBERHARDUS in charta dotationis, data anno THEODORICI IV. octavo, ſic loquitur: *Ego* EBERHARDUS *filius* ADALBERTI, *quondam Ducis, ante hos annos cum Germano meo* LEUDOFREUDO *Duce*, & *coniuge mea*, EMELTRUDE, *in re mea propria, in loco, qui dicitur Maurobaccus . . . a novo meo opere . . . monaſterium edificavi . . . Nunc autem Salvator . . . me in corpore viſitare dignatus eſt*, & *fallax*, *temporaleque lumen ſub-*

ſubtraxit . . . eciam ſua providentia . . . ex proprio corpore legitimum heredem, qui mihi ſucceſſor exiſteret, ſimiliter ſubtraxit &c. A. I. p. 777. Reliquorum ſtemma deducitur ex Biologo vitæ S. ATTALÆ apud MABILLON. Veter. Analect. tom. III. p. 234. & apud ECCARD. Orig. Habsb. col. 97. &c. De ATTALA quoque in Diplomate LOTHARII G. D. tom. II. num. L. dicitur: ADALBERTUS *fundato a ſe monaſterio* (S. STEPHANI Argent.) ATTALAM *ſanctiſſimam Virginem præſidere ordinaſſe.* G. D. l. c. pag. 195. A. I. p. 768. §. XL. ſeqq. p. 777. §. LXXV. LUITFRIDO II. hi adſcribuntur liberi:

1. THIETBALDUS, THEODEBALDUS, ſeu THEOBALDUS, Dux Alemaniæ. Progenies III.
2. LUITFRIDUS III. Comes † circa 800.

THEODEBALDUM ad *Luitfridigenas* ſpectare, negatur in A. I. ECCARDUS LANTFRIDUM, Alemaniæ Ducem, cum LUITFRIDO, Alſatiæ Duce, confudit, atque adeo & THEOBALDUM immiſcuit. vid. A. I. p. 769. ſeq. Hunc ipſum ſtemmati *Ethiconeo* inſeruit P. H. at fide laudati ECCARDI. LUITFRIDUM contra III. ex ADELBERTO prognatum, probatur I. ex nomine LUITFRIDI, inter poſteros eiusdem valde frequenti. II. Ex bonis, quæ LUITFRIDUS iſte, eiusque liberi, in Alſatia poſſedere. III. Huius LUITFRIDI neptis ERMENGARDIS a THEGANO cap. XXVIII. *de ſtirpe Ducis* EDITH, ſeu, ut alibi obſervavi, EDIC ſcribitur, ipſeque LOTHARIUS Imp. in diplomate pro Abbatia S. STEPHANI Argentinenſis de anno DCCCXLV. (a) ADELBERTUM *Ducem parentelæ* (coniugis) *ſuæ progenitorem* vocat; unde conſequitur, LUITFRIDUM hunc III., cuius neptis fuit ERMENGARDIS iſta, ab ETHICONE per ADELBERTUM, eius filium, deſcendiſſe. A. I. p. 778. G. D. tom. I. p. 192. Sequitur ex LUITFRIDO III.

LUITFRIDUS IV. Comes. Progenies IV.

Diploma LOTHARII Regis apud VIGNIERIUM inter prob. p. 77. *dat. Id. Octobris, anno, Christo propitio, regni Domini*

(a) Apud LAGUILLE Hiſt. Alſ. inter probat. p. 4. G. D. tom. II. n. L. &c.

mini LOTHARII *Regis IV. Indictione VII.* (id eſt anno 859.) *Actum Strasburg, palatio Regio in Dei nomine*, in quo regia auctoritate confirmatur: *Quidquid a* LUTARDO *Comite & HUGONE fratre conceſſum eſt eccleſiæ, quæ dicitur Belmont, ex bonis, quæ habebant tam in manſis, quam in hominibus dicto loco, & quæ iure hæreditario ad eos, per obitum* LUITFRIDI *Comitis*, EORUM PARENTIS, *perveniſſe dignoſcuntur.* G. D. p. 188. In A. I. p. 778. §. LXXXVIII. LUITFRIDUS III. & IV. in unum coaleſcunt. Uxorem eius HILTRUDEM prodit CHESNIUS apud laud. VIGNIERIUM p. 78. Eorum liberi ſunt:

Progenies V.

1. LEUTARDUS Comes † circa 830. Ux. GRIMILDIS.
2. HUGO Comes † 837. teſtibus Annalibus *Bertinianis* & *Fuldenſibus.* Ux. BAVA.
3. RUADRUT, Abbatiſſa S. STEPHANI Argentorati 845. ad 871.

Pro LEUTARDO & HUGONE facit mox laudatum LOTHARII diploma. GRIMILDEM prodit charta fundationis *Pultarienſis* ac *Vizeliacenſis* monaſteriorum circa an. DCCCLX. a filio eorum GERHARDO factæ, qui dignam *honorificentiam genitoribus atque parentibus, id eſt*, LEUTARDI & GRIMILDIS, ſe rependere ait. In *Hugonis Pictaviani Hiſtoria Vizeliacenſis* abbatiæ apud DACHERIUM Spicileg. tom. III. p. 446. Novæ edit. tom. II. p. 498. ex A. I. p. 779. G. D. c. XVI.

BAVAM eadem charta prodit; pergit enim: *atque gratioſiſſimorum* HUGONIS & BAVÆ, *amabilibusque filiis & filiabus ipſorum, ſive, qui iam dormierunt in Domino, ſive qui adhuc vivunt, conſanguinitate, affinitate & propinquitate etiam nobis iunctis, id eſt* LEUFREDI & ADALARDI *Comitum præclariſſimorum, ut pro eis interceſſio & aſſidua deprecatio fieret & peccatorum eorum acquireretur propitiatio.* „ Verba „ hæc: *affinitate iuncti*, aut improprie poſita (ait Cl. SCHOEPFLINUS) aut ſane probant, GERHARDUM *de Roſſilione*, PIPINI *Aquitanici Regis generum* (qui alias LEUTARDI filius „ conſtituitur. vid. A. I. p. 779.) *fuiſſe.* „ A. I. p. 780. §. LXXXI. & *not.* (x) G. D. p. 187. n. IV. Huic GERARDO, cuius hiſtoriam CHESNIUS in Hiſt. Burgund. lib. II. c. LIII. fuſe

ſuſe proſequitur, uxor BERTHA tribuitur in Chronico *Vizeliacenſi* apud LABB. *Biblioth. noviſſ. Mſc. tom. I. p.* 394. Ambos an. DCCCLXIV. ſuperſtites fuiſſe, legitur in Annal. *Bertinianis.* Epitaphium eorum in Abbatia *Vizeliacenſi*, nec non EVÆ & THEODORICI liberorum, legiſſe ſe, teſtatur VIGNIERIUS probat. p. 91. A. I. p. 779. §. LXXIX.

RUADRUT Abbatiſſa monaſterii S. STEPHANI Argentinenſis, ab an. DCCCXLV. ad DCCCLXXI. Imperatori LOTHARIO in diplomate, mox citando, cognata audit (a), quia uxoris ſuæ amita erat. Ibid. §. LXXVIII. Circa hæc tempora vixiſſe creduntur:

OTPERTUS, eiusque nepos RAMPERTUS, in linea duntaxat collaterali collocandi. A. D. p. 262. Charta *Trutpertina*, de qua ibid p. 259. ſeqq. *Quidquid per kartam traditionis donatum fuit ab anteceſſoribus meis*, OTPERTO *videlicet*, *qui inductor fuit pretioſiſſimi prædicti Martyris* (TRUTPERTI) *&* RAMPERTO, *cæteriſque fidelibus* &c. In Actis quoque *Trutpertinis*, ex codice San-Gallenſi, perhibetur: RAMPERTUM *nomine ac nepotem* OTPERTI, *Divina admonitione compunctum,*

(a) Quæ hic ceteris RUADRUT, ſeu RUODRUT, MABILLONIO autem RUOTBADA audit, BASILLAM vocandam eſſe pag. 779. not. (w) monet laudat. Cl. SCHOEPFLINUS, cauſſam allegans, quod in paullo ante citato diplomate LOTHARII an. DCCCXLV. nomen eius a falſario corruptum fuerit, ut in quo *veſtigia deleta vocis* BASILLA *non effugiant aciem lectoris ſagacis.* At ego ſuſpicor, eſſe unum idemque nomen; adeoque excuſandum, qui alterum alteri ſubſtituit. Argumentum deſumo ex voce antiqua TRUTHIN, DROTTIN, DRUTHIN, Dominum denotante. Docet id Cl. WACHTERUS ex Gloſſario KERONIS. Sic in hymno antiquo *Francico* apud *Io. Georg. ab* ECKHARD, *Franc. Orient. tom. II. p.* 948. hunc verſum lego: *Dicamus laudes Domino*, CHUUEDEM LOP TRUTHINE: Quod ſi ergo *druthin* Dominum: RUADRUT facile dominam aut reginam, quod cum Græco vocabulo BASILLA coincidit, ſignificat. Adſimile exemplum protulit idem ECKHARDUS, ſeu ECCARDUS, Origg. Habsb. col. 24. de ſupra laudata EUGENIA, Abbatiſſa Hohenburg. „ EUGENIÆ nomen Græcum, inquit, cum „ *nobilis generis* fœminam indicet, & inſuetum tunc fuerit, liberis „ Græca nomina indere, hinc crediderim, revera eam ADELHEIDEM „ dictam fuiſſe. Nam *adel* eſt *nobilis* & *heid* veteribus *genus* denotat; „ ut adeo propriiſſime per EUGENIÆ nomen a Scriptoribus monachis exprimi potuerit. „ Ex his exemplis alterum alteri lucem fœneratur.

punctam, diruta construere, inculta colere, destructa restaurare, atque in diversa discerpta coadunare, pleno cœpisse conamine. Ibidem, non nullis interiectis, tempus & ordo translationis S. TRUTPERTI sequentibus verbis refertur: *Sacratissimum Christi Martyris corpusculum, devotissimo conveniente Clero, iterum prolatum e tumulo, iterumque ab episcopo præfato, quam etiam a* RAMPERTO, *ceterisque quam plurimis, visum . . . in latiore parte nuper constructæ ecclesiæ, dignissima Christi percelebrata laude, depositio piissimi Martyris, anno secundo* LUDOVICO *regnante* (id est an. 835.) IV. *Kal. Maias est peracta.* G. D. c. XII. & XIII.

Sequitur ex HUGONE I. alias, sicubi inter cetera *Eberhardigenarum* quoque ratio habetur, III.

Progenies VI.
1. LUITFRIDUS V. (in A. I. III.) Comes. † 864.
2. ADALARDUS Comes. † circa an. 876.
3. HUGO † puer.
4. ERMENGARDIS, uxor LOTHAR. I. Imp.

Rationes huius progeniei sequentes redduntur: I. quod hi bini: LUITFRIDUS nempe V. & IV. hoc nomine, synonimi fuerint, & contemporanei; II. quod easdem incoluerint regiones, eisdemque possessionibus & latifundiis gavisi sint. Sed & diplomata suffragantur: LOTHARIUS *in diplomate* (a) dato *XIV. Kal. April. anno regni sui XI. Indictione XIV. in Arlegia palatio regio* (id est an. 866.) HUGONIS II. parentem LUITFRIDUM nominat. HUGO, inquit, *Comes Illustris, avunculi nostri* LUITFRIDI *filius.* Quoniam igitur ex sæpe laudato *privilegio Trutpertino* (ubi siquidem LUITFRIDUS de monasterio S. TRUTPERTI dicit: *quod ego a fratre meo* HUGONE *in partem hereditariam possedi*) constat, LUITFRIDUM VI. istius HUGONIS fratrem fuisse: cumque ex diplomate CAROLI *Crassi* (b) de anno 884. nec non ex diplomate CONRADI Imp. an. 977. G. D. tom. II. n. CXXXII. exploratum sit, LUITFRIDO VI. eiusque filiis, advocatiam monasterii *Grandis Vallis* obvenisse

(a) Extat ap. DACHER Spicileg. tom. VII. p. 186.
(b) Apud ECCARD. in probat. cap. XVI.. num. 2. col. 139.

niſſe poſt mortem fratris HUGONIS II. filii LUITFRIDI V. quam ipſe, teſtante id diplomate LOTHARII, an. 866. tenuerat: ſequitur, ut hic noſter ex LUITFRIDO V. natus fuerit; cum aliunde certum ſit, Advocatias non ad alios, quam deſcendentes ex linea recta tranſiiſſe. In alio diplomate, dato an. 850. loc. cit. num. LII. LUITFRIDUS noſter *Illuſtris Comes*, *Dominusque monaſterii Grand-Vallenſes* a LOTHARIO Imp. affine ſuo vocatur, ſimulque confirmationem omnium iurium impetrat. De eo mentionem quoque faciunt Annales *Bertiniani* ad an. 862. G. D. p. 186. A. I. p. 781. §. LXXXIII.

ADALARDUM charta *Pultarienſis* & *Vizeliacenſis*, quam pro LEUTARDO & HUGONE, nec non pro BAVA, eius uxore, laudavimus, indicat, eiusdemque mentionem faciunt Annales *Bertiniani* ad an. 873. & 76.

HUGO puer ex diplomate LOTHARII Imp. an. DCCCXXXV. dato (a), innoteſcit, quo curtem *Lim ntam* Eccleſiæ S. AMBROSII donavit; *inſtinctu*, inquit, *dilectæ coniugis noſtræ* HIRMINGARDIS, *occaſione actuata ex dilectione* FRATRIS SUI, *puerili elegantia delati*, HUGONIS *nomine; pro remedio eiusdem pueri . . . . ut eiusdem Eccleſiæ gubernantes attentius prædicti pueri exorent veniam.* a

ERMENGARDEM, ſeu HIRMINGARDEM *de ſtirpe Ducis* EDIC fuiſſe, teſtatur, ut iam diximus, THEGANUS. Cum ergo eandem LOTHARIUS Imp., in diplomate mox citato, vocet *coniugem ſuam*, ac in alio diplomate, paullo ſuperius laudato, LEUTFRIDUM V. Comitem Alſatiæ, HUGONIS & BAVÆ filium, *avunculum ſuum* nuncupet; gradus iſte & genus in aprico eſt. Add. & aliud diploma, ſupra pro LUITPRIDO III. laudatum, ubi idem LOTHARIUS ADELBERTUM Ducem *parentelæ*, id eſt, coniugis ſuæ, *progenitorem*, & BASILLAM Abbatiſſam *cognatam ſuam* nuncupat. G. D. l. c. A. I. p. 780. Hiſce ibidem ADELHAYDIS quoque additur, nupta primum CONRADO *Antiſſiodorenſi* Comiti. 2. ROBERTO *Forti*,

(a) Ap. UGHELL. *Ital. Sacra* tom. IV. p. 80. edit. II.

ti, Andegavenſium Duci, *Capetingorum* ſatori. LUITFRIDO V. ortum debet:

Progen. VII. 1. HUGO II. alias IV. Comes. 866. † circa 880. improlis.

2. LUITFRIDUS VI. Comes. 884. Advocatus *Trutpertinus* 903. † circa 911.

Confirmationem privilegiorum monaſterii *Grand-Vallenſis* HUGO iſte obtinet anno DCCCLXVI. uti diſcimus ex diplomate LOTHARII *conſobrini ſui*, ſupra laudato, ubi inter cetera ſic loquitur: *Quia* HUGO *Comes illuſtris*, *avunculi noſtri* LUITFRIDI *filius, deprecatus eſſet manſuetudinem noſtram* &c. De illo etiam mentio habetur in Annal. *Bertinianis* ad an. 869. & Continuatore AIMOINI ad an. DCCCLXVIII. Eidem tam in *Grand-Vallenſi*, quam *Trutpertina* Advocatia ſucceſſit frater, LUITFRIDUS VI. aliis IV. hoc nomine. Prius patet ex diplomate CAROLI *Craſsi* Imp. an. DCCCLXXXIV. a (a), qui *rogatu Lutfredi Comitis præceptum* (LOTHARII Imp.) ſua auctoritate confirmavit. Secundum manifeſtum fit ex ſæpe laudato *privilegio Trutpertino*, cuius contextum dedimus in A. D. p. 253. G. D. cap. X. A. I. p. 782. HUGONEM improlem obiiſſe, evincitur ex laudata charta Trutpertina, ut in qua LUITFRIDUS fatetur, ſe Abbatiam S. TRUTPERTI a fratre ſuo HUGONE in partem hereditariam poſſidere. Improlis ergo deceſſit. At ex LUITFRIDO nati ſunt:

Progen. VIII. 1. HUNFRIDUS Comes in Nortgovia. 903.

2. LUITFRIDUS VII. Comes in Suntgovia. 912. 925.

3. HUGO III. alias V. Comes in Egisheim 903.

In eadem charta *Trutpertina* LUITFRIDUS VI *Hæc ego donavi*, inquit, *de parte mea. Sed & filii mei præfati . . . ad ipſum locum dederunt ;* HUNFRIDUS *videlicet*, *qui maior eſt in illis natu*, *in* NORGAUWE *unam curtim*, *que dicitur Kunigishova*, LUITFRIDUS *in* SUNGAWA *in Schowinsheim*, HUGO *in* EGINSHEIM. G. D. cap. X. & XI.

Stirpem ab his propagatam fuiſſe, contra ECCARDUM oſtendit P. HERRGOTTUS, id quod ex charta *Grand-Vallenſi* apud

(a) Ap. DACHERIUM *Spicileg.* tom. III. p. 365. Laudavimus illud quoque paullo ſupra ex ECCARDO.

apud eundem tom. II. p. 77. & DACHERIUM Spicil. tom. III. p. 375. de an. DCCCLVII. aut potius LXVII. ut Cl. SCHOEPFLINUS p. 782. lit. marg. (*b*) observat, dato; ubi legitur: *posteritatem* LUITFRIDI VII. *crescendo multiplicatam fuisse.* Is genuit, LUITFRIDUM VIII. de quo mentio fit in diplomate OTTONIS III. dato Paterniacensibus apud eund. tom. II. n. 142. itemque an. DCCCCXCVII. & DCCCCXCIX. in A. I. p. 783. Ex HUNFRIDO autem descendit

GUNTRAMNUS, cognomento *Dives.* G. D. l. c. cap. IX. A. D. p. 179. 263. ad 280. † post an. 973. Ibid. p. 279. Eiusdem filius erat Progenies IX.

LANCELINUS, KANZELINUS, seu LANTHOLDUS. C. S. B. p. 5. *Rogaverunt* KANZELINUM *Comitem de Altenburg* (a) *filium* GUNTRAMNI *Divitis.* A. D. lib. II. cap. V. † circa 990. Ibid. p. 292. Ux. eidem LUIDGARDEM, EBER- Progenies X. a

(a) Quomodo hoc accipiendum, disquiritur hic lib. I. cap. XXV. p. 211. nec non, occasione oblata, p. 280. Hic porro coniecturam, velut per lancem saturam, subnectere liceat, qua nominis *Altenburgi Comitis* originem verosimiliorem aliquo modo colligi posse, confido. Puto nimirum, nomen Comitis de *Altenburg*, de quo in CONRADO nostro legitur, non ab illo *Altenburgo Argovia*, in quo Comitem quendam aliquando ius dixisse nullo idoneo argumento demonstrari posse, alias diximus; sed ab *Altenburgo Cleggovia*, pago *Turgovia* contiguo, ac non longe a monasterio *Rhinoviensi*, cuius iurisdictioni locus hodieque subiectus est, sito, derivandum esse. Hoc ut coniiciam, in caussa sunt, non tam veteris arcis ruinæ, quam quod revera olim Comites *Cleggovia* ibi ius dicere consueverint. Eius rei vestigium habemus in subscriptione Instrumenti cuiusdam an. 892. apud laudatum iam semel R. P. MUOSIUM pag. 22. ubi legimus: *Actum in pago Clegowe, in villa* ALTENBURG, CORAM GOZBERTO *Comite, anno V. Regis* ARNULFI. Munus igitur Comitis GOZBERTUS *Altenburgi*, quamvis forte iam tum Abbas Rhinoviensis esset, exercuit; ut patet ex alia charta, eodem anno condita, apud eundem loc. cit. *Ego itaque* GOZPRECHT *trado hereditatem meam pro remedio anima mea & parentum meorum. ad monasterium, quod Rinowa nominatur . . . ubi ego ipse, licet indignus Abbas, gregi Dei praesse videor* &c. &c. *Anno Dominica incarnationis DCCCXCII. Regis Arnolfi V.* Etsi porro LANTOLDUS, seu LANCELINUS in *Turgovia*, *Cleggovia* vicina, potius, quam in ipsa *Cleggovia Comitivam* exercuisse dicatur, facile tamen utrumque Comitatum, aut unum post alterum obtinuit; cui rei argumentum præbet, quod filius eius RADEBOTO in eodem pago *Cleggovia* Comes fuisse scribatur.

HARDI cuiusdam filiam, attribuunt. Ex eo prognati ſunt:

Progenies XI. 1. RADEBOTO, Comes in pago *Cleggoviæ* 1023. † 1027. aut paullo ſerius. A. D. p. 298. Ux. ITA Lotharingica, ut traditur, † 1026. aut paullo ſerius. Ibid.
2. WERNHERUS I. epiſc. Argentin. † 1029. A. D. p. 230.
3. RUDOLPHUS Comes 1010. Ux. GERTRUDIS de *Froburg.*
4. LANCELINUS. † 1027. 28. Octob. Ux. ſecundum VIGNIERIUM, ANNA.

Præceptum HENRICI II., in gratiam monaſterii Rhinaugienſis an. 1023. datum, præfert: prædium *Wizzenburc* ſitum eſſe *in pago Chleugeuve*, *in Comitatu vero* RADEBOTONIS *Comitis.* C. S. B. p. 6. *Et venerunt huc usque ad locum, qui dicitur Marbach, ibidemque iuſſu* RADEBOTONIS, *filii ipſius* KANZELINI . . . *repulſi redierunt.* Idem de eo paſſim. Add. chronicon Novientenſe. G. D. l. c. cap. VIII. A. D. lib. II. c. VI. C. S. B. p. 8. porro ait: *Idem vero* RADEBOTO, *cum ſibi congruum viſum eſt, ut uxorem duceret, accepit de partibus Lotharingorum uxorem nomine* ITAM. G. D. p. 145. A. D. p. 202. ſeqq. add. p. 21. ſeq.

Teſtamentum, ſeu litteræ fundationis WERNHERI G. D. tom. II. p. 107. *Ego* WERNHERUS *Strasburgenſis epiſcopus, & caſtri, quod dicitur* HABESBUR, *fundator, monaſterium in patrimonio meo, in loco, qui* MURE *dicitur, in pago* ARGOIA, *in Comitatu* RORE . . . *conſtruxi* C. S. B. „ *Inquiſivit ergo* „ (ITA) *conſilium a* FRATRE *ſuo* (id eſt, leviro) WERNHARIO „ *epiſcopo* &c. „ Vid. A. D. cit. pag. 202. ſeqq.

RUDOLPHI memoriam nobis reliquit C. S. B. p. 8. *Fratre autem eius* (RADEBOTONIS) RUDOLPHO, *qui cellam Othmarsheim conſtruxit, dicente, ut dividerent locum . . . nihil obtineri potuit.* Subcribitur quoque in Inſtrumento an. 1010. G. D. tom. II. p. 103. GERTRUDEM coniugem, ADALBERONIS *Froburgenſis* filiam, ei tribuit VIGNIERIUS p. 22. G. D. p. 146. num. IV.

In

In dicto WERNHARII teſtamento frater quoque eius LANCELINUS proditur ; pergit enim epiſcopus : *cui prædia, quæ hæreditario iure mihi contigerant, per manum* FRATRIS MEI LANCELINI , *qui , utpote militiæ cingulo præditus , defenſor patrimonii mei extiterat . . . contradidi.* Verba hæc : *defenſor patrimonii mei extiterat*, indicare videntur, eum ante annum 1027. quo teſtamentum illud conditum fuit , vita functum, atque adeo Necrologium Murenſe , quod annum 1027. aſſignat, etiam hoc loco non nihil creperæ eſſe fidei. RADEBOTONI adſcribendi ſunt :

1. OTTO I. Comes in pago *Suntgoviæ.* † XXVIII. Iunii 1046. ſecundum Necrologium Murenſe , G. D. tom. II. n. CMXLIX. Progenies XII.
2. ALBERTUS ſeu ADELBERTUS I. Comes. † ſecundum VIGNIERIUM a. 1056. at ſecundum Necrolog. Mur. XII. Iul. 1046.
3. WERNHARIUS vel WERNHERUS II. Comes. † II. Nov. a. 1096. Ux. REGULINDA.
4. RICHENZA , UDALRICO , Lenzburgi Comiti , nupta. † 1080. XXVII. Maii. ex Necr. Mur. & Calend. Beronenſi. cit. tom. II. n. CMLIII.

C. S. B. p. 16. *Poſt cuius* (RADEBOTONIS) *obitum*, FILIUS EIUS OTTO, *&* ALBERTUS *&* WERNHARIUS *diviſerunt ſibi locum iſtum, prout eis placuerat. Poſt multos autem dies occiſus eſt* OTTO *ab* ERINLIERO *quodam milite , ſepultus eſt in Argentina civitate ante altare ſancti* LAURENTII , *pro cuius anima dedit huc Comes* WERNHARIUS, FRATER EIUS, *prædium ſuum, quod habuit in Chuiſnach.* FRATER QUOQUE ADELBERCTUS *cum moriturus eſſet ad Hounigin , remiſit tertiam partem ſuam, quam poſſiderat in iſto loco , & ſic defunctus eſt.* Pro OTTONE add. A. D. p. 312. n. XIII. & G. D. p. 132. num. III.

ADELBERTI I. ſeu ALBERTI, nulla alia ſupereſt memoria, quam quæ in C. S. B. reperitur. Necrolog. tamen Mur. obitum eius prodit, ut diximus.

WERNHARIUS in litteris Cardinalium, Actis Murensibus insertis. (vid. A. D. p. 134.) nuncupatur *egregius Comes* WERNHARIUS DE HABSBURG &c. Eædem litteræ uxoris eius REGULINDÆ quoque meminerunt : *Legitime contradidit, videlicet pro redemptione peccatorum suorum & uxoris suæ* REGULINDÆ, *& filiorum, parentumque omnium.* G. D. p. 142. A. D. p. 243. & 299. seqq. De iis plura C. S. B.

De RICHENZA vid. A. D. p. 146. seqq. Eius obitum Necrol. Mur. ad a. 1080. XXVII. Maii consignat. Eiusdem quoque meminit Calendar. Beronense. WERNHARIO patre usi sunt :

Proganies XIII. 1. OTTO II. Comes. † IIII. Eidem non nulli uxorem HILLAM nomine tribuunt.
2. ADELBERTUS II. Comes *Habsburgi* † an. 1140. vel 1141, Ux. IUDENTHA † circa medium seculi XII.

Instrumentum, in calce Actorum Murensium reperiundum, atque annum circiter 1145. conditum, hæc subministrat: *Comes* OTTO, *pater* WERNHERI *Comitis de* HABSBURG. Vid. A. D. p. 313. Eiusdem mentionem faciunt chartæ anni 1168. tom. II. n. CCXXXVIII. ubi *Gloriosissimus Comes* OTTO *de* HABESBURCH nominatur. Aliud circa an. 1171. num. CCXLI. *Illustris Comes* OTTO *de* HABESBURG præfert. C. S. B. p. 29. *Sed . . . immatura morte ipse Comes* WERNHARIUS *præventus*, III. *Idus Novembris vitæ finem sortitus est anno* MLXXXXVI. *Dominicæ incarnationis, filiusque eius nomine* OTTO *in advocatum* (monasterii Murensis) *pro eo constitutus est. . . . . Comes vero* OTTO, *cum per aliquot annos advocatiam teneret, in ipsius* UODALRICI *Abbatis secundo anno* VI. *Idus Novembris, ab* HESSONE *quodam nobili de Vesinberg* (seu Uosinberg) *in domo sua Buotenheim interfectus est, corpusque eius huc allatum, positum est in claustro nostro ante ianuas ecclesiæ, ubi pater eius & mater* REGELIND *nomine sepulti sunt. Cui successit in advocatiam frater eius* ADELBERCTUS. * Eius-

* Ex hoc loco exputari poterit annus OTTONIS emortualis, quem Necrol. Mur. ad an. IIII. reponit: ECCARDUS autem ad an. 1109. Sed recte Necro-

Eiusdem ADELBERTI frequens memoria occurrit in C. S. B., quibus addendæ chartæ an. 1114. tom. II. n. CXCV. & CXCVI. Recurrit quoque in diplomatibus *Henricianis* an. 1125. n. CXCIX. & CCI. ADELBERTUS *Comes de Habsburg* teſtis. Item in diplomate FRIDERICI Imp. cum uxore IUDENTHA apud Reverendiſſimum CALMETUM Hiſt. Loth. tom. I. inter probat. p. 386. edit. I. Annum obitus ADELBERTI ECCARDUS definire noluit; cauſſans, illum a nullo veterum ſcriptorum annotatum fuiſſe (a). Sed exiguo negotio eruitur ex CONRADO noſtro, ut apud quem pag. 90. hæc legimus: *Nos autem alacres vendimus alia bona prædia . . . anno Dominicæ Incarnationis* MCXXVIII. *ſub Abbate Ræzelino . . . Poſtea vero cum isdem Comes obiſſet poſt annos* XII. &c. Obiit ergo anno MCXL. aut, cum dicat poſt annos XII. ad ſummum an. MCXLI. Certe, anno MCXL. exeunte, obſidioni Caſtri *Winbergenſis* interfuit, obſervante eodem ECCARDO ex charta, data *Anno* MCXL. *Indictione* III. XVII. *Kal. Decembr. regnante* CUNRADO *Romanorum Rege ſecundo, anno regni eius tertio. Actum in obſidione Caſtri Vuinberch.*

ADELBERTO usque poſt annum MCXLV. ſuperſtes fuit vidua IUDENTHA, ut quæ CONRADO noſtro opus ſuum ſcribente, adhuc in vivis erat, ut patet ex verbis, prioribus proxime ſubiunctis: *In Acharlon habemus duos agros: uxor* ADELBERTI *Comitis, nomine* IUDENTA, *dedit ſancto* MARTINO *ad Muſchon ſex manſos, quos utrum illi auferat, an dimittat, incertum eſt.* G. D. c. V. A. D. p. 317. ſeq.

Hiſce non nulli addunt OTTONEM III. Ep. Conſtantienſem, itemque RUDOLPHUM. Vid. A. D. p. 318. OTTONIS II. filius erat WERN-

Necrologium. Obiit enim B. LUITFRIDUS Abbas, teſtante C.S.B. pag. 29. II. id eſt pridie *Kl. Ianuarii* MXCVI. poſt cuius exequias electus eſt RUOPERTUS anno MXCVII. ineunte, Abbatiam per XII. annos, adeoque in annum usque MCIX. regens. Cum ergo dicat CONRADUS, OTTONEM occiſum fuiſſe anno ſecundo UDALRICI Abb. ſequitur, id anno MCXI. eveniſſe. Male igitur appendix ad *Murum & Antemurale* pag. 20. reditum eius ad monaſterium ſuum S. BLASII ad an. MCIIX. aſſignat; cum prædeceſſore eius die ultimo anni MXCVI. defuncto, electio RUPERTI neceſſario in an. ſequentem MXCVII. differenda ſit. Quod ſi hoc ? ante annum MCIX. redire non potuit, ut anni regiminis XII. implerentur.

(a) Origg. Habsb. col. 76.

Progen. XIV. WERNHERUS III. Comes *Habsburgi* † circa annum 1163. Ux. Ita Homburgensis. A. D. p. 170. seqq.

Wernheri ortum ex eodem Instrumento cognoscimus, unde & patrem eiusdem. Eius verba paullo ante adducta sunt. Comparet quoque Wernherus *Comes de Habisburc* (& *Habechesburg*) in Instrumentis G. D. tom II. num. CCXX. & CCXXI. nec non in C. S. B. loc. sup. cit. *Postea vero*, ait, *cum isdem Comes obisset post annos* xii. *& nos ipsum prædium cum magno labore ad bonam utilitatem factum, uteremur, nepos eius* (ex fratre) Wernharius *voluit vi auferre, & nullo modo potuimus retinere illud.* Obitum eius ad an. 1163. ideo consignant, quod Guillimannus documenta protulerit, quæ eius, tanquam viventis, an. 1162. mentionem faciunt. G. D. cap. IV. A. D. p. 313. seqq. Succedit

Progen. XV. ADALBERTUS III. Comes *Habsburgi*, & *Landgravius Alsatiæ*, Wernheri filius. † 1199. 25. Nov. Ux. Ita.

In Instrumento *Wettingensi* emptionis prædiorum in *Dietigkon* & *Slieron* an. 1259. xvi. Kal. Nov. tom. II. num. ccccxxxi. Rudolphus, *Landgravius Alsatiæ*, postea Rom. R. hos suos parentes & progenitores indicat: *Quidquid etiam iuris in sæpe dictis universis & singulis bonis & hominibus, tam nos, quam bonæ recordationis* PROGENITORES *nostri Comites, videlicet* Albertus, *mihi Landgravio* PATER, *nobis tribus fratribus patruus;* Rudolphus *avus*, Albertus *proavus, ratione proprietatis . . . . possedisse dignoscuntur.* Occurrit præterea in supra laudato *privilegio Trutpertino*, quod & confirmavit. Item in Charta Ottonis Episcopi Constantiensis an. 1168. num. ccxxviii. O. *divina gratia Constantiensis episcopus . . . . petitioni Advocati Comitis* Adelberti *ratam & inconvulsam in perpetuum statuimus.* Landgravium Alsatiæ, contra, ac sibi antea persuadebant alii, fuisse, evincitur ex eius sigillo de an. 1186. *Sigillum Alberti Comitis de Habesburg & Landgravii Alsaciæ.* G. D. cap. III. nec non pag. 120. n. III. A. D. p. 317. num. VIII. seqq.

Itam

Itam coniugem eidem tribuit Genealogia, Actis Murensibus præfixa, in hæc verba: Albertus *per* Itam *Comitissam de Pfollendorff, filiam sororis Ducis* Welph, *genuit* Rudolphum *& Comitissam de Linigen.* Huius annus emortualis nescitur. At de Alberti obitu Necrol. Mur. ad an. 1199. diem XXV. Nov.: Adelbertus *Comes de* Habspurg, *Elsatiæ Landgravius, cognomento* Dives. Cum orthographia huius inscriptionis, tum prædicatum *Alsatiæ Landgravii*, alias vix, nisi hic & in citato sigillo occurrens, faciunt, ut eam antiquam, atque adeo fide dignam putem. Recentiorum enim quis istum titulum scivisset? Eidem Adelberto filium non nulli assignant synonimum, nulla relicta prole defunctum, nec non & filiam Itam, seu Bertam, de quibus viderint ipsi. Filius contra certus est

RUDOLPHUS, Comes *Habsburgi* & *Landgravius Alsatiæ.* † 1232. Ux. Agnesa, *filia* Gottfridi *de Stoufen*, teste Genealogo, Actis præfixo. Progen. XVI.

Præter Instrumentum *Wettingense*, sæpenumero laudatum, eius memoriam frequenter alia quoque faciunt, ut v. g. anno 1210. G. D. tom. II. n. CCLXII. in quo Rudolphus, *Comes de* Habespurch, cum filio suo Adelberto nominatur, & in contextu eiusdem Princeps audit Item in Charta anni 1232. ibid. num. CCXCV. Rudolphus *Senior Comes de Habsburg*, ad distinctionem nempe alterius Rudolphi, lineæ *Lauffenburgicæ* satoris, qui ibidem inter testes *Junior Comes* Rudolphus scribitur. In hac porro, & aliis chartis quam plurimis, titulum quoque *Landgravii Alsatiæ* gerit. Postremo citata charta anni 1232. id etiam præstat, ut iam annus mortis eius exploratus sit; cum enim litteræ aliæ eiusdem anni v. *Id Apr.* a filiis eius datæ, (tom II. n. CCXCII.) *pro remedio animæ* patris nostri Rudolphi *Comitis de Habsburch* præferant, adeoque eodem anno semel inter vivos, mox inter mortuos computetur, perspicuum fit, quid statuendum. G. D. l. c. cap. II. Rudolpho huic nati sunt:

1. AL-

Progen. XVII. 1. ALBERTUS IV. Comes *Habsburgi* & *Landgravius Alsatiæ*. † 1240. Ux. Helwigis, seu Heilwigis, filia Ulrici Comitis *Kiburgi*.

2. Rudolphus, sator lineæ *Lauffenburgicæ*, de quo sectione II.

3. Wernherus, qui iuvenis obiit.

4. Helwiga, marit. Hermannus, Comes *de Froburg*. † 1260. XXX. April.

5. Gertrudis, marit. Ludovicus Comes *de Froburg* frater Hermanni.

Prætermisso iterum diplomate *Wettingensi*, quod hunc gradum luculenter prodit, chartam an. 1210. (G. D. tom. II. n. CCLXII.) producimus, ubi Albertus noster unacum patre suo inter testes subscribitur: Rudolfus *Comes*, *& filius eius* Adilbertus *de Habesburch.* Occurrit quoque eodem anno in alio *concambio* hisce verbis: Rudolfo *Comite cum filio suo* Adelberto. Item num. CCLXIV. *Sigillo nostro, & Capituli nostri, & Domini* Alberti *de Habisburg* &c. Eum *in transmarinis partibus obiisse*, postquam cum Richardo, *Cornubiæ* Comite Anglo, & quibusdam *Germaniæ* proceribus expeditionem in Syriam suscepisset, confirmatur ex charta n. DLXXXVII. data Non. Iun. 1279. Scriptores annum 1240. assignant; num aëris intemperie, an in prœlio occubuerit, an alio genere mortis interierit, non satis constat. Ibid. cap. I. & II.

Wernherus & eius sorores, fide Genealogi, Actis Murensibus præfixi, adstruuntur, chartæ silent. Heilwigem, Alrerti IV. filius Rudolphus matrem appellat in supra adducto Intrumento emptionis prædiorum in *Dietigkon & Slieron* an. 1259. Helwigem *perdilectam Dominam & matrem meam*, addens: *sicut in instrumento super hoc ex parte ipsius Comitissæ specialiter confecto demonstratur.* Et in alio antecedente an. 1243. n. CCCXXXI. *Illustris Domina mater nostra* &c. Obiit secundum Martyrologium Murense an. 1260. XXX. April. ubi habetur: Helewig *Cometissa de Kiburg*, *mater* Rudolphi I. *Regis Rom.* Errant, qui Alberto plus una coniuge tribuunt. Ibid. cap. II. p. 130. Succedit ex Adelberto:

1. RU-

1. RUDOLPHUS, Comes *in Habsburg* & *de Kyburc*, *Landgravius Alsatiæ*, dein Rom. Rex. nat. 1218. Ibid. p. 121. num. IV. † 1291. XV. Iul. Ux. GERTRUDIS, quæ & ANNA, LUDOVICI, Comitis Froburgi & Hochbergi Comitis filia. Progen. XVIII.

2. ALBERTUS V. Canonicus Basileensis & Argentinensis. † 1256. Kal. Ian.

3. HARTMANNUS, qui improlis obiit, quo anno, incertum.

Monitum. Cum Genealogia Comitum Habsburgicorum, a RUDOLPHO R. R. ad MAXIMILIANUM I. usque, difficultatibus utcunque careat, deinceps notatu duntaxat digniora proferam, quæ maxime filios, secundo loco genitos, filiasque, itemque uxores concernunt. Cum igitur stemma & gradus RUDOLPHI satis cognita, non æque de coniuge, seu coniugibus constet, de his non nulla hic animadvertenda nobis sunt. Tres a scriptoribus quibusdam RUDOLPHO uxores tribuuntur: GERTRUDIS, ANNA, & ELISABETHA, seu AGNES. De prioribus duabus difficultas est, an non sit una, eademque persona, quæ duplex tamen nomen gesserit: an vero cum *Ægidio* TSCHUDIO, cui novissime adstipulatur Doct. D. *Ioh. Rudolphus* FATIUS, loco deinceps allegando, GERTRUDE a *Froburg* an. 1274. extincta, ANNAM de *Hochberg* superinductam fuisse, tenendum? Et revera, si publica Instrumenta consulimus, utrumque in iis nomen legimus. Sic v. g. in charta an. 1273. tom. II. num. DXXIV. *in octava Epiphaniæ* de coniuge sua ipse RUDOLPHUS: *Perdilectæ Dominæ* GERTRUDI, *uxori meæ.* Quin & ipsa eodem anno VI. *Id. Octob.* de seipsa hisce verbis: G.*ertrudis, Comitissa de Habsburg & de Kyburc, Alsatiæque Landgravia, nutu Dei in Reginam Roman. electa.* Correspondent his chartis appensa sigilla, GERTRUDIS nomen præferentia. Cum contra Instrumentum anni 1277. num. DLXV. licet sigillum GERTRUDIS præferat, in hunc tamen modum loquatur: ET *nos* A.*nna Dei gratia Rom. Regina.* Similiter charta quædam anni 1281. num. DXCVI. inter cetera sic habet: ANNA *Dei gratia Rom. Regina.* Videri igitur queat, duas in hisce monumentis legi RUDOLPHI uxores. At non ita est. Si enim hæc eadem monumenta penitius inspiciantur, difficile haud erit, inde eruere, GERTRUDEM & ANNAM

GERTRUDIS, RUDOLPHI uxor, eadem cum ANNA.

personam esse unam, eandemque, atque adeo duplici usam fuisse nomine: sive dein prius illud post coronationem, seu consecrationem in Reginam Romanorum cum posteriori, more, ut vult CRUSIUS (a) tum temporis haud insueto, permutaverit; sive alterum tum superaddiderit: sive demum utrumque a primis annis per vices usurpaverit. Quocirca argumentum præbet haud obscurum charta illa anni 1277. mox citata, nomen quidem ANNÆ, at sigillum GERTRUDIS præferens; neque enim existimandum est, ANNAM, posito, quod alia a GERTRUDE fuisset, post annos ab electione RUDOLPHI quatuor, proprio sigillo nondum instructam, sigillo uti debuisse alieno, seu Reginæ prioris; quin si hoc etiam facere oportuisset, eius rei haud dubie admonuisset lectorem, quemadmodum tale quid factum fuisse animadvertimus a RUDOLPHO & EBERHARDO de *Habsburg*, ex linea *Lauffenburgica*, qui Instrumento anni 1253. num. CCLXXIV. ita subscribunt: *Nos vero R. & E. prænominati*, QUIA SIGILLIS PROPRIIS NONDUM UTIMUR, *sigillo fratris nostri*, *Comitis* GOTFRIDI, *in hac parte nos esse contentos*, *publice profitemur*. Adsimile exemplum occurrit in charta, hanc proxime sequente, aliisque. Cum ergo sigillum & diploma duplex quidem nomen, sed in eadem prorsus charta, prodant, indicium sane sat perspicuum habemus, personas haud esse posse diversas. Sed multo luculentiora sunt ipsa Instrumenta, ex quibus duo inter se vel maxime contendenda sunt. Prius iam laudavimus, atque num. DXXIV. ita habet: „ Noverint igitur . . . quod cum viri Religiosi „ Abbas & Conventus monasterii *de Wettingen*, Cysterc. „ Ord. dioecesis *Constantiensis*, *perdilectæ Dominæ* GERTRUDI „ (verba sunt RUDOLPHI postea Rom. Imp.) uxori meæ, „ SEXAGINTA MARCAS legalis argenti, ponderis *Turicensis*, „ *ad exonerationem debitorum*, *& voraginem usurarum*, „ *contra ipsam currentium* contulerunt; nos volentes, tantis „ beneficiis ne ingrati videamur, in aliquo respondere, de „ consensu iam dictæ uxoris nostræ libero & expresso, & „ ALBERTI & HARTMANNI, FILIORUM NOSTRORUM, pos„ sessiones nostras dictas IN DEM EIGEN, quas . . nomine „ do-

(a) Annal. Suev. L. VI. P. II. cap. VIII.

„ dotis, ſeu donationis propter nuptias, quod vulgo dici-
„ tur *lipgedinge*, eidem uxori noſtræ aliquando contulimus,
„ præfatis religioſis aſſignavimus nomine uſufructus . . . .
„ quousque ſortem dictarum LX. marcarum poſſint commo-
„ de & plenarie rehabere. „ Alterius Inſtrumenti de an. 1281. num. DXCVI. contextus ita ſonat: „ ALBERTUS & HART-
„ *mannus* de HABSPURCH & KYBURCH Comites, Lantgravii
„ Alſatiæ, Sereniſſimi Domini R. Rom. Regis filii . . . . No-
„ verint . . . quod cum Sereniſſima Domina & GENITRIX
„ NOSTRA ANNA, Dei gratia Rom. Regina, ipſam ægritudinis
„ ſarcina premente, bona & poſſeſſiones, dictas *In dem Ei-*
„ *gen*, quas Magnificus Dominus & genitor noſter, Rom.
„ Rex prædictus, *antequam ad regni gubernacula vocaretur*,
„ ſibi tradidit & aſſignavit, pro tempore vitæ ſuæ liberaliter
„ poſſidendas, manibus . . . Abbatis . . de *Wettingen ad ſa-*
„ *tisfaciendum ſuis creditoribus*, nomine ſuo, ex nunc ad
„ decem annorum curricula duxerit committendas, nos di-
„ ctam commiſſionem ratam & gratam habentes &c. „ Hucusque Inſtrumentum, cuius verba ſi cum priori contendere volumus, perſpicue intelligemus, hoc ipſum illius eſſe prorogationem. Non enim obſcure de unis iisdemque poſſeſſionibus *in dem eigen* ſitis, agitur, quæ quidem GERTRUDI *pro tempore vitæ ſuæ* data, & Abbati *Wettingenſi*, ipſa vivente, ad decennium oppignorata fuerunt. Ea igitur, decennio illo nondum elapſo, decedente, neceſſe erat, ut conventio renovaretur; cum bona, in dies duntaxat vitæ data, redirent ad RUDOLPHUM, aut eius filios; ut igitur monaſterium damno ne exponeretur, atque ſuas reciperet ſexaginta marcas, conventio in alterum decennium prorogata fuit. Cum igitur iidem filii ſuum utrique chartæ præbeant aſſenſum, cumque de iisdem bonis *in dem Eigen* agatur, atque utrinque etiam eo fine, ut creditoribus GERTRUDIS, ac maxime Abbati *Wettingenſi*, ſatisfieret, manifeſte conſequitur ANNAM cum GERTRUDE eſſe eandem; cum conſenſus filiorum ex priore uxore, requiſitus haud fuiſſet. RUDOLPHUS præterea bonis, ſæpe dictis, coniugem ſuam donaſſe fertur, *antequam ad regni gubernacula vocaretur*: quo igitur pacto GERTRUDIS *Romanorum Regina* ſalutari poterat, ſi ANNA iſta iam antea eius uxor fuit?

& vice versa: & tamen, ut mox audivimus, GERTRUDIS aeque, ac ANNA summo illo *Augustarum* honorantur titulo. Quod denique in tota hac re palmarium est, iidem, qui priori conventioni anno 1273. consensum præbuerunt: ALBERTUS & HARTMANNUS, auctores quoque sunt Instrumenti huius posterioris de anno 1281. In priori RUDOLPHI, atque adeo GERTRUDIS, coniugis eius (quæ tum, ut ex ipsa charta patet, vivens & valens erat, immo ad X. usque Octobris eiusdem anni, ut ex alia charta, paullo superius allegata, patet, antiquum GERTRUDIS, non ANNÆ, nomen gerebat) filii vocantur: idem fit, sed mutato nomine, in charta posteriori, ubi laudati duo RUDOLPHI filii ANNAM conceptis verbis *genitricem suam* nuncupant. Genitricem, inquam, quod dicere non potuissent, si noverca fuisset: fuisset autem, si a GERTRUDE discernenda est, noverca; cum huius nomen ad annum usque 1273. occurrat, adeoque secundæ RUDOLPHI nuptiæ in annum 1274. reponendæ essent: cum contra ALBERTUS & HARTMANNUS iam tum anno 1273. ea ætate fuerint, ut eorum ad validitatem oppignorationis exigeretur suffragium, & anno 1281. ipsi Instrumenti condendi ius haberent, adeoque ad minimum duodeviginti annorum essent. Quo igitur pacto hæc ANNA, ante annos primum septem nupta, horum mater diceretur? Paucis: quam parum illi duas genuinas habere poterant matres, tam parum ANNA diversa fuit a GERTRUDE, sequiturque, RUDOLPHUM ab an. 1245. quo se primis votis obstrinxit, ad usque annum 1281. quo ANNA obiit, unam hanc habuisse coniugem; cui proinde etiam numerosa eiusdem proles adscribenda est.

Diluitur obiectio

Obiicit quidem laudatus FATIUS (a): dato, Reginam duplici prænomine usam, etiam *cognomen discrepare*; quippe quod ii, qui RUDOLPHUM primis nuptiis an. 1245. ANNÆ iunctum scribunt, BURCKARDI, Comitis *Hochbergensis* (b): qui contra GERTRUDI, LUDOVICI Comitis a *Froburg* filiam fuisse, tradant (c). At enim advertere oportuerat, quod diligen-

(a) Dissert. *de* RUDOLPHO *Habsburgico nondum Rege*. §. XXXIV. p. 27.
(b) Citantur FUGGERUS ad an. 1245. de Roo p. 8. CUSPINIAN. 144. Annal. Colm. P. 2. p. 40. &c.
(c) Citat. TSCHUDIUS ad an. 1245. & 1274. GUILLIMANN. p. 277.

ligentiſſimus *Ægidius* TSCHUDIUS invicte docet (a) Comitatum *Hochbergenſem* & *Froburgenſem* ad unam, eandemque familiam pertinuiſſe; unde facile evenit, ut cum ab aliis Comitiſſa de *Froburg*, ab aliis Comitiſſa de *Hochberg* appellaretur, duplicato cognomine familiari, duplicaretur etiam perſona. Quod ſi porro ipſe TSCHUDIUS loc. cit. tradit, primam RUDOLPHI uxorem, GERTRUDEM, ex Comitibus de *Froburg* & *Hochenberg* deſcendiſſe, ANNAM contra ex Comitibus de *Heyerloch*, ſeu *Heygerloch*: eidem auctoritatem ALBERTI Argentinenſis obiicimus (b), ex quo diſcere eſt, de Comitatu *Hochenberg* & *Haygerloch* idem tenendum, quod & ipſe de Comitatibus *Froberg* & *Hochenberg* docuit. Verba ALBERTI ſunt hæc: ALBERTUS, *Comes de Hohenberg & de Haigerloch, frater prædictę Reginæ Dominæ* ANNÆ, *duos Comitatus habuit, antiquos valde; ſcilicet Haigerloch & Hohenberg*: cui auctori hic loci eo magis fidendum; quod ibidem Comitum Hochbergenſium ſtemma, data opera, deſcribat.

Altera RUDOLPHI coniux fuiſſe dicitur ELISABETHA, ſeu AGNES, OTTONIS IV. Comitis Burgundiæ filia, de qua nihil in G. D. monumentis.

Reliqui ALBERTI IV. filii in charta anni 1245. tom. II. num. CCCXL. hoc ordine recenſentur: *Arbitri electi a Comitibus de Habsburc, videlicet* RUDOLPHO *Iuniore* (poſtea Rom. Reg.) & ALBERTO, *Canonico Baſileenſi*, & HARTMANNO, *fratribus*. Integer ALBERTI titulus refertur in charta anni 1243. num. CCCXXXIII. quæ incipit: ALBERTUS *Comes de Habsburk, Canonicus Argentinenſis & Baſileenſis.* Superfuit anno 1252. x. Maii, ut patet ex Inſtrumento, n. CCCCXXXIX. eodem circiter anno dato, quod ita orditur: R. *udolphus, Comes de Habsburg, Lantgravius Alſatiæ*, & AL. *bertus, frater eius.* Recte igitur fabulis accenſet GUILLIMANNUS (c), quod

(a) Ad dictum an. 1245. p. 141. adducto in eam rem Inſtrumento, cuius initium hoc eſt: *Sciant omnes, quos noſſe fuerit oportunum; quod Nobilis vir* LUDOVICUS COMES DE VROBURC *per manum filiorum ſuorum* RUDOLFI, *Prapoſiti Zovingenſis*, HERMANNI COMITIS DE HOCHINBERC &c.
(b) In Chronico apud URSTIS. p. m. 106.
(c) Lib. VI. p. 366.

quod non nulli memorant: eum ſub FRIDERICO Imp. an. 1239. in prœlio *Caſarutenſi* captum, Mediolani in cuſtodia contabuiſſe, & ſimilia. Deceſſum eius ad an. 1256. conſignat idem GUILLIMANNUS, diem XIX. Kal. Ian. vult Necrologium *Wettingenſe*, omiſſo anno. G. D. p. 128.

HARTMANNUM, RUDOLPHI & ALBERTI IV. fratrem fuiſſe, patet ex antecedentibus. Succinit charta anni 1242. tom. II. num. CCCXXIV., in qua legere eſt: *Eundem contractum per manus Dominorum* RUDOLPHI, ALBERTI & HARTMANNI, *fratrum*, *Comitum de Habsburch*, *placuit ſtabilire.* Ultima eius in monumentis noſtris mentio fit an. 1245. 24. Iun. Ex his quoque perſpicuum fit: ALBERTO nec plures, nec pauciores filios fuiſſe, quam tres, RUDOLPHUMque primo loco genitum; ut qui ubique primo loco memoratur. Sunt, qui eidem præterea ELISABETHAM, & BERCHTAM tribuunt, de quibus videri poteſt GUILLIMANUS. G. D. p. 129. RUDOLPHI poſteritas ex GERTRUDE, ſeu ANNA hæc eſt:

Progen. XIX. 1. ALBERTUS I. dein R. Rom. occiſus 1308. 1. Maii. Ux. ELISABETHA, MEINRADI III. Ducis *Carinthiæ* & Comitis *Tyrolis*, filia † 28. Octob. 1313.

2. HARTMANNUS, Comes de *Habsburg*, *Landgravius Alſatiæ*, † aquis ſubmerſus 31. Dec. 1281.

3. RUDOLPHUS, Dux Auſtriæ &c. & Rex Bohemiæ. † 1290. Uxor AGNES, OTTOCARI, Boh. Regis filia. † 1296.

IOANNES parricida. † 1313.

4. Filiæ plures.

ALBERTUM natu maximum fuiſſe, contra, ac ALBERTUS Argentinenſis docet (a), teſtantur Inſtrumenta annorum 1277. tom. II. num. DLXX. 1283. num. DCVIII. & 1284. num. DCXXI. ubi ALBERTUS, *Illuſtris*, item *Excellentiſſimi Regis Romanorum filius* PRIMOGENITUS nuncupatur. Factus dein Rom. Rex, anno & die allegatis, occiſus eſt ad *Kœnigsfeldam*.

(a) In Chron. apud URSTIS. tom. II. pag. 104. ſeq.

feldam. G. D. lib. III. cap. I. p. 203. ELISABETHA occurrit in charta anni 1311. tom. II. num. DCCXV. hoc titulo: ELISABETHA *quondam Rom. Regina.* Obitum eius ad V. Kal. Nov. an. 1313. ponit Necrol. Wettingenſe. Ibid. c. II. p. 206.

HARTMANNUM ſecundo loco genitum fuiſſe, contra BUCELINUM & HENNINGESIUM probant documenta, in quibus conſtanter poſt ALBERTUM collocatur. Occurrit in chartis ab anno 1273. ad 1281. titulo inſignitus: *Comitis de Habsburg & Kyburg. Landgravii Alſatiæ.* Eodem anno ſecundum Necrol. Wettingenſe II. Kal. ſeu pridie Kal. Ian. Rhenum transmittere volens, *am var ze Kobolz*, id eſt, ad traiectum circa *Confluentiam*, ſeu *Coblenz*, ſupra *Waldishutum* aquis ſubmerſus, interiit. * Ibid. cap. I. num. III.

De RUDOLPHO, præter plura Inſtrumenta alia, illud de an. 1286. num. DCXXXV. ſic habet: ALBERTUS & RUDOLPHUS *Dei gratia Duces Auſtriæ & Styriæ, Principes Carniolæ, Marchiones Portus Naonis, Domini Habsburgi, & Comites Kiburgi, Lantgravii Alſatiæ, Sereniſſimi Rudolfi Rom. Regis filii* &c. Obiit ante annum 1292. ut colligitur ex charta num. DCCLIV. Annaliſta Colmarienſis an. 1290. aſſignat. Ex AGNETE, Regis OTTOCARI filia, quam ei ALBERTUS *Argentinenſis*, aliique tribuunt, filium unicum reliquit IOANNEM, qui nefandi in patruum ALBERTUM parricidii reus, proſcribitur in diplomate *Henriciano* an. 1309. *fer. V. ante feſtum* S. MAURI num. DCCIII. Occurrit etiam in aliis monumentis. Ibid. n. IV.

Filias enumerat ALBERTUS *Argentinenſis*, ſex numero cogens, easque ſuis nominibus deſtinguens. Plures RUDOLPHO, cum Imperiale ſolium conſcenderet, fuiſſe, docet char-

* Mirum, quantum circa locum huius infortunii varient Auctores; cum alii *Rhinoviam* prope Scaphuſium, alii *Rhinaugiam Alſatiæ*, alii *Confluentias* inter Waldishutum & Clingnovium, ut hic cum HASELBACHIO Martyrologium *Wettingenſe* facit, cui ut coævo, magis fidendum videtur, aſſignant. Verum prope Rhinoviam Helvetiæ contigiſſe, indicio mihi eſt, quod ibidem viſcera ſubmerſi condita dicantur.

charta num. DXXIV, *filiorum nostrorum*, *nec non & filiarum . . . tam puberum*, *quam impuberum* . . . . memorans. *Actum & datum in Brugge anno Domini* MCCLXXIII. *in octava Epiphaniæ*, i. e. die 13. Ian. Ex ALBERTO sunt:

Progen. XX. 1. RUDOLPHUS Rex Bohemiæ. † an. 1307. 4. Iul. aut secundum Necrol. *Wettingense* 12. Maii. Ux. I. BLANCA, PHILIPPI, Regis Franciæ filia. † 1305. II. ELISABETHA, PRIMISLAI, Regis Poloniæ, filia, WENCESLAI, Regis Bohemorum, relicta vidua.

2. FRIDERICUS *Pulcher*, dein Rom. Rex. † 1330. teste *Gerardo de* Roo. Ux. ISABELLA, IACOBI Regis Arragoniæ filia. † 1330.

ELISABETHA † 1340. ANNA † post an. 1344.

3. LUPOLDUS *Bellicosus*. † pridie Kal. Martii 1326. Ux. CATHARINA, AMADEI, Sabaudiæ Comitis, filia. † 1337.

CATHARINA. † 1349. AGNES. † 1392. Marit. BOLESLAUS IV. Dux Silesiæ in Schweidniz.

4. OTTO *Audax*, seu *Hilaris*. † 1339. Ux. I. ELISABETHA, STEPHANI, Ducis Bavar. filia. II. ANNA, IOANNIS Bohem. Reg. filia.

FRIDERICUS † 1344. LUPOLDUS ex ANNA † 1344.

5. ALBERTUS II. *Sapiens*. † 23. Iul. 1358. Ux. IOANNA, Comitissa *Pherretarum*. † 1351.

6. HENRICUS *Placidus*. † 1327. Uxor ELISABETHA, Comitissa de *Virnenburg*. † 1343.

7. Plures filiæ.

RUDOLPHUS in unico Instrumento anni 1304. 4. Aug. num. DCXCVIII. occurrit; ubi FRIDERICUS *Pulcher* RUDOLPHUM & LUPOLDUM Duces *fratres suos* appellat. Ibid. pag. 206. num II. BLANCÆ, Uxoris eius primæ, testamentum extat apud HERRGOTT. Monum. Austr. tom. I. pag. 221.

FRI-

FRIDERICUM *Pulchrum* non nulli Hiſtorici ex albo Imperatorum, ſeu Reg. Rom. expungendum voluerunt, ſed inconſulto; cum plura ſuppetant diplomata, contrarium manifeſte evincentia, in quibus hoc titulo afficitur: FRIDERICUS DEI GRATIA ROM. REX SEMPER AUGUSTUS. Quibus addi debet Cl. *Io. Davidis* KOELERI diſſertatio: *de voluntario Imperii conſortio inter* FRIDERICUM *Auſtriacum* & LUDOVICUM *Bavarum*. G. D. L. II. c. II. n. III.

LUPOLDI frequens fit memoria in monumentis, quæ & hunc ei titulum tribuunt: LUPOLDUS *Dei gratia Dux Auſtriæ & Styriæ, Comes in Habsburg & Kyburch, nec non Landgravius Alſatiæ.* Diffuſiori titulo uſum fuiſſe, tradit ALBERTUS *Argent.* (a) cui tamen Inſtrumenta, hactenus a nobis viſa, haud reſpondent. Necrologium *Wettingenſe* eius obitum ad an. 1326. *II. Kal. Mart.* ponit, addito *militis imperterriti*, ut erat, encomio. Ante an. 1330. obiiſſe, certum eſt ex charta num. DCCLXVI. Ib. num IV.

De uxoribus mentionem facit laudatus ALBERTUS *Argent.* eique præterea duas filias, alteram CATHARINAM nomine, alteram AGNETEM fuiſſe, teſtatur pag. 105. & 119. ex CATHARINA prognatas. De laudata uxore Necrolog. *Wettingenſe: Anno Domini* MCCCXXXVII *obiit* KATARINA, *Duciſſa Auſtriæ, uxor Ducis* LUPOLDI, *de qua habuimus optimum pannum.* Ib.

De OTTONE, cognomento *Audace*, varia Inſtrumenta loquuntur, eius probantia ſtemma & gradum. Duorum quoque filiorum, FRIDERICI nempe & LUPOLDI, parentem fuiſſe, teſtantur Hiſtorici, quibus favet charta anni 1343. num. DCCLXXXVIII. in qua ALBERTUS *Dux Auſtriæ, Styriæ & Carinthiæ*, OTTONIS *frater*, ſuo & conſanguineorum ſuorum FRIDERICI & LUPOLDI nomine, monaſterio *Rutinenſi* varios proventus, titulo donationis, aſſignat. Necrolog. *Wettingenſe* diem mortis eius ad XIII. *Kal. Mart.* an. 1339. adnotavit. Ib. n. V.

(a) Apud URSTISIUM p. m. 123.

Ex monumentis, præter ortum, id etiam de Alberto II. discimus, quod titulo *Comitis Phirretarum*, ut in charta an. 1320. num. dccxxvii. habetur, primus Habsburgo-Austriacorum usus fuerit: quem Comitatum, ducta Ioanna. Ulrici, ultimi *Pherretarum* Comitis filia, in matrimonium, genti suæ acquisivit. Decessit Albertus an. 1358. *X. Kal. Aug.* secundum Necrolog. *Wetting.* cui quidem eo libentius fidem habemus; quod in charta an. 1357. eius mentio, ut
a etiamnum superstitis fiat (a) nec etiam occurrat post eundem annum. Posteritatem eius deinde recensebimus. Ibid. num. VI.

Henricum Alberti I. Rom. Reg. filium fuisse, cum Scriptores rerum Austriacarum docent, tum charta donatio-
b nis apud Ludewigium (b) evincit; nec non codex *Basileensis*, qui obitum eius unacum Necrolog. *Wetting.* ad an. 1327. reponit. Prædictam uxorem ei non nulli Scriptores tribuunt. Alii sextum filium addunt Meinhardum, at sine sufficienti, ut videtur, fundamento. Ibid. num. VII. Sex filias enumerat, ac nominetenus compellat Albertus *Argent.* pag. 105. & 120. Alberto II. prognati sunt:

Progenies XXI.

1. Rudolphus IV. *Ingeniosus* † 1365. Ux. Catharina, Caroli IV. Imp. filia. † 1395.
2. Fridericus *Splendidus* † 1362. x. Decembris, eruente P. Steyerero in Alberto II. p. 28. & in addit. col. 574.
3. ALBERTUS III. *cum trica.* † 1395. Ux. I. Elisabetha, Caroli IV. Imp. fil. † 1373. II. Beatrix, Friderici IV. *Burggravii Norimbergensis* filia. † circa an. 1404.
4. LUPOLDUS *Probus.* Occubuit 1386. ix. Iul. Ux. Viridа, Barnabone Duce Mediolani nata. † 1424.
5. Duæ, aut tres filiæ.

Omnium horum, demptis filiabus, stemma & gradum
c indicat diploma, a laudato Ludewigio vulgatum (c), in quo: „ Carolus IV. Romanorum Imperator Rudolpho, *Austrie, Styrie*,

(a) Apud Herrgott Monum. Austr. tom. I. pag. 227.
(b) Reliq. Mſ. tom. IV. p. 274.
(c) Loc. cit. tom. IX. p. 690.

„ *Styrie*, *&* *Karinthie Duci*, ac fratribus eius, Friderico, „ Alberto, & Leupoldo Ducibus, de Ducatibus *Au-* „ *ſtrie*, *Styrie*, *&* *Carinthie*, item de dominiis *Carniole*, „ *Marchie*, *&* *Portus Naonis*, cum reliquis in Suevia, Al- „ ſatia, & alibi in Imperio, nec non de univerſis feudis, „ quæ felicis recordationis Illustris Dux Albertus geni- „ tor ipsorum, & Otto quondam frater ipsius, olim „ a Ludovico de *Bavaria*, qui ſe Imperatorem nominavit, „ tenuerunt & poſſederunt, sceptro imperiali, in seveld, „ an. Dom. mccclx. xii. Kal. Iun. inveſtituram impertitur. „ Succinunt hisce plura alia inſtrumenta, ex quibus inter cetera, quoad Rudolphum IV. notanda charta anni 1359. num. dcccxiv. Non. Dec. ubi hunc titulum legimus: Rudolfus *Quartus Dei gratia Palatinus* Archidux *Auſtriæ*, *Styriæ*, *&* *Karinthiæ*, *Princeps Sueviæ* *&* *Alſatiæ*, *Dominus Carniolæ*, *Marchiæ* *&* *Portus Naonis*, *nec non Sacri Romani Imperii Supremus Magiſter venatorum.* Primus ergo hic noſter fuit, qui titulo Archiducis uſus eſt. Sed de ſingulari huius Principis titulo videri poſſunt, quæ in citatis *Monum. Auſtr.* tom. I. Diſſert. IV. §. XXVII. afferuntur. Ex charta porro anni 1357. XIII. Maii cit. Mon. p. 228. eruimus: Rudolphum hunc natum eſſe anno 1339. Ibi enim habetur: *unſerr gebürtlichen Zeit in dem achtzehenden jare*, id eſt, anno ætatis noſtræ octavo decimo. Confirmatur iſthoc per Inſtrumentum ib. p. 233. *Datum Wienne Kal. Aprilis anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſecundo*, *ætatis noſtræ* XXIII. *Regiminis vero* IIII. Cumque Gen. Dipl. tom. II. num. DCCCXIX. tranſactio, anno 1361. die XXII. Ianuarii, anno autem ætatis Rudolphi noſtri ſecundo & viceſimo conſtituta reperiatur: ſequitur, ut is dicto anno 1339. menſe Ianuario, & quidem ante viceſimum ſecundum in lucem editus fuerit. Eundem vita exceſſiſſe an. 1365. ſatis teſtatum eſt; quemadmodum & uxorem habuiſſe Catharinam, Caroli IV. Imp. filiam, præter auctores pleroſque, fidem facit, diploma eiusdem Caroli ap. *Frid.* Glaffey Anecdot. T. I. num. 372. p. 494. Item num. 380. p. 500. ubi eius *Gener* dicitur. Fruſtra igitur ſunt, qui eum cum Margaretha *Maultaſchia* contraxiſſe ſcripſerunt. Ib. cap. III. num. II.

De RUDOLPHI fratribus nihil est, quod ex monumentis speciatim notandum sit. Coniugia, nec non dies obitus eorum, fide & auctoritate Scriptorum rerum Austriacarum, aliorumque, qui sibi satis constant, adnotavimus.

Filias ALBERTI alii duas, alii tres enumerant, quarum nomina hæc sunt: CATHARINA, Monialium S. CLARÆ *Viennensium* antistes: AGNES, HENRICO, Principi *Iauriensi* in *Silesia* nupta: MARGARETHA primis nuptiis MEINRADO, Comiti *Tyrolis*, secundis vero, IOANNI, *Moraviæ* Principi, CAROLI IV. Cæsaris fratri, collocata. Ibid. num. VI.

Ex ALBERTI II. filiis duo gentem propagarunt: LEOPOLDUS III. cognomine *Probus*, & ALBERTUS III. dictus *cum trica*, hic lineæ *Austriacæ*, ille *Tyrolensis* conditor. ALBERTI ex BEATRICE filius erat:

Progenies XXII. ALBERTUS IV. cognomine *Mirabilia mundi.* † 1404. Ux. IOANNA, filia ALBERTI, Ducis *Bavariæ* & Comitis *Hollandiæ.* † circa an. 1404. Ex hoc connubio sunt:

Progenies XXIII. 1. ALBERTUS V. inter Imperatores II. † 1439. Ux. ELISABETHA, SIGISMUNDI Imp. filia unica. † 1442.

GEORGIUS † iuvenis 1435.

2. MARGARETHA † 1447. Marit. HENRICUS *Dives*, Dux Bavariæ

Ultimus, unacum duabus sororibus, huius lineæ surculus erat:

1. LADISLAUS *Posthumus*, Bohemiæ & Hungariæ Rex † 1458. Sponsa MAGDALENA, CAROLI VII. Regis Franciæ fil.
2. ANNA † 1462. Marit. WILHELMUS III. D. Saxoniæ.
3. ELISABETHA † 1505. Marit. CASIMIRUS II. R. Polon.

Ex LEOPOLDO III. agnomine *Probo*, hi prodierunt:

Progenies XXIV. 1. WILHELMUS, *Ambitiosus*, seu potius *Aulicus*, aut *Affabilis.* † 1406. Ux. IOANNA, CAROLI *Parvi*, Regis Hung. filia. † 1434.

2. FRI-

2. FRIDERICUS IV. dictus *cum vacua pera.* † 1439. Ux. I. ELISABETHA, filia RUPERTI *Palatini* Rom. R. † 1409. II. ANNA *Brunsuicensis.* † 1432.

SIGISMUNDUS Archidux. † 1496. Ux. I. ELEONORA, IACOBI, Scotiæ Reg. fil. † 1480. II. CATHARINA, ALBERTI D. Saxoniæ fil. † 1484.

3. LEOPOLDUS IV. *Superbus.* † 1411. Ux. CATHARINA, PHILIPPI *Audacis*, Sequanorum Principis, filia.
4. ERNESTUS *Ferreus.* † 1424. Ux. I. MARGARETHA, BOGISLAI V. D. Pomeraniæ fil. † 1408. II. CIMBURGIS, ZIEMOVITI D. *Massoviæ* fil. † 1429.
5. ELISABETHA. Sponſ. HENRICUS Comes Goritiæ.
6. MARGARETHA. Marit. IOAN. de *Lucenburg.* CAROLI IV. Imp. fil.
7. CATHARINA, Abbatiſſa Sanctimonialium S. CLARÆ Wiennæ. † 1391.

Ab ERNESTO *Ferreo* multo facillimus deſcenſus eſt ad filium eius natu maximum FRIDERICUM *Placidum* Imp. atque adeo ad illius nepotem MAXIMILIANUM I. Imp.

TABULA II.

Familiam ſiſtens *Lauffenburgo-Habsburgicam.*

HUius ſtirpis auctor eſt RUDOLPHUS, cognomento *Taciturnus*, RUDOLPHI *Senioris* filius, atque adeo RUDOLPHI I. Rom. Reg. patruus. Hunc RUDOLPHUS *Senior* in charta anni 1227. num. CCLXXXI. unacum fratre ſuo ALBERTO hiſce nobis verbis manifeſtum facit: *Noverint univerſi præſentes & poſteri, quod nos una cum dilectis filiis noſtris* ALBERTO & RUDOLPHO *Comitibus, curtes, vineas, ac res alias . . . Beronenſi eccleſiæ . . . tradidimus.* Singuli item recenſentur in charta eiusdem anni num. ſeq. ubi A. lbertus *Dei gratia Landgravius Alſatiæ . . . una cum* R. udolpho *patre* ſuo & R. udolpho *fratre . . . de* HABESPURCH recurrit. Apex.

Hos duos fratres hereditatem paternam an. 1239. inter se divisisse, iam alibi notavimus (a). Inter ceteras conditiones conventum erat, ut Landgraviatus Alsatiæ indivisus relinqueretur. Quare titulum *Landgravii Alsatiæ* in plerisque monumentis retinuit, cum contra posteri eius ab eo abstinuerint. Id quoque notandum: quod in chartis modo *Iunior*, ad distinctionem nempe patris sui RUDOLPHI *Senioris*, modo *Senior*, ad discernendum ab eo RUDOLPHUM, postea Rom. Regem, audiat. Obiisse dicitur an. 1249. aut certe secundum Necrol. Murense 1246. Memoriam coniugis eius GERTRUDIS *de Regensperg* chartæ annorum 1253. 30. Iul. & 1. Aug. num. CCCLXXIII. seq. 1264. n. CCCCLXXI. conservarunt. G. D. lib. II. c. II. §. V. & lib. IV. c. I. n. II. seqq.

Progen. I.

1. WERNHERUS. † improlis ante 30. Iul. 1253. ut ex charta eiusdem anni num. CCCLXXIII. colligitur.
2. GOTFRIDUS † 1271. Ux. ELISABETHA *Ochsensteinia*, teste GUILLIMANNO lib. VII. c. II.
2. RUDOLPHUS episc. *Constantiensis*, electus 1273. † 3. April. 1293.
4. OTTO. † post diem 1. Aug. 1253. ubi scilicet in Instrumento quodam occurrit.
5. EBERHARDUS, Sator Comitum *Kyburgensium* posteriorum de quo tabula seq.

Horum *Lauffenburgo - Habsburgicorum* Comitum dicta charta anni 1253. 30. Iul. recensum hoc ordine facit: „ Nos „ GOTFRID, RUDOLF, OTTO & EBERHARD, Comites „ Habsburgi, fratres. „ Ordo igitur horum satis patet: sed quo loco inserendus sit WERNHERUS, qui in eodem instrumento, ut defunctus, nominatur, dubium est. Reliqua partim Auctorum, partim instrumentorum fide, adstruuntur. GOTTFRIDI filius unicus erat:

Progen. II.

RUDOLPHUS; cum enim posteritas EBERHARDI, numerosa prole aucti, Comitum *Kyburgensium*, nec non *Burgundiæ* & *Turgoviæ Landgraviorum* titulum assumpserit, reli-

(a) Sup. pag. 324. num. VII.

reliqui contra RUDOLPHI fratres improles deceſſerint ; conſectarium eſt , ut hic ſtirpis *Lauffenburgo - Habsburgicæ* propagator extiterit. Uxor eius prima fuit ELISABETHA , RUDOLPHI , Comitis de *Rapprechſwilere* , ex uxore MECHTILDE , filia , & relicta vidua LUDEWICI , Comitis de *Homberg*. Quibus pactis Comitatus *Rapperſwilenſis* , & magna pars poſſeſſionum *Homburgenſium* ei , ac ſucceſſu temporis filio eius IOANNI , acceſſit. Hæc etiam prius cognita fuit : at MARIA , FRIDERICI Comitis *Oetingenſis* filia , altera eius uxor , ex ſola charta an. 1315. num. DCCXX. contra , ac GUILLIMANNUS, aliique ſcriptores, antehac perſuaſum ſibi habebant, innoteſcit.

Obitum RUDOLPHI *Æg.* TSCHUDIUS & Necrologium *Wetting.* ad XX. Ian. an. 1314. reponunt : at ex charta eiusdem anni, in feſto S. GREGORII ; ſeu 12. Martii expedita, manifeſtum fit : eum etiamnum dicto die vixiſſe, quanquam poſt hæc diu ſuperſtitem haud fuiſſe , inde colligatur , quod in charta anni 1315. VII. Iun. paullo ante allegata , inter mortuos adnumeretur. Ibid. cap. III. Primi coniugii fructus erat filius unicus :

IOANNES I. † XXI. Sept 1337. in clade *Grynoviana* occumbens. Ux. AGNES , filia SYMONIS , Landgravii Alſatiæ. † poſt an. 1351. Progen. III.

Teſtatur de his mox citata charta : „ Qua Illuſtris vir „ RUDOLPHUS Comes de *Habsburg* cum IOANNE , *filio ſuo* , „ pro remedio animarum parentum ſuorum , felicisque re„ cordationis Dominæ ELISABETHÆ, *coniugis* dicti RUDOLPHI „ Comitis p. m. matris IOANNIS FILII SUI prænotati , ex„ piatoria ſacra inſtaurari curavit. „ Inter liberos horum numerantur :

1. IOANNES II. † an. 1380. Ux. ELISABETHA *Nidovienſis* : fide GUILLIMANNI. Progen. IV.
2. RUDOLPHUS. † circa an. 1383. Ux. ELISABETHA de *Mantone*.

3. GOTT-

3. Gottfridus. † X. Iulii 1375. teste *Ægidio* Tschudio.
4. Agnes, Canonissa *Seconiensis.*

Omissis pluribus aliis chartis, trium horum Comitum fraternitatem probantibus, initium chartæ anni 1348. XXVIII. Nov. vernacula datæ, hic apponere satis erit: *Nos* Agnes *Comitissa de Habspurg & nos Comes* Ioannes, *Comes* Rudolphus, *& Comes* Gotfridus *de Habspurg, fratres* &c.

Obitus Ioannis ad diem XVII. Decembris ponitur fide Necrologii *Wetting.* & Chronici *Tschudiani*, frustra contradicente Guillimanno, qui illum post famosum proelium Sempacense, anno primum 1386. obiisse putat; quandoquidem filius ipsius Ioannes in charta an. 1384. num. DCCLXVI. eiusdem, ut defuncti, memoriam ingerit. Ibid. c. IV. n. I.

Rudolphum circa an. 1383. excessisse, contra, ac Guillimannus annum 1388. obtendit; ex instrumento clarescit dicti anni 1383. IX. Nov. ubi iam inter plures adnumeratur. Ex eodem, nec non & aliis monumentis, uxorem eius Elisabetham discimus.

Gottfridus satis etiam notus est, non item Agnes soror eius, quæ Guillimanno, Fuggero & Tschudio prorsus ignota erat. At ex charta anni 1354. num DCCCVIII. cum tribus fratribus suis comparet ut *Canonissa Seconiensis.* Ibid. cap. V. Filius Ioannis II. erat:

Progenies V. IOANNES III. qui se Ioannis *Senioris*, id est II. filium scribit, in charta anni 1377. num. CCCCXLIX. Cœlibem obiisse, aut saltem improlem, colligitur ex charta an. 1389. XXII. Iul. cumque Ioannes IV. *Iunioris* denominationem, quam eousque gesserat, an. 1395. abiecerit, vero simile est, hunc nostrum eodem anno vita defunctum.

Progenies VI. IOANNES IV. non ex Ioanne III. sed ex Rudolpho, fratre eius, natus est. Hunc Guillimannus, eiusque sequaces, pariter ignorarunt. Sed patrem, matremque eius, aper-

aperte indicat charta anni 1375. num. DCCCXLVII. nec non & plures aliæ. Obiit an. 1408. octo diebus ante festum S. URBANI, id est, XVIII. Maii. Uxor eius NEZA, seu AGNES *de Landenberg*, cum ex Equestri duntaxat genere fuerit, in plerisque monumentis *Domina de Habsburg* vocatur, ac præsertim an. 1425. *die lunæ ante fest.* S. UDALRICI, opusque fuit, ut WENCESLAUS Rex. Rom. prolem, ex ea nascituram, Comitum dignatione donaret; ut videri potest in charta ann. 1393. num. DCCCXC. † circa ann. 1431. Ex hoc matrimonio natæ sunt filiæ duæ:

1. AGNES, quæ antea incognita, ex charta an. 1409. fer. III. post festum S. ANTONII num. CMXXX. ediscitur.
2. URSULA, cum ex eodem Instrumento, tum & aliis pluribus, nota. Hæc RUDOLPHO Comiti *Sulzensi*, HERMANNI filio, nupta, eidem cum dynastiis *Rottenberg* & *Krenckingen* Comitatum *Cleggoviæ* attulit.

TABULA III.

Stemma Comitum *Kyburgicorum*, ex sanguine *Habsburgico* descendentium, demonstrans.

HUius lineæ satorem extitisse, diximus, EBERHARDUM, RUDOLPHI, cognomento *Taciturni*, lineæ *Lauffenburgicæ* conditoris, filium. Is ANNAM, HARTMANNI *Iunioris*, Comitis *de Kyburg*, antiquioris stirpis surculi ultimi, ex ELISABETHA coniuge filiam, sibi iungens, *Kyburgicarum* possessionum in *Burgdorff* & *Thun*, ceterarumque in minore *Burgundia*, heres effectus, *Kyburgico* tamen titulo (ut non nulli putarunt) nunquam usus est: † circa an. 1283. aut saltem ex eo tempore in monumentis haud comparet. Id demum certum, quod in charta anni 1287., XIV. Kal. Martii num. DCXLI. iam inter mortuos computetur. G. D. lib. II. c. I. p. 254. EBERHARDI filii fuerunt: Apex.

Progenies I. 1. HARTMANNUS, dictus DOMICELLUS. † an. 1322. a manu Nobilium, EBERHARDI fratris ministerialium, teste ad h. a. TSCHUDIO, trucidatus. Ux. ELISABETHA, ex Comitibus *de Froburg*, ut, suffragante TSCHUDIO, ex instrumento anni 1306. XIII. Kal. Febr. num. DCXCIX. verisimile fit.

2. EBERHARDUS. † post, aut circa an. 1355. GUILLIMANNUS certe ad an. 1361. refert. Ux. BERCHTA, BERCHTOLDI, Comitis de *Buocheck*, seu a *Boica*, HENRICI F. Landgravii *Burgundiæ*, filia.

3. 4. ELISABETHA & CATHARINA, de quibus videri potest laud. GUILLIMANNUS.

HARTMANNI & EBERHARDI in charta anni 1287. mox laudata, mentionem, quamvis tecto nomine, facit RUDOLPHUS *Dei gratia Constantiensis Episcopus*, tanquam tutor ac defensor PUERORUM, *pie recordationis quondam Domini* EBERHARDI *Comitis de Habsburg*, *fratris sui dilecti* &c. Comparent quoque, expressis nominibus, iunctim, aut separatim, in aliis instrumentis bene multis, quæ inter cumprimis notanda charta ann. 1315. VII. Iun. num. DCCXX. ubi se HARTMANNUS prima vice *Comitem Kyburgi* scribit, exemplum præbens posteris, ut, dimisso cognomine gentilitio, *Kyburgico* uterentur. Id quod scriptorum quosdam in errorem traxit, ut primam *Kyburgi* Gentem cum posteriori hac confunderent. Frater eius EBERHARDUS *Kyburgico* nomini etiam titulum *Landgravii Burgundiæ* addidit, quem posteri eius servarunt. Ibid. cap. II. Ex EBERHARDO descenderunt:

Progenies II. 1. HARTMANNUS II. Comes *de Kyburg*, *Landgravius Burgundiæ*. † 1380. ex Mss. *Tschudiano*. Ux. ANNA *de Nidow*, soror RUDOLPHI, Comitis *Nidoviensis*.

2. RUDOLPHUS, Comes *de Kyburg*, *Landgravius Burgundiæ*. † 1383. testibus TSCHUDIO & GUILLIMANNO.

3. BERCHTOLDUS, Comes *Kyburgi*. † 1401. secundum laudatum Mss. *Tschudianum*.

Cum HARTMANNUS I. in publicis instrumentis post annum 1318. haud amplius memoretur, EBERHARDUS contra an.

an. Christi 1355. adhuc occurrat, & HARTMANNUS prima vice an. 1361. ac denique BERHTOLDUS, frater eius, anno primum 1383. signum est vix non infallibile, hanc totam progeniem non HARTMANNO I. sed EBERHARDO II. tribuendam esse; cum credibile haud sit, filios quadragesimo a morte patris anno, in publicis instrumentis primum nominari; quandoquidem a Genealogis receptum est, ab una ad alteram generationem triginta tantum annos computandos. HARTMANNI porro memoria non infrequens est in instrumentis.

ANNAM *de Nidow* non huic HARTMANNO sed fratri eius RUDOLPHO tribuit GUILLIMANNUS (a), & TSCHUDIUS (b), sed erronee; ut patet ex charta an. 1377. num. DCCCXLIX. *die Martis ante Dominicam Palmarum*: ubi inter Comitem nostrum HARTMANNUM *Kyburgicum*, *Burgundiæ Landgravium*: „ Ipsiusque legitimam coniugem Dominam ANNAM „ *de Nidow*, eorumque prolem . . . . . de controversa he„ reditate bonorum, possessionumque, a defuncto RUDOL„ PHO, *Nidoviæ* Comite, *quondam Comite Froburgi*, re„ lictarum, amica litis compositio facta est. „ Hinc etiam consequitur; quod proles universa, a GUILLIMANNO & TSCHUDIO RUDOLPHO adiudicata, HARTMANNO & ANNÆ restituenda sit. Ibid. cap. III.

GUILLIMANNUS hisce EBERHARDUM, Canonicum *Basileensem*, & IOANNEM Præpositum *Argentinensis* Ecclesiæ adummerat (c), suffragante TSCHUDIO, (d); cum discrimine; quod is utrumque *Canonicis Basileensibus* adscribat. HARTMANNO ex ANNA *Nidoviensi* nati sunt:

Progenies III. & ult.

1. EGO, Comes *Kyburgi*, cuius obitus circa an. 1420. poni posse videtur. Ux. ANNA *Bechburgica*, teste GUILLIMANNO.
2. BERCHTOLDUS, Comes *de Kyburg*, qui ante fratrem obiisse videtur.

Zz 2 De

(a) Lib. VII. cap. IX.
(b) Chron. Helvet. P. I. pag. 517.
(c) Citat. lib. VII. cap. VIII.
(d) Loc. cit. pag. 509.

De his videri possunt laudati GUILLIMANNUS & TSCHUDIUS : in eo tamen hallucinati, ut vidimus, quod hanc progeniem RUDOLPHO, non HARTMANNO tribuerint. Addunt præterea HENRICUM, sororemque VERENAM, de quibus omnibus monumenta silent.

Cum his linea *Kyburgicorum* Comitum posteriorum extincta est; quare nos breve hoc compendium concludimus; maxime cum inde, velut ex ungue leonem, iam facile colliget Adversarius, quale sit inter Abbatis TSCHUDII & P. HERRGOTTI labores discrimen, quantumque opus posterioris opusculo prioris, quod præfiscine dixerim, excellat, nimirum:

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Nihil dixi de Augustæ Gentis possessionibus & prærogativis: nihil de sigillis, aliisque monumentis, illustrandæ historiæ *Habsburgo - Austriacæ* aptis: nihil de Illustrissimis Germaniæ familiis, ac patria medii ævi historia, quibus studio & opera HERRGOTTI lux accensa fuit: nihil de veritatibus innumeris, eadem fidelia aut firmatis, aut noviter detectis, auctorum contra bene multorum erroribus expunctis, eliminatis: nihil denique de sexcentis aliis rebus, quas singulas, si compendio complecti vellem, quid aliud esset, quam Iliada nuce concludere velle. Sed facile ex hac lacinia de reliquo texto iudicari poterit, Genealogiam Diplomaticam non ex eo genere librorum esse, ut hedera indigeat.

Præterea id maxime ex his tabulis clarescit, Genealogiam Augustæ Gentis Habsburgicæ condi & investigari potuisse absque ullo, saltem quoad descendentes in linea recta, subsidio, ab inepta Genealogia, CONRADO nostro præfixa, petito. Quid enim? Genealogus iste a RADEBOTONE, seu potius ab uxore eius ITA, incipit, cum contra CONRADUS noster a GUNTRAMNO, avo eius, orsus, multo accuratiorem notitiam ad ALBERTUM III. usque (licet sparsim, & aliud agendo) suppeditet, atque una diplomatibus iunctus, plenam sane faciat fidem. Ulterius quidem procedit dictus Ge-

Genealogus, ſed cum diplomata, ut oſtendimus, adſint cum accuratiora, tum fide digniora, plane conſequitur, eo poſſe ex toto ſuperſederi; hocque ideo etiam; quod ut mancus & mendoſus, rem omnem conturbet magis, quam iuvet. Omni itaque iure, adeoque nullius cum iniuria, dicimus, pronuntiamus: hiſtoriam Genealogiæ Auguſtæ Gentis Habsburgicæ, id eſt origines eius, atque progreſſus, ſolis civibus San-Blaſianis, CONRADO puta atque HERRGOTTO, deberi, non aliis. Sed hæc hactenus.

APPENDIX II.

CONRADI, Monachi S. BLASII in Nigra Silva, Chronicon Bürglenſe exhibens.

MONITUM.

DE auctore huius Chronici, antehac inediti, egimus lib. I. cap. XII. num. IX. pag. 108. *ſed ibi, quod advertere liceat, mendum irrepſit typographicum, ut pro an.* 1145. *annus* 1154. *legatur. Ob diem emortualem eiusdem in* Appendice ad Murum & Ante-Murale *pag.* 28. *diſſidere dicuntur* San-Blaſiani & Murenſes, *quorum hi* 2. *illi* 11. *Novembris ponunt. Sed facile contigit, ut ſcriptores recentiores num.* II. *Romanum pro Arabico* 11. *qui tum necdum in uſu fuerat, legerent. Quare pro ſecundo Novembris ſtandum videtur. De ſcriptis eius cit. cap. XII. num. XIV. diximus. Hic iam addendum: præſens chronicon* CONRADO *noſtro auctoritate non quidem autographi, ut quod bonam partem mutilatum, initio caret, ſed fide apographi adſcribi, hæc præferentis:* CHRONICON DE BÜRGLEN CONRADI MON. *Non addit quidem* San-Baſiani, *ſed ex hoc monaſterio fuiſſe, cum aliunde, tum ex contextu facile colligitur. Apographum ab* Udalrico BUGK, *Canonico & Notario Cæſareo, Collegiatæ Eccleſiæ Maioris Tigurinæ proficiſci cit. pag.* 112. *diximus, qui & idem in linguam vernaculam transtulit, additis ubique ſummariis Capitum, ſeu titulis, quos edimus. Eidem cit. loc. iniuriam pæne fecimus. Summaria capitum, ab illo additorum, barbariſmis reſperſa eſſe ſcribentes.*

 Sed

Sed ſententia præcipitata neceſſitatem nobis imponit, ut hic canamus palinodiam.

Orthographiam quod attinet, ad fidem & normam autographi ubique exegi; hinc cum v. g. auctor diphtongo æ paſſim utatur, ſecus, ac fecit laudatus Notarius noſter, illum, non hunc, in omnibus, adeoque etiam, ubi ab autographo deſtitutus fui, ſequendum putavi. Nomina virorum, ac mulierum propria, ſi quando ſingulis litteris, ſeu initialibus duntaxat, ſcripta occurrunt, ſupplevi, ubi ſcire potui, litteris pronis: interpoſito poſt initialem litteram puncto, ut lector eo minus tardaretur, atque ſua rei conſtaret integritas. Adſperſi præterea in calce paginarum, ſicubi viſum fuit, notulas quaſdam, quæ, quia lectoribus uſui eſſe poſſe credidi, æqui, bonique ut conſulantur, rogo.

Qualiter Monaſterium in monte Bürglen inchoatum ſit, & cuius mons ipſe antea fuit?

CAP. I.

OMne, quod prædicatur aut ſcribitur, ſi veritatis ratione caret, vacuum & inane non ambigitur. Vnde ad depellendas caliginoſas tetræ oblivionis tenebras, & ad veræ cognitionis luces ſerenandas, ſtili narratione duximus dignum, ad utilitatem poſterorum, qualiter Dei ſervitium in monte Bürglon (1) monaſteriali more ſit initiatum. Prædictus namque mons cum omni ſua pertinentia in Dominium parentelæ, quæ dicitur de *Caltinbach*, attinet hereditario iure a progenitorum proſapia, & illorum poteſtati deditus fuit & ſubditus curæ. Nam pridem vetus ibidem conſtructa habebatur eccleſia, ac unius Clerici informabatur inſtantia: Nunc vero Domini opitulante gratia monachorum (uti in præſenti cernere eſt) ſolerti inſtituitur vigilantia.

De nobili generoſitate Domini WERNHERI *de Caltinbach, &* ITÆ, *uxoris ſuæ fecundiſſimæ, fundatorum & auctorum a primordio Cellæ Bürgilon, deque eorundem honeſtiſſima coniugali converſatione.*

CAP. II.

HIs ita præmiſſis, libet de generoſitate Domini WERNHERI, qui Auctor eius fuerat Cellæ, aliquanta breuiter recapitulare. Venera-

(1) Eſt hic mons Friburgo Baſileam proficiſcentibus a ſiniſtris, verſus nigram ſilvam ſitus, diſtatque a Friburgo milliaribus Germanicis tribus & ſemis, a Baſilea vero milliaribus præter propter tribus. Monaſteriolum hodieque ſubſiſtit, at in Præpoſituram ut diximus, commutatum.

nerabilis namque W. *ernherus* Prisaugia prouincia alto genere natus, competentem nobilitati suæ coniugem est sortitus. Erant autem non solum (ut dictum est) uterque a proauis, seu etiam ab attauis nobiliter progeniti, verum etiam prædiorum ac familiæ utriusque sexus, & ætatis admodum dilatati. Verum cum in primæuo iuuentutis flore legittimo ordine nuptiis insedissent, easdemque nuptias secundum seculi dignitatem magna populositate peregissent, quale eis vinculum caritatis atque castitatis ad inuicem fuerit, non est facile dictu. Erat enim eis unum nolle, & unum velle, atque, ut scriptum est, erat eis *cor unum & anima una.* Fuit in illis beata vita, assidua in pauperes Christi in Dei amore elemosina largiter, & secundum sanctum Iob: hostium eorum patuit vianti, nunquam claudebatur peregrinanti. At nondum sexti percurrerunt climata lustri, quo totius sobolis in tribus filiis, & duabus filiabus Dei dono extiterunt parentes dulcissimi.

De Caritatiua Eorundem in sacerdotes Christi, *& ecclesiarum Dei, Religiosos, præsertim in fratres Sancti* Blasii, *obseruancia singulari & protectione.*

Cap. III.

Inter cetera, quæ largitus est eis Dominus innumera beneficia, nonnulla a progenitoribus sanctarum ecclesiarum hereditatis limina, quarum Advocatias humane tractauerunt, non Simoniaci Simoniacis vendiderunt: sed pastores idoneos undecunque eligentes, ipsis pascendas Christi commendabant oves. In tantum autem honorabant sacerdotes, ut nunquam illis, vel bonis eorum, vim inferrent, seu aliqua læsione defraudarent, sed parentes eorum & magistros vocitantes, & inter conuiuas mensæ suæ sœpius aduocantes, quippe qui nunquam absque benedictione sacerdotali, cum facultas inueniendi eum adesset, cibum percipere consueuerunt. Monachos & ceteros spirituales ad hospicia sœpius conuocauerunt, in quorum aduentu non minimum tripudium tenuere: & quamuis cunctis quasi Christo deseruirent, & in cunctis eis prospicerent, fratres tamen sancti Blasii unice diligentes, & paterno honore obseruantes, ceteris omnibus & præ omnibus præposuerunt.

De laudabili venandi consuetudine Domini Wernheri, *& in pauperes* Christi *exinde nihilominus dapsili observatione.*

Capitulum Quartum.

Erat venerabili W. *ernhero* solennis consuetudo opaca siluarum lustra-

lustrare, venandi gratia; nam ferarum, ursorum & ceruorum, nec non & aprorum illis in locis depascitur fertilitas magna, & cum sœpius tale frequentaret exercitium, tamen Dominicum non est oblitus adimplere præceptum; nam seu in prati amœnitate, seu etiam in nemorum opacitate pransurus erat, pauperum iussit aduenire conuenticula, quibus per se ipsum studuit ciborum & potuum solatia ministrare.

Qualiter G.*ilbertus episcopus Constantiensis* W.*ernberum & filios suos de Kaltenbach pro morum honestate summe dilexit, ob idque eis benedixit, & ecclesiam infra menia domus eorum in Caltenbach in honore sancti* MICHAHELIS *consecrauit.*

CAPITULUM QUINTUM.

EO tempore GILBERTUS (2) sanctæ Constantiensi præfuit ecclesiæ, vir Deo deuotus, ac omni imbutus disciplina spiritualis allegoriæ. Hic Deo dilectus Pontifex pro honestate morum non modice dilexit Dominum W.*ernherum*, in tantum, ut multotiens in suis tribulationibus (3) eius non dedignaretur uti hospitio, cumque dulcisono verborum suorum demulceret alloquio, filios etiam scilicet WERNHERUM & WIPERTUM Pontificali sublimauit benedictione, & ut in adoptionem filiorum Dei mererentur asscribi, sua intercessit oratione. Quæ in illis quantum præualuerit oratio, felix eorum conuersio, ac nobilis eorum ac pia postmodum multis declarauit conuersatio. Prædictus ergo Pontifex, ut perfectam in ipsos manifestaret caritatis abundantiam, infra mœnia domus suæ, ipsis petentibus, Domino in honore Sancti MICHAHELIS Archangeli benedixit ecclesiam, quam ipsi decimis & prædiorum redditibus decenter honorarunt dotatam.

Qualiter W.*ernherus de Caltenbach miliciæ suæ cingulum exuens, Religioni se una cum coniuge sua* ITA *Religiosissima Abbati Sancti* BLASII *tradidit.*

CAPITULUM SEXTUM.

AT pius Dominus, qui quos diligit, castigat & flagellat, hunc, de quo loquimur, piæ memoriæ WERNHERUM, oculorum obnubila-

(2) GILBERTUS seu GEBHARDUS III. ex Ducibus *Zaringensibus*. (3) Tribulationibus, subintell. episcopi; qui scilicet ab ARNOLPHO de sancto monte, episc. Constant. intruso, exulare cogebatur, idque maximam partem in Brisgovia apud fratrem suum BERTHOLDUM III. Ducem *Zaringiæ*. Vid. Gall. Christ. tom. V. col. 909.

nubilatione, ceu paterna uirga, flagellauit, ac ſic eum flagellando ad cœleſtia capeſſenda prouocauit. Quia vero ſanæ mentis erat, &, ut ita dicam, ſanatus, a non ſanatis ſecedere geſtiebat, ROSTENUM tunc temporis Abbatem Sancti BLASII adiit, ipſiusque conſilio militiæ cingulum depoſuit, coniugemque ſuam, quæ ſibi tutam atque ſinceram fidem ſeruauerat, & ut ad id mereretur pertingere, lacrimis, multisque precibus implorauerat, Deo & Sancto BLASIO in ſanctimoniæ caſtitate ſeruituram obtulit, ac deinceps Monachili tectus tegmine, ipſaque ſacro uelamine, CHRISTO uero regi inculpabiliter militauit uterque.

Qualiter & quando omnia predia Domini WERNHERI, *que in tribus regnis, ſc. Priſaugiæ, Burgundiæ, & Recienſis* (Curiæ) *habebat, per* WYPERTUM *eius filium, in ſeculo relictum, Deo & Sancto* BLASIO *tradita fuerunt.*

CAP. SEPTIMUM.

HIs ita de generoſitate ac religioſitate iuſtorum horum prælibatis, ad narrationis ſeriem redeamus. Igitur, ut dictum eſt, vir Deo deuotus W.*ernherus*, nec non & prudens coniux eius ITA, ſeculo renuntiantes, prædia ſua, quæ in trium regnorum diſcurſu, ſcilicet *Priſaugiæ*, *Burgundiæ*, *Retienſis Curiæ*, exceptis his, quæ in dotis partem ſeceſſerant filiæ ſuæ H. (4) cetera omnia, omni contradictionis remota uecordia, publica & aperta delegatione tradiderunt, Deo & Sancto BLASIO deinceps in perpetuum ſeruitura. Hæc autem traditio, ſeu delegatio, non tunc quidem, ut dictum eſt, eo in tempore facta eſt, ſed aliquantis interpoſitis annis, cum bonæ memoriæ WIPERTUS, filius eorum, qui patri in hereditatem ſucceſſerat, inſtinctu Diuino & ipſorum conſilio, & maxime fratris ſui WERNHERI, a quo unice dilectus, quem ſingulariter diligebat, qui & ipſe tunc temporis monachus factus erat. Horum ergo conſilio WIPERTUS adveniens, traditionem prælibatam efficaciter (5) multis tam maioribus quam minoribus coram aſtantibus, patre & matre, & fratre, manu, aſſenſu, conſenſum in id ipſum præbentibus.

(4) Num H'MELTRUDA, an HEDWIGA vel HEDWIGIS legendum, non ſatis conſtat.
(5) Forte ſupplendum: approbavit.

Quando & qua potissimum de causa Prepositus & Monachi in Monte Bürgilon institui ceperunt.

CAP. VIII.

HAc peracta affectuosa traditione, senior WERNHERUS secedens ad Reuerendum ROSTENUM Abbatem, intimauit illi desiderium cordis sui super locum, qui dicitur Bürglen, asserens, quod locum corde diligeret, animo retineret, eo quod parentes illius ubicunque terrarum contingeret mori, aut gladio interimi, omnes ad eundem locum iusserunt se transportari, ibique sepeliri. Hac de causa rogauit Dominum Abbatem, ut Presbytero H. *eribortone* (6) qui eo tempore sacerdotio fungebatur in præfata ecclesia, scilicet Bürglen, ex hac uita decedente, Monachos transmitteret, qui regularem inibi uitam obseruare deberent. Hæc omnia, quoniam non facile sibi aliquid denegare potuit, concessit Abbas, &, ut ita perficerentur, iussit, sed heu inopinata morte præuentus, quæ ob dulcedinem dilectorum filiorum actitabat, perficere non obtinuit (7). Ordinatus autem dilectus Deo & hominibus Abbas BERCHTOLFUS, quem prædecessor suus statuerat, ipse sagaci industria, ut ad plenum perficeret, festinabat; nam defuncto bonæ recordationis H. *eribortone* Presbytero, BERCHTOLFUS Abbas venerandus, consilio fratrum suorum, WERNHERUM prædictum ac sœpe dicendum WERNHERUM, senioris WERNHERI filium, cum aliis duobus fratribus, iniuncto sibi Præpositurae officio, ad præfatum transmisit locum, mandans, ut sacræ religionis ibidem initiaret institutum.

Que & qualia predia ex allodio Domini W. ernheri, per ipsius & Abbatis Sancti BLASII *& fratrum suorum ordinacionem, nec non Ducis* CHOVNRADI, *Advocati Sancti* BLASII, *accedente voluntate, cum omni iure suo ad Prepositum in Bürgilon sint spectantia.*

CAP. IX.

ET ut plenius possent diuini officii obseruare deseruitia, consilio fratrum, nec non & COVNRADI Ducis (8) voluntate, advocati San-

(6) Hoc ei nomen fuisse, discimus ex charta anni 1130. VIII. Febr. apud HERRGOTT Gen. Dipl. tom. II. num. CCXI. ubi UDALRICUS II. ep. Constant. de eo sic loquitur: *Felicis memoria fratre nostro* HERIBORTONE *carnis ergastulo vocatione Divina educto*, BERTOLFUS *Abbas de S.* BLASIO, *monachos suos ad eundem locum direxit.*

(7) Electus est an. 1108. e vita excessit XII. Cal. Oct. an. 1125. non sine fama sanctitatis.

(8) de *Zaringen.*

Sancti Blasii, concurrente, venerabilis Abbas Berchtolfus de allodio Domini W. *ernheri*, prout ipse rogauerat ac dispofuerat, ad eundem locum ordinauit, & ex tunc ac deinceps regularis vitæ tramitem in eodem loco obseruare denuntiauit. Hæc autem prædiorum sunt nomina, quæ huic, de quo loquimur, loco, sunt, ut diximus, delegata omnimodo, scilicet Ekinheim cum omni iure, Caltinbach, Eimuntal, Sicinchilcha.

Qualiter Prepositura Bürgilon per Papam Innocencium *Moguntino Archiepiscopo ordinanda & confirmanda mandatur.*

Cap. X.

SEd hæc transmutatio scilicet ex clericali officio ad monasterialis uitæ disciplinam, sacerdotes illius prouinciæ non minime offendit, in tantum, ut sanctæ memoriæ Ovdalricum de *Tilingen*, sanctæ Constantiensis ecclesiæ tunc Pontificem, sœpius conuenientes, ac multimodis querimoniis impellentes, ut ad prioris clericalis officii instituta locum reuocare mandaret, insistebant; unde compulsus venerabilis Abbas Berchtolfus, Dominum A. *delberonem*, tunc temporis Sancti Blasii Priorem, ad Apostolicam transmisit sedem, cui præerat vir Religiosissimus Innocentius (9) omni deuotione deposcens, ut sacræ religionis initia in eodem loco Apostolica confirmaret auctoritate. At pius pater in multiplicatione spiritualium filiorum gauisus, scripsit Archiepiscopo (10) Moguntino, ut prudentia sua omnia ita disponeret, ut & monasterialis disciplina in monte Bürglen perseveraret, & petitioni Clericorum, habito consilio, aliunde concurreret. Prædictus ergo Moguntinus Archiepiscopus, sapienti fretus consilio, id negotium Constantiensis ecclesiæ commisit episcopo Ovdalrico nomine, denuncians, ut fratrum Deum timentium concione habita, prudenti discuteret industria, ac secundum Apostolicam sanctionem synodali determinaret sententia. Pontifex ergo Ovdalricus spiritu divino subnixus, rem sibi commissam tractans, & iterum atque iterum retractans, opere infecto, ex huius mundi recessit exilio.

(9) Substituendum: Honorius II., ut liquidum fit ex charta, in nota ad cap. VIII. num. 6. laudata, qua continetur Odalrici, *episcopi Constantiensis, confirmatio transactionis super loco* Bürglen. Cum enim hæc data sit an. 1130. die vero *VI. Idus* seu VIII. Febr. Honorius autem die primum XIV. eiusdem anni & mensis obierit, non potest non auctor hic lapsus esse. Adde: quod charta, inferius num. 21. adducenda, Honorium ut auctorem huius transactionis expresse nominet.

(10) Adelberto scilicet, ex Ducibus Lotharingorum.

exilio. Poſt hæc ſuccedente uenerabili eiusdem nominis OVDALRICO (11) fratres ſancti BLASII eundem adierunt Antiſtitem, intimantes illi Apoſtolicæ præceptionis datas litteras, nec non & Moguntini epiſcopi prædeceſſori ſuo data mandata, orantes & obſecrantes, ut ea, quæ piæ memoriæ OVDALRICUS hac de cauſa inchoauerat, ipſe in Dei amore & pro Dei remuneratione perficienda & ſtabilienda ſapienti conſilio ſatageret. Præſul (12) itaque negotii cauſam inſpiciens, inſpectamque ſœpius diſcutiens, omni cordis uigilantia pacem firmare, diſcordiarum nitebatur frutecta reſecare; nam hinc fratrum Sancti BLASII precibus commouebatur, illinc vero ſacerdotum conuentibus propellebatur. Tandem uero uenerandus Pontifex diuino inſtructus conſilio, idem negotium DIEMONI commiſit Archipresbitero, per obteſtationem ſanctæ obedientiæ, denuncians, ut fratrum Sancti B. *laſii* & ſacerdotum, nec non & laicorum religioſorum facta coniuentia rem diligentius ventilarent, & in timore Dei, ſecundum eorum conſilium determinarent. Igitur apud uillam *Liela* DIEMO Archipresbyter conuocans fratres Sancti B. *laſii*, ADELBERONEM ſcilicet Priorem Sancti B. *laſii*, poſtea *Baſilienſem Præſulem* (13) W. *ernherum* & W. *ipertum*

(11) De *Caſtell*, qui ex monacho S. BLASII, in Nigra Silva, anno 1127. electus, poſt annos XI. id eſt, anno 1138. ob varias acceptas iniurias abdicans, ad ſuum, unde venerat, remeavit monaſterium, ibique finem vitæ fecit circa an. 1140. Vid. *Gallia Chriſtiana* tom. V. col. 913. Diem obitus ad VII. Cal. April. reponit Necrolog. *San-Blaſianum*.

(12) Hoc loco fragmentum autographi orditur.

(13) Qui alia dialecto ADELBERTUS, ſeu ADELBERCTUS, ex Comitibus de *Froburg*. Is teſtantibus MSS. noſtris anno 1130. a Prioratu *San-Blaſiano* ad Abbatiam *Nunburgenſem* in Saxonia vocatus, anno inſecuto 1131. epiſcopus *Baſileenſis* electus eſt. R. P. *Claudius* SUDANUS S. I. in *Baſilea Sacra* (nam is eius auctor eſt; pag. 195. electionem hanc ad an. 1130. conſignat: ſed rem haud tetigit) quandoquidem BERCHTOLDUS, prædeceſſor eius, dicto anno 1131. d. XXIV. Iun. adhucdum ſuperfuit, ut nuper ex diplomate LOTHARII R. R., quo *Dilecto & fideli noſtro Domino* BERCHTOLDO, *Sancte Baſilienſis ecclesie venerabili episcopo*, argentifodinas in pago *Briſik-kouwe* confirmat: id quod ex Catalogo *epiſcoporum Baſileenſium* MS. auctore D. *Leonardo Leopoldo* MALDONER, Friburgenſi, Reverendiſſimi & Celſiſſimi ep. Baſileenſis, IOSEPHI WILHELMI, Conſiliario Aulico & Archivario, nuper admodum perhumaniter cum P. R. D. P. HERRGOTTO communicato, didicimus. Ad plures abiit an. 1137. teſtante codice MS. coævo, res *San-Blaſianas* ſeculi XII. referente, cuius exemplum alterum in Principali monaſterio *Murenſi*, alterum in Abbatia *Engelbergenſi* aſſervatur. Errat ergo SUDANUS iterum, quando loc. cit. p. 196. obitum eius ad ann. 1139. vel cum URSTISIO ad an. ſequentem 1140. referri poſſe putat. Certe in codice diplomatico Archivi noſtri Bulla INNOCENTII II. PP. reſtat, qua ORTLIEBO, ADELBERONIS ſucceſſori, an. 1139. XVIII. *Cal. Maii* plurimæ poſſeſſiones & privilegia confirmantur. Eandem quoque adducit laudatus D. MALDONERUS.

pertum OVDILRICUM, GERUNGUM, ipſe cum fratribus ſuis ſacerdotibus, quorum nomina poſtea notabimus, occurrit, cunctisque in unum confidentibus, Divina fauente clementia, unanimi ſententia, condigno fine, cunctis aſſentientibus, prudenti determinarunt prouidentia. Hæc ſunt nomina, quorum conſilio & induſtria hæc diſpoſita, & ordinata ſunt beneplacita: HERIMANUS Decanus de *Mulnheim*, CONSTANS de *Bricinchouin*, EBERHARDUS de *Betibur*, IOHANNES de *Ovcheim*, LUDEWICUS de *Ekkinheim*, BURCHARDUS de *Liela*. Inter quos affuerunt proceres ROVDOLFUS, nuncius Ducis C. *onradi*, & frater eius BERTHOLDUS de *Bandin* (14) ANSHELMUS de *Buccingin*. Si quis autem cauſæ huius diffinitionem & pacis confirmationem plenius uoluerit ſcire, privilegium (15) quod prædictus Pontifex Ov. *dalricus* in recordationem & roborationem huius inſtituti iuſſit conſcribi, ſtudeat legere, ubi plane & aperte omnia poterit intellegere. Igitur omni diſcordiarum obnubilatione, flante vero auſtro, remota, tanta extimplo tranquillitatis ſerenitas circumfulſit locum, ut ex quorundam

(14) Ita MS. Apographum præfert: *de Baden*. At charta, mox citanda, ſic habet: RODOLFO *de Badin*, *advocati* CHONRADI *ſcilicet Ducis*, *legato*. Qui, ut hoc obiter notem, non *Marchionibus* de *Baden*, ſed, ut omnino veriſimile eſt, illuſtri potius familiæ *Baronum* cognominum, hodie adprime florenti, cuique locus *Liela*, ſeu *Liebl*, ubi tum conventus iſte agebatur, hodieque paret, adnumerandus eſt; ſecus enim titulus *Marchionis* cur omitteretur? quandoquidem ubi in eadem charta HERMANNI, *Marchionis Badenſis*, mentio fit, prædicatum *Marchionis de Baden* continuo additur. In eadem charta OTTO quoque *de Baden* memoratur, ſed is inter parochos provinciæ, ut ex contextu patet, recte computandus.

(15) Extat hæc charta apud HERRGOTTUM loc. cit. num. CCXI. quæ & ibid. legi meretur. Nos, ad firmandam & illuſtrandam quadantenus hanc narrationem, pauca inde decerpemus. „ Eapropter (ait UDALRICUS epiſc. Conſtantienſis) ſecundum præceptum, petitionemque Archiepiſcopi, nec non etiam uſi conſilio fratrum noſtrorum . . . DIEMONI Archypresbytero, & HERIMANNO Decano negotium illud commiſimus, rogantes ac præcipientes, ut, aſſumptis, quoscunque vellent, de fratribus ſuis, rem totam, ſicut diximus, diffinirent. In villa igitur Liela convenientes ex parte noſtra DIEMO Archipresbyter, HERIMANNUS, UDELMARUS Decani, ROSTEINUS de *Chilichovin*, EBERHARDUS de *Scopfein*, CONSTANS de *Brizzinchovin*, BURCHARDUS de *Liela*, OTTO de *Badin*. Ex parte Abbatis ADELBERO Prior, ODALRICUS, WERNHERUS, WIPERTUS, WERNHERUS, fratres de S. BLASIO . . . . Quapropter ea, quam diximus, commutatio perpetrata eſt apud *Ekkinheim*, præſentibus & aſſenſum dantibus D. Archipresbytero GERUNGO de *Blanſingen*, LUDEWICO de *Ekkenheim*, IOANNA de *Ouchcim*, ODALRICO, WERNHERO, GERUNGO, HUGONE, WIPERTO, fratribus de S. BLASIO: RUDOLFO de *Badin*, advocati CHONRADI ſcilicet Ducis, legato. ANSELMO de *Bucginin*, & omnibus fere parochianis. . . . . Data VI. Idus Februarii feria VII. anno ab incarnatione Domini MCXXX. Indictione VIII. Anno regni *Lotharii* V. Actum *Baſilea* feliciter. Amen. „

dam donationibus admodum dilataretur, & non modice a multis veneraretur.

Qualiter DIETWINUS *Cardinalis & Legatus ſedis Apoſtolice eccleſiam in Bürgilon in honore Sanctorum* IOHANNIS *Baptiſte*, & IOHANNIS *Euangeliſte conſecrauit.*

CAPITULUM XI.

SEd nec reticendum, quod ſanctæ recordationis DIETWINUS Kardinalis Sanctæ RUFINÆ & Apoſtolicæ ſedis Legatus rogatu Domini B. *ertolfi* Abbatis piiſſimi, eundem locum adiit, & concurrente totius prouinciæ tam Clero, quam populo, cum omnium gratulatione eccleſiam Deo in honore Sancti IOHANNIS *Baptiſtæ* & *Evangeliſtæ* conſecrauit; & ut regularis ibidem diſciplina amodo obſeruaretur, Apoſtolica auctoritate ſcriptis demandauit & dictis.

Confirmatio & ratificatio predictorum omnium Domini INNOCENTII *Pape ſecundi.*

CAP. XII.

HAnc ſane litigii determinationem & ſacri ſeruitii augmentationem, Domnus INNOCENTIUS PP. II. rogatus a uenerabili Abbate B. *ertolfo* priuigegii (16) ſui auctoritate roborauit, & ut omni deinceps tempore monaſterialis obſeruatio ibidem ſeruaretur, Apoſtolica auctoritate firmauit, ſanciuit & inſtituit.

De honeſta Domini WERNHERI *de Caltinbach ab ineunte etate ſue vite conuerſatione, exindeque eiusdem & Religioſæ uxoris ſuæ* ITÆ *felici tranſitu, atque extremi diei clauſione.*

CAP. XIII.

DEſcripta igitur loci uenerabilis in regularis uitæ tramitem (17) reſtat dicere, qui & vel quales fuerint, qui eundem extulerint locum, & quorum *reliquiæ* (18) eodem recondita ſint loco, ſeu quorum donationibus prædiorum idem ſuſtentatus ſit locus. Venerabilis & deuotus Chriſti famulus W. *ernherus* ſenior de *Caltinbahc* poſt abrenunciationem ſeculi, Monaſterium ingreſſus, orationi intentus, honeſtus, iuſtus permanſit & quietus. Nec mirum ſi tunc perfectioni operam dabat, quippe qui ab ineunte ætate tantæ innocentiæ

(16) Ita authographum. Apographum contra recte: priuilegii.
(17) Forte ſupplendum: mutatione.
(18) *Reliquiæ* in autogr. haud legitur; mallem *corpora*, ut cum *recondita* conveniret.

centiæ & ſimplicitati deditus fuit, ut ab omnibus honoraretur, amaretur, frequentaretur. Domino autem diſponente, penſum perfectionis ei dare, correptus febre, uehementi cepit infirmitate laborare. Et cum per aliquod tempus ingraueſcente languore æſtuaret, laſſeſcente corpore deficiens II. Kal. Septembris feliciter obiit, *Anno* MCXXV. (19) feliciusque in Domino, ut credimus, obdormiuit. Ante paucos autem dies dormitionis ſuæ ad cellam, *Sulzeberc* nominatam, tranſierat, uiſitationis gratia religioſam ſuam relictam I. *tam*, quæ illic religionis gratia a *Beroenſi* cenobio a Domino Abbate cum ceteris ſororibus fuerat transmiſſa, ibique letali tactus febre, ante mortem ſibi non licuit remeare. WIPERTUS autem audiens patrem dilectiſſimum apud *Sulzeberc* infirmari, aſſumptis ſecum quibusdam ex fratribus, omni cum feſtinatione perrexit ad uiſitandum eum. Cumque ueniſſet ad iam dictum locum, & inuenit eum iam defunctum, & locum ad ſepulchrum iam deſtinatum. Quod ut uidit, membris omnibus intremuit, aſſerens, ſe nullo modo pati, patrem dilectiſſimum ſepulturæ fratrum Sancti BLASII inmunem fore. Corpore igitur patris uehiculis impoſito, impiger perrexit, & in die ſancto Dedicationis, aſtantibus fratribus ceteraque tam cleri quam plebis copioſa multitudine, cari corpus tradiderunt ſepulturæ. Poſt hæc autem religioſa & Deo amabilis ITA, precibus & lacrimis inſiſtens, implorabat Domini pietatem clementiam (20) ut ſpiritum & animam ſui cari ſanctorum ſuorum gaudiis iuberet aſſociari, & ut eam in hac ualle lacrimarum diutius non pateretur peregrinari. Cuius petitioni auris Diuina non defuit; nam non poſt longum temporis ex huius exilii ærumnis aufugit. Poſt V. etenim menſium curricula graui languore pulſata, uti petierat, ex hoc mundo anno MCXXVI. IIII. Idus Martii eſt liberata. Cumque iam iamque ultimum attraheret ſpiramen, WIPERTUS filius eius ante eam procumbens, o dulciſſima inquit mater quomodo uel qualiter habes? conualeſcere ſperas? Intuita eum, prout potuit, tale reſponſum edidit: *Inclina Domine*, inquiens, *cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam*, cumque ille cauſaretur uim verborum ſe non intelligere, reſpondit: Interroga Dominum & magiſtrum meum, qui in præſenti adeſt, & dicet tibi interpretationem uerborum iſtorum, & caue diligenter, ne aliquando dece-

(19) *Anno MCXXV.* Hanc æram, quemadmodum & reliquas ſubſequentes, ſecunda manus, antiqua tamen, adiecit; id quod ſemel notaſſe ſufficiat.

(20) Ex his duobus vocabulis prius alteri ab eadem manu ſuperpoſitum eſt.

decedant seu depereant de animo tuo. Erat tunc temporis in eodem claustro scilicet *Sulzeberc* Prior uenerabilis WEIRN dictus nomine, qui cum interrogatus, intimasset interpretationem huius sententiæ, illa gaudens migravit ex angustiis præsentis uitæ.

De laudabili vite & morum Domini WERNHERI *de Caltinbach sanctitate & merito excellenti, insigniumque virtutum eiusdem mirabili claritate & consummatione.*

CAP. XIIII.

VTile satis est & honestum ad instructionem futurorum gesta seu dicta commemorare perfectorum uirorum. Vnde non incongruum duximus in medium proferre, quis vel qualis seu quanti meriti apud Deum & homines fuerit, de quo descriptio stili discurrit. Hic siquidem fortis & inuictus WEIRNHERUS nomine dictus, uerbis facundus, moribus compositus, & ornatus, honestate conspicuus. Hic ergo iuuentutis flore mundo satis nobiliter secundum datas a Deo sibi diuitias militans, postea spreto mundi principe, CHRISTO ueroRegi in monasterio militauit honeste. Uerum in monasterio eius qualis fuerit conuersatio, non est facile dictu, quam humilis, quam sobrius, in consilio quam prouidus, in monasterii utilitatibus quam strenuus, in corripiendo seuerus, in exhortando quam dulciloquus, inter discordantes pacificus, inter litigantes suadibilis & karitatiuus. His & huiusmodi pigmentis dulcoratus, bono rumore se intuentium mentes attraxit, ceu bono odore. Nimirum fratribus omnibus gratus & acceptus, ab omnibus in Præpositum est electus. At ipse custos humilitatis suæ mauult subesse quam præesse. Vnde factum est, ut nunc Præpositus, nunc sub Præposito, nunc elemosinarius, aliquando etiam foret armentarius. Ubicunque autem se uerterat, uel quicquid sibi commissi officii actitabat, Dominus, qui est super omnia benedictus, sua benedictione semper fulciebat & augebat. Abbas nec non & ceteri fratres, senes & iuuenes in tribulationibus & angustiis, quibus plurimum impellebantur, W. *ernherum* vocare, W. *ernherum* adesse, W. *ernherum* clamitabant succurrere. Quibus ille aliquociens quasi iratus abnegabat, at uero secedens parumper & secum deliberans, supra, quam rogabatur, adiciebat. Prædia monasterii ubique dilatabat, res possessiuas seu uariam suppellectilem magnifice multiplicabat. Hinc factum est, ut nomen W. *ernheri* multorum crebresceret per aures, hinc proceres illum nomi-

nominarent, illinc optimates illum diligerent, Comites & Duces, ſacerdotes CHRISTI, ſed & ipſi præſules, & quod his omnibus maius eſt, totius orbis Imperatores, de nomine W. *ernheri* quæritabant, eius prouidentiæ atque conſiliis plurima committentes. Dicam fortaſſe inauditum & incredibile: quia uiculus ille, de cuius nominabatur pronomine, ſcilicet C. *altenbach* (21) uilis & deſpicatus, quippe qui ſcopulis & montanis undique circumdatus, in tantum eius cognomine percrebuit, ut mundi Domina Roma, & ipſi Romani Principes, eius nomen notum habuerint. Erat idem uir præclarus, multæ patientiæ, magnæ abſtinentiæ, tribulatis compatiens, & ſuper afflictis pia geſtans uiſcera, duros & improbos ſeuere corripiebat, ut illud SALEMONIS in eo impleretur: *Verba ſapientis ſicut ſtimuli & ſicut claui in altum defixi.* Inter cetera, quæ de eo referuntur uirtutum merita, illud inſigne in eo enituit, quod dicitur elemoſina, qua adeo eſt illectus, ut plerumque ſuis exutus ueſtibus, miſeri contegeret artus. Vidimus me-

(21) Iuvat hic chartam inſerere, cum id ipſum, tum alia etiam, huc pertinentia, illuſtrantem. Aſſervatur ea in Archivo S. BLASII & ita ſonat: „ In nomine S. & individuæ Trinitatis. HERMANNUS Conſtantienſis ecclesiæ epiſcopus per omnia diſponentis Dei gratiam. Noverit omnium tam præſentium, quam futurorum fidelis devotio, quia in *nigra ſilva*, in pago *Priſacaudia* ſita eſt quædam eccleſia in villa *Chaltenbach*, quæ quidem eccleſia ab omni aliarum eccleſiarum ſubiectione libera & abſoluta cognoſcitur, quantum ad ipſam ſpectat, niſi quod, quando Epiſcopus vel eius nuntius ſedet in iudicio apud *Chandero*, ibi debet occurrere & iudicium pati pro Eccleſiaſtico iudicio & iure populus de prædicta villa. Hæc tamen eccleſia, quamvis curam hominum in ſuis terminis poſitorum habeat, non tanta præpollet ſubſtantia, quæ ſufficiat cuiquam Clerico ad victum & veſtitum. Quod ego ſolerti atque pia pertractans conſideratione, conceſſi atque adiunxi prædictam eccleſiam *Chaltenbach* cum omni facultate ſua, & ea, quæ ei pertinet cura animarum, eccleſiæ de Burglun, ea lege, quatenus Prior eiusdem cellæ cum fratribus ſuis libere ac ſapienter præſit ac provideat eidem eccleſiæ & hominibus eo pertinentibus. Hoc autem conceſſi petitione GUNTHERI Abbatis monaſterii S. BLASII, WERNHERI & WIPERII, quorum parentes exſtiterunt fundatores eccleſiæ de *Chaltenbach* & cæterorum religioſorum virorum, præcipueque hæc cauſa ad hoc faciendum impulit, quod felicis memoriæ UDALRICUS de *Tilingin* meus prædeceſſor tranſtulit eccleſiam *Burglun* in poteſtatem monachorum auctoritate Domini Papæ HONORII atque *Mogontini* Archiepiſcopi ADELBERTI. Cœterum ut hæc conſtitutio inconvulſa permaneat in perpetuum, noſtro ſigillo impreſſo hanc paginam roborare placuit. Actum eſt Anno ab incarnatione Domini MCLV. indictione II. VIII. Kal. Februarii in loco qui dicitur *Hügelheim.* „ Hucusque Inſtrumentum. UDALRICUM de *Tilingen* appellat, qui negotium inchoavit, ab eius ſucceſſore, UDALRICO de *Caſtell* poſtea perfectum. Cetera ex ipſo chronico lucem accipiunt, & reddunt.

dia ieme, quæ ſolito aſperior inhorruerat, pauperem ſibi obuiaſſe ſeminudum, qui ſenio, infirmitate, famis & frigoris fatigabatur incommodis, in tantum, ut uix duorum ſuſtentaretur iuuamine baculorum. Miſeratus hominem, miſeratus conditionem, celare uolens rem, ſeceſſit a ſociis ſub arborem, & clam exuens, quo ſubtus indutus erat coopertorium, operuit pauperem nudum, datisque tribus numiſmatibus, iuſſit abire feſtinanter. Obuium habuimus pauperem, gratias agentem, ac ſi CRESI opes extimplo reperiſſet, tripudiantem. Sed quoniam Domini fuit dilectus iſte beatus, ideo acerrime ab eo eſt flagellatus; nam ante obitum plusquam per anni circulum uariis infirmitatum generibus tam duriter cruciabatur, ut interdum nec ſubſiſtere, ſed nec ſaltem lectulo decubare præualeret. His & aliis talibus meritorum inſigniis, quas enumerare longum eſt,

Conſumptus ſenio, languore, grauique labore,
  Suſpirat patriam ſcandere cœlicolam.
Mortem bisquini februi tulit ipſe Kalendis,
  Quem DEUS omnipotens pie cuncta regens,
Exemptum terris concedat uiuere cœlis,
  Luminis atque ſui det ſplendore frui.

Anno MCLVIIII. (22)

De militaris viri Domini W. yperti, poſtea ad religionem conuerſi, morum claritudine, eiusdemque in eadem Religione perfecta obſeruancia, transmigratione.

CAP. XV.

QUisquis pie ac ſobrie ſtuduerit uiuere, hoc accipiet in munere, ibi intereſſe, ubi ſemper adeſt uiuere. Quid autem decentius pietati, quam diſcretio boni ac mali? qui enim malum in ſe demit & bonum ſibi eligit, ſic eſt ceu qui per campos diſcurrens, multigenos flores ex frutectis decerpit. Quod intuens uir pius ac ſobrius W. *ipertus*, pietati omnibus modis fuit intentus. Hic militiæ & pompis ſeculi in DEI amore renuntians, obedientiæ armis munitus, CHRISTO deuote poſtea fuit militans; unde de talis uiri meritis pauca perſtringere nulli uideatur indignum, quia alicui futurorum erit proficuum & imitabile. Erat enim uir totius bonitatis, magnæ humilitatis, miræ benignitatis, iuſtitiæ amator, elemo-

(22) Hic ab autographo denuo deſtituimur.

elemoſinarum prodigus largitor, conſilio grandæuus, in interuentu ſtrenuus, in uniuerſa morum honeſtate præclarus, mitis in omnes, affabilis uniuerſis, etiam infimis, in rebus utilibus prouidus atque ſubtilis. Hunc omnes miro diligebant affectu, omnibus acceptus, cunctis extitit carus, res ſibi commiſſas prudenter ac ſapienter diſponebat, prædia augmentabat, uniuerſa tam in ædibus, quam in ceteris neceſſariis multiplicabat, fratribus ſtatutam annonam tam pie, tam alacriter prouidebat, ut omnibus carus eſſet & acceptus. Ceterum in ſuſcipiendis hoſpitibus quantum efficax, in miſericordiis pauperum quam eſſet ſagax, in infirmantium uiſitationibus quantum ſollicitus, non eſt facile dictu. Et quamuis in huiusmodi curis cum MARTHA multum eſſet occupatus, tamen optimam MARIÆ (23) elegit, in qua ex Dei gratia eſt & iuſtificatus. Fuit enim Diuini ſeruitii cultor eximius, in tantum, ut Canonicas horas nulla pateretur præterire occupatione præpeditus. Curſum etiam Dei genitricis MARIÆ per ſemetipſum inofficiabat quottidie, pſalmos familiares nequaquam uolebat præterire, pſalterium legebat aſſidue, Orationibus & ceteris exercitiis ſpiritalibus incumbebat frequentius, diſciplinis & caſtigationibus uehementer affligebat corpus. His & huiusmodi Deo & hominibus acceptus, ſenio & uiribus deficiens, languore graui correptus, iam, iamque morti factus eſt uicinus, & cum iam in omnibus membris debilitaretur, pura confeſſione & ſacri olei munitus unctione,

Martis in undenis deſungitur ipſe Kalendis.
Cuius ſis miſerans, te rogo, cuncta creans,
A pœnis ſoluas, peccati uincula tollas,
Ut tecum maneat, teque Deum uideat.

Qualiter Oberneckkynheim cum omni iure ſuo & pertinencia circulariter ex quatuor dominiis ad ius & poteſtatem ſancti IOHANNIS *in Bürgilon a principio deuenerit.*

CAP. XVI.

AD (24) diſſolvendos multiplices querimoniarum multigenarum non ſolum inutiles, ſed & noxios nodos, ſatis utile conſtat ac ratum, facta maiorum poſteris notificare certificatione litterarum. Vnde ad inſtructionem futurorum in palam referre decre-

 uimus,

(23) Supple: partem.
(24) Tranſitiones, præſaminibus ſimiles, auctori noſtro ſolemnes eſſe, alibi docuimus: idem & in hoc opuſculo fieri, obſervare eſt a cap. XIII. ad præſens usque.

uimus, qualiter bonæ memoriæ WIPERTUS cenobium, quod dicitur *Bürgilun*, cui fuerat in Præpositum prælatus, prædiis adauxerit, ædificiis ampliauerit. Ponamus ergo quasi in fundamento, quod dicitur *Ekkinheim*, qualiter illud de dominio IIII. Dominorum in ius & potestatem sancti IOHANNIS collegerit. Quidam consanguineus eius, nomine CHOVNRADUS de *Messon*, hereditauerat de matre sua GISILA IIII. partem illius silvæ, seu campi, cum una curti in uico, qui vocatur *Gorgendorff*, constitutam, ad cuius ius pertinebat eadem IIII. pars uillæ, quam commemorauimus. Prædictum ergo prædium apud *Gorgendorff* cum omni sua pertinentia, nec non & prædium, quod habuit idem CHOVNRADUS apud *Utinachum*, tam (in) uineis quam agris & pratis, & quicquid sui iuris ante extitit, comparauit venerabilis WIPERTUS CLXXXVII. talentis, *Basiliensis* monetæ. Acta sunt hæc apud *Basileam*. Sed quia reliquias sanctorum non habuit in præsenti, rogauit CHOVNRADUM Ducem Advocatum sancti BLASII, in cuius præsentia gesta sunt hæc, quæ prænotauimus, ut iam dicta prædia susciperet in sua fide ad faciendum de eis, quod ipse rogaretur, quod & fecit. Nam ueniens idem Dux CHONRADUS in locum, qui dicitur Scovnovwa, in publica venatione, affuit & W. *ipertus* simul & OVDALRICUS, qui Prioris fungebatur officio. Ammonitus de fide Dux CHONRADUS, tradidit super reliquias sancti BLASII, sanctique IOHANNIS, prædium prædictum absque omni contradictione, & ex illa die cessit in ius legitimæ possessionis monasterii sancti IOHANNIS apud *Bürgilun*. Igitur (25) notum sit omnibus tam futuris, quam præsentibus, quod in banno, quod est apud superius *Ekkinheim*, nullius inest aliquid iuris siue potestatis, nisi solius monasterii de *Bürgilun*, ista uidelicet terminanda uia illa, quæ est secundum abismata in *Grinega*, & dicitur im *Hochenblawen Widen* & ita per decliuas montium, usque dum venias ad bannum, qui pertinet ad inferius *Ekkinheim*, & transgreditur in latitudine *Sicinkilcham* ultra montem, qui dicitur *Lendrich*, In fluuiolum illum, qui de montibus de silva descendens transgreditur uiam, quæ ducit in uicum, & infra prædictum terminum. Ad illud uero, quod dicitur *Entenburg Bann*, *Elbravt*, ex toto integer tam campestris quam siluestris, potestatis est & iuris fratrum de Bürgilun.

Qua-

(25) Est hoc ex eo genere instrumentorum, de quo fuse egimus lib. II. cap. IX. num. III. seqq. Hinc est, quod litteras NA iugatas, in margine apographi visendas, Notitia interpretandas existimem.

Qualiter Dominus WIPERTUS *de Caltenbach diuersa alia comparauit bona quam plurima. Ab aliisque dono data atque sponte oblata suscepit.*

CAP. XVII.

DOminus WIPERTUS emit unum mansum in uilla *Ekkinheim*, de ADELBERTO de *Suuerzin*, siue de *Eistaten*, cum VIII. marcis. Ad illud prædium dedit unum iugerum uineæ apud *Velperc.* Item ad cumulum laudis suæ famulus Dei WIPERTUS adpreciatus est prædium quoddam, apud *Ekkinheim* situm, de Domino RUDOLFO de *Madelberc*, XIIII. marcis, quas tradidit apud *Sulzeberc* coram multis testibus. Itaque CCLXII. marchas colligimus dedisse Dominum WIPERTUM in augmentationem prædii apud *Ekkinheim.* Item dedit VOLMARO cuidam militi de Reiheim XVI. talenta Basiliensis monetæ pro curti una apud *Sleingen* sita. Dedit etiam IIII. talenta cuidam MANGOLDO de *Sleingen*, qui erat tributarius sancti IOHANNIS pro uineis, quarum computatio est plus quam unum iugerum. Item de BERNHERO de *Altincbouin* emit unum iugerum uineæ V. talentis in monte, qui dicitur *Buzin*, situm. BURKARDUS quidam de familia sancti LEODEGARII, uillicus HUGONIS Comitis, comparauit sancto IOHANNI unum manuwerch (26) V. talentis a WEIRNHERO de *Altlincbouin* in monte *Buzin.* Matrona quadam nomine HEDWIC tradidit CHOVNRADO, qui cognominatur *S rufs*, curtim unam in uilla *Sleingin*, & tres partes uinearum, ad unum iugerum computatum, ea ratione, ut fructus eiusdem uineæ omni deinceps tempore cedent in usus fratrum de *Bürgilun.* Simili ratione BERTHA, filia WEIRNHERI, dedit unum manuwerc ad anniversarium patris sui celebrandum. FOLMARUS, de quo supra retulimus, dedit unum iugerum uineæ in eadem uilla. EBERHARDUS miles ministerialis sancti LEODEGARII, & quidam CHOVNRADUS miles, tradiderunt Deo & sancto IOHANNI tria iugera uinearum in loco, qui dicitur ad *Grebrin.* CHONO frater prædicti EBERHARDI dedit Deo & sancto IOHANNI prædium, quod habuit apud *Blansingen*, scilicet unam curtim & duo iugera uineæ. WEIRNHERUS de *Madebach* ministerialis miles sancti GALLI, dedit in eadem uilla TETERICO filio sororis suæ unam scuopozonam, ea uidelicet ratione, ut fructus eius cederent

 in

(26) In Actis Murensibus legitur *manwereh* & *manewerk* (vid. ibid. pag. 87.) at exscriptores tam Actorum, quam huius nostri Chronici, a primigenia Auctoris orthographia sæpe abierunt. Inde autem *dicitur, quia uni viro committitur ad colendum, & est tantum terra, quantum par boum in die arare sufficit.* Ibid. p. 85.

in usus fratrum de *Burgilun.* Isdem vero DEOTERICUS cambuit prædictum prædium, deditque aliud multo utilius, apud *Cicinchouin* situm. WIPERTUS & HEINRICUS Præpositi, emerunt unum iugerum uineæ IIII. talentis in eodem uico scilicet *Cicinchouin* a REGINALDO milite de *Ovcheim.* WEIRHERUS de *Sliengen* cum propria pecunia uidelicet V. talentis, emit unum manuwerch Deo & sancto IOHANNI in uilla *Velberc.* Frater eius TIETHERE dedit quandam partem uineæ in uilla *Altilinchouin*, in loco, qui dicitur *Huntgrovba.* GERUNC de *Ovcheim* & fratres eius, scilicet IOHANNES & HEINRICUS, dederunt duo iugera uineæ in eadem uilla in loco *Wendin* uocitato. HEINRICUS Prior & LUTTHOLDUS emerunt a quodam WEIRNHERO de *Heitersheim*, qui fuit tributarius sancti IOHANNIS, curtim unam & VI. iugera agri, & plus uno iuchero uineæ in uilla *Hacchin.* CHOVNRADUS Dux de *Zeringen* dedit Deo & sancto IOHANNI ob remedium animæ suæ unam scovpozam in uilla *Scalsingen.* DIETERICUS de *Rotenleim* dedit Deo & sancto IOHANNI unam scopozam in uilla *Gupha*, quam MERIBOTO, in *Iberosolimitano* itinere defunctus, destinavit ad idem monasterium, & quoniam curtis defuit, idem Dominus TIETERICUS dedit unam uirnalem prope uillam ad curtim faciendam. ANNA de *Scopheim* cum licentia Domini sui TIETERICI dedit unum manuwerc uineæ apud *Tanninchilcha.* Item BURCHARDUS de *Nortsuuaben* dedit cum licentia Domini sui DEODERICI duo iugera uineæ in uilla *Haaltingen.* HEZIL & frater suus DIETHELMUS dederunt dimidium iuhc uineæ in eadem uilla. Omnibus manifestum & cognitum sit, quod piæ recordationis TIETERICUS de *Rœtenlein* determinavit litigium, quod GEROLDUS de *Serzingen* & ipsius familia de *Ekkinheim* in fundum illum, qui dicitur *Aclaspel*, & in montem *Bürgilun* & quædam confinia silvarum illi contigua. Ad rogatum namque dilectæ suæ coniugis OVTICHÆ & ob spem uitæ æternæ fecit abdicationem in omne illud, quicquid sui iuris esse posset, & tradidit super reliquias sancti IOHANNIS, & eo præsente ablati sunt lapides marchinales & depositi multis præsentibus, & finita est lis & determinata (27). ROVDOLPHUS de *Madelberc* senior (28) ammonitus & rogatus a uenerabili WIPERTO consanguineo suo, tradidit super altare sancti IOHANNIS in *Burgilun* tale prædium, quale possedit in uilla *Sicinchilcha*, scilicet

(27) Hoc Instrumentum ad genus Notitiarum referendum. Vid. paullo supra num. 23.
(28) Autographum hic denuo coincidit.

licet dimidiam partem ecclesiæ. Item tradidit in eadem uilla duas ſcovpozas & unum rus in monte ad CCCL. iugera computatum. Gerunc de *Ovcheim* dedit unum agrum in optimo fundo prope uillam. Winmarus dedit quoddam territorium cum uno prato in uilla *Woluinwilare*. Rovdolfus de *Atinbach* dedit Deo & ſancto Iohanni tale prædium, quale poſſederat in eadem uilla ſcilicet *Atinbabc*. Item tradidit unum iugerum uineæ, apud *Uelperc* ſitum. Dedit etiam unum iugerum agri in uilla *Welmindingen*. Illud iugerum traditum eſt in beneficium patruo eius Burchardo de R. qui annuatim tributario iure redimere debet prædicta prædia apud *Chilheim*. Item in eadem uilla *Atinbach* Iso & Rovdolfus, frater eius, dederunt, quicquid ſui iuris erat in eadem uilla. Dederunt etiam apud *Chandro* uineam unam, computatam plusquam ad dimidium iugerum. Item dederunt apud *Uelperc* dimidium iugerum uineæ. Dederunt etiam apud *Welmindingin* duos agros. Rovdolfus de *Uogilbach* dedit in eadem uilla *Uogilbach*, quicquid ſui iuris erat. Rovdolfus de *Luitſindibach* dedit omnia ſcovpoſca in eadem uilla. Zeizo de *Martiniſcello* dedit prædium, quod habuit apud *Marticelinſperc* ſiue in rure, ſiue in ſilvis, ſiue in montanis, quicquid ſui iuris fuit, totum & ex integro Deo & ſancto tradidit Iohanni. Gerwic, adiuncta manu filii ſui Chovnradi, dedit plusquam dimidium manſum in uilla *Rovdilinchouin*. Prædictum prædium præſtitum in beneficium cuidam Lamperto, quotis annis pro XI. ſolidis in tributum reddendis. Poſtea vero G. ad conuerſionem ueniens, dedit unum territorium in uilla *Huſinchouin* cum uno prato & uno iugero agri. Item dedit partem uineæ in uilla *Rovdlincn*. Dedit etiam agrum unum apud *Hertincheim*. Hucusque Chronicon Bûrglenſe Conradi monachi de S. Blasio.

Collationatum ad Originale ſuum valde antiquum & noſtro tempore ſecundum ſui modum & formam mirabile viſu, vetuſtiſſimorum namque more & literis exaratum atque formatum, latitudo ſua uix vnicam palmam continens, in longitudinem ſeptem fere cubitorum usque portenditur, pergameneo ligamine foliolis vndique colligatis, in ſeque ipſis orbiculariter adeo ſtrincte reuolutis, ut pugno uirili claudi ſane poſſit, cum eodemque Originali (præterquam in ſolis Rubricellis, inueniendi celerius, diſtinctionisue cauſa maioris quarumlibet particularum per me additis & adiunctis) omnimodo alias concordare repertum, per me Vodalricum Buck Rectorem eccleſie in Holtzheym atque collegiate eccleſie maioris Thuregienſis Canonicum & Scholaſticum, publicum ſacra Imperiali auctoritate Notarium. Scriptumque per me eundem & actum in Cella Bürgilun. A natali Christi anno milleſimo quadringenteſimo, quartoque ſupra nonageſimum, octavo idus Octobres. Atteſtante hoc proprio cyrographo, ſolitoque ſigneto.

Hoc,


Hoc, de quo hic mentionem facit Notarius, ſignetum ſtatim poſt alteram eius ſubſcriptionem (ubi quippe denuo repetitur) dabimus. Interim alterius Notarii atteſtatio, ſeu Vidimatio *hic apponenda:*

Ad diem 12. prout ſupra dictus honorabilis vir Dominus *Vlricus* Buck Notarius, ut ſubſcribit, atteſtatur, atteſtor ego *Iohannes* Salczman de Maſſmünſter, Clericus Baſilienſis Diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus ſacre curie epiſcopalis Baſilienſis, ac Vicariatus 2dus Notarius, manu mea propria & ſubſcriptorum manuali ſolita ſubſcripta.

Io. Salczman Notarius Curie
Baſilienſis hec ſcripſit.

Laudatus denique Udalricus Bugk *verſioni ſuæ, in linguam vernaculam, hæc ſubiungit:*

Et ego *Vdalricus* Bugk Conſtancienſis dyœceſis presbyter. Rector ecclefie in Holtzheym, Pontificij Ceſareique iuris Baccalaureus & ſacra Imperiali auctoritate Notarius publicus; quia prædicta iura & priuilegia antiqua Celle, in monte Bürgelen ſite, attinencia, aliaque non nulla in preſcriptis tredecim Capitulis (*nam totidem duntaxat, neglectis ultimis, transtulit*) vulgariſatis, contenta, in antiquis quibusdam, nec non autenticis ſcripture Latine (quemadmodum ſupra videri poteſt) vidi & repperi, deque eiſdem Latine ſcripture ſecundum verborum ſenſum (quantum potui) in Theotonicum fideliter & probe interpretatus fui. Sicque actum & ſcriptum manu mea propria, atque completum per me ſit anno Dominice Nativitatis 1494. pridie ydus Novembres. Idcirco me hic ad finem huius translationis nomine meo proprio ſolitoque ſigneto & manu propria ſubſcripſi atque conſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum, ſicut premittitur, preſcriptorum, Rogatus ad hoc, pariter & Requiſitus.



Specimen ſcripturæ autographi

denunciant ut frm ſcā B. ⁊ ſacdotū necn
⁊ laicorū religiſorū facta conuentua.

Specimen ſcripturæ apographi

Omne quod p̄dicat aut ſcribit. ſi ueritatis
ratione caret, uacuū et inane nō ambigitur.

IN-

INDEX AUCTORUM

Qui in hoc opuſculo laudati, explicati & illuſtrati, aut denique emendati vel confutati fuerunt.

IN-

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

AL-

BER-

D.

ELISA-

F.

etiam

HED-

ITA

Litte-

gia

DEBO-

Z.

Addenda & corrigenda.

Pag. 25. lin. penult. 1140. leg. 1240. p. 34. l. 5. : sed leg. , seu. p. 43. l. antepenult. servir l. servi. p. 66. lin. 31. ECCARDO l. Adversario. p. 90. lin. 3. post. verb. permoti, add. tenemus. p. 108. lin. 27. an. 1154. l. 1145. p. 117. post memoratu digna, add. de quibus ibi mentio fit. p. 146. lin. 27. aliquando l. aliquanto. p. 163. lin. 17. ioram l. iota. p. 169. lin. 7. lineam, add. secundam p. 177. lin. 7. del. *& octava.* Ib. lin. 15. ***Frobergensibus*** l. ***Froburgensibus***. p. 184. lin. 31. genealogica l. genealogia. p. 195. lin. 24. secundum ***ad*** del. p. 196. lin. ult. detractabat l. detrectabat. p. 220. lin. 25. vendidet l. venditet. p. 231. lin. 15. ***integrum*** l. ***integram***. p. 243. lin 7. ***partem*** l. ***patrem***. p. 252. lin. ult. iamen l. tamen. p. 257. lin 10. una l. uno. p. 247. lin. penult. continuos l. plures continuos. p. 279. lin. 37. 1011. l. 911. p. 345. lin. 4. Comitis semel deleatur.



